Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante
Plúteo 1 / 47

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante
Plúteo 1 47

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 1
Plúteo 1 47

Topinius, Aegidius 1231
Sermons de Sanctes

THEOLOGIAE SYNCERIORIS FAVTORIBVS,

auctor perpetuam optat salutem & felicitatem.

CVm nuper, optime lector, aliquot amici familiares, uiri plane omnibus uirtutis & doctrinæ numeris absoluti, ad me dedissent Tabulas D. Laurentij à Villauicentio Xeresani, tabulatis (ut sic dicam) typis excusas, eorum improbo rogatu cœpi repentino quodam impetu arrepto calamo tentare, num possem, quas uir ille sapientissimus simul & eloquentissimus sancta sagacitate tradidisset, magis uulgari notitioriq; phrasi uertere, ut his qui in uertendis ipsis non essent adeò triti atq; astuti, promptum esset intelligere, quas uir ille tantus in totius uulgi Christiani utilitatem suppeditasset. Quum itaque absoluissem Conciones in Euangelia & Epistolas, quæ Dominicis diebus leguntur per totum annum, è Tabulis iisdem magno studio collectas, necnon plurimis in locis quum sacrarum literarum, tum Catholicorum ac Neotericorum probatorum scriptis locupletiores reddidissem, reliquum fuit promissis stare, quæ in dedicatoria nostra epistola feceram, inceptúmque opus (quod aiunt) ad suum colophonem deducere. Neque id frustrà, quum ad sapientem architectum pertineat, non solùm fundamentum iacere, sed etiam ad suam absolutam formam quodque opus dedu

Ex dono Emm. ab Arana - Arcitiensi

cere. Ediderat etiam hic bonus uir Tabulas in Euangelia, quæ festis diebus annuatim populo proponuntur, pari artificio cum prioribus elaboratas, quibus eximiam laudem & gloriam perpetuò in Ecclesia apud uiros pios & eruditos obtinuit. Ne ergo pius Concionator his quoque tabulis quas diuorum feriis consecrauit, fraudaretur, curaui hanc nostram qualemcunque operam illis impendere, atque ad prioris nostri operis formam eas redigere, nimirum hoc persuasum habens, quòd eiusmodi conciones methodicæ, eáque facili ac propemodum populari institutione sua non parum adiuuarent conatus eorum qui omni fructu in Ecclesia docere uolunt. Sed quia nullæ (quod mihi constet) Tabulæ in Epistolas Sanctorum extant: ut priorem sequar ordinem, ex alijs Neotericis probatisq; scriptoribus non absimili phrasi pro ingenioli mei capacitate iuxta apum similitudinem conciones in diuorum Epistolas collegi, eásque Euangelicis sermonibus præfixi. Scripseram quidem primùm mihi, ut (quod fieri solet) in dies tendenti ad senium, pro memoria iuuanda subsidio esse possent: sed quorundam pietas cupiuit, imò etiam institit, ut hic quoque fructus per me fieret multorum communis. Cúmque ad hoc quodammodo urgerer, deterruit me, quod obiici mihi posse à nonnullis suspicabar, aliorum scilicet me in elucidandis uel dilatandis eiusmodi Tabulis non modò uerba, sed multis etiam in locis integras sententias mutuasse. Quod tamen non eo animo feci, ut plumis (quod aiunt) alienis ornari cuperem, sed quòd hoc ipsum meæ tenuitati sic erat necessarium. Non enim ille sum, qui sine ducibus præuijs sacrarum scripturarum interpretem (præsertim hoc nasutissimo seculo) agere audeam: quin magis in hoc pio

nota humilitatem viri

pio nostro labore semper doctiorum usus sum & consilijs & disciplinis. Sed nec uitio dabitur discipulo, si illustrium præceptorum potius quàm propriis utatur uerbis: quod inter Neotericos adeò tritum est, ut iam nulli horum detur uitio. Nec hoc mirum, quum apud D. Hieronymum legatur Plato ille diuinus Aegyptum, eámque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragrasse: ut qui Athenis magister erat, cuiusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus: malens aliena uerecunde discere, quàm sua impudenter ingerere. Conflauerunt enim plerique ex aliorum codicibus & ipsi Sermones, & quidem eo pacto, ut quicquid ab illis accommodatò acceperint, usurparint sibi. At ego hoc iactantiæ uento nullo pacto transmotus fui, sed potius meos sudores optimis quum priscorum, tum Neotericorum patrum scriptis innexui, ut ea quæ per se non consisterent, illorum auctoritate fulcirentur. Verùm ut & hactenus consueui, ethicè seu moraliter potissimùm omnia tractare curaui, non quòd contemnam tractationem allegoricam uel tropologicam, uel anagogicam (quæ nonnunquam in interpretandis sacris literis admittenda est) sed quòd sensus moralis auditorio præcipuè moderno sit conuenientior ac conducibilior. Cæterùm pro meis istis laboribus quid hîc aliud à nonnullis æmulis expectem, quàm præpostera iudicia & maledicta? Adeò enim corrupto quidam sunt iudicio, ut etiam de his malè loquantur & iudicent, quæ teste conscientia probant. At cuius iam horum obtrectationes nihil moror, cùm facilius sit aliena carpere, quàm propria præstare. Vade si prosperè cesserit hæc alea, noueróque amicis & aliis quibusdam

nota de sensu morali

Theologiæ ſyncerioris fautoribus hanc noſtram operam non fore ingratam, ſuo fortaſsis tempore plura (uita comite) prodibunt, non minus omnibus Eccleſiaſtis neceſſaria quàm proficua. Et quod facio, candide lector, boni conſule, atque præſentes qualeſcunque noſtras lucubrationes, tametſi rudiores quàm ut huius ætui ingenijs reſpondeant, ſaltem in pias operas transcribe, eiſque fruere feliciter.

Anno Domini M. D. LXVI.
Menſe Nouembr.

IN FERIIS DIVI ANDREAE APOSTOLI

Epiſtola ad Roma. 10.

Corde creditur ad iuſtitiam, &c. Finis Epiſtolæ, & in fines orbis terræ verba eorum.

PERICOPE apta, hoc eſt, partialis amputatio totius orationis ad memoriã Apoſtolici miniſterij. Nã & quibus, & quid prædicarint, pulchrè ex hoc loco intelligitur. Prædicarunt omnibus, & cũ primis gentibus, cum Iudæi nollent, Act. 13. Prædicarunt autem ſaluberrimam atque ſempiternam pacem. Porro, vt iuxta Pauli ordinem procedamus, agit ille de vocatione Gentium, gentes etiam pertinere ad regnum Chriſti, & participatum Euangelij. Idque

Apoſtoli quibus prius prædicarunt.

1 Proponit: *Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci*, æquè admittuntur ad ſalutẽ, & vtriſq; prædicandum Euangeliũ. Quia non eſt deus Iudæorum tantùm, ſed & Gentium. *Rom. 3.*

2 Probat hanc propoſitionem, Primò, A communi dei in omnes poteſtate, de qua etiam Rom. 3. Vnus omnium dominus, id eſt, omnes eius ſumus: igitur omnium rationẽ habet, omnibus dominatur. Ergo ab omnibus agnoſcendus & colendus. Omnis qui fidit illi, non pudefiet, dicit ſcriptura, Iſa. 28. Item Eccleſiaſtici 2. Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? Quin potius (vt Ieremias ad dominum loquens ait, cap. 17.) omnes qui ipſum deliquunt, cõfundentur. Et rurſum alius Propheta, Confun-

Deo qui fidit, non pudefiet.

Misericordia Dei cõmendatur à beneficentia.

dantur omnes, inquit, qui adorant sculptilia. Secundò probat ab exposita dei erga omnes misericordia, ne quis potestatem modò generalem esse putet. Commendat autem dei misericordiam, Primò ab exuberante sua beneficentia: *Diues est in omnes*, sicut etiam ait ad Ephe. 2. largiendo scilicet & iuuando: quod vel corporales eius benedictiones satis docet, quas cùm ita passim fundas, non est consentaneum à spiritualibus, & præsertim noui testamenti bonis eũ gentes iam excludere. Diues, inquam,

Deus diues in omnes.

est in donis fortunæ, in donis veniæ, in donis gratiæ, & in donis gloriæ. Psal. Gloria, inquit, & diuitiæ in domo eius. Iac. 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. Omne datum optimum & donum perfectum desursum est descendens, &c. Quàm diues sit in misericordia, vide etiam Matth. 18. & Luc. 15.

Deinde commendat eam à facillimo consequendi modo, qui est inuocatio, diues est in inuocantes. *Omnis enim quicunque inuocauerit nomen domini, saluus erit.* Ioel. 2. Act. 2. Spectat ergo non Iudæos tantùm velut doctos, puros, operosos, sed in genere, quotquot egent, petunt, fidunt, quales etiã inter gentes, & cõplures quidẽ, deprehendit, inter quos non ex minimis fuit Eunuchus ille Act. 8. qui interrogãti Philippo, nũ crederet, respondit Credo filium dei esse Iesum Christum. Et descenderũt vterq; in aquã Philippus & Eunuchus, & baptizauit eũ.

Ab inuocatione.

Commendat insuper eandem dei misericordiam ab amplissima dei promissione, quam expressè facit cũctis inuocantibus, sicut Ioel docet, qui apertè tollit, quicquid fuit aut impedimenti aut discriminis inter gentes & Iudæos. Quod clarè reuelatum fuit B. Petro in linteo de cælo in terram submisso, Act. 10. &c.

Ab amplissima dei promissione.

Atque istæ quidem rationes, vt de deo Patre, sic de filio quoque possunt intelligi. Nam dominus omnium constitutus est, non Iudæorum tantùm.

Matth. 11.

Ditissimus fuit in fundendo suo sanguine, próque omnibus abundanter fudit, omnes item ad se vocat.

Domini in nomine ex audimur.

Ipsum nomen domini est, in quo exaudimur, Ioã. 16. Ipsum item medium in quo omnes exæquantur, omnes admittuntur, Ioan. 10. & 14. 1. Timoth. 2.

3 Probat eandem à coniunctis illis: Primò inuocatione &

ne & prędicatione, nã ex eo ꝙ promissio generalis est, vt modò dictum, infert Paulus prædicationem quoque generalem esse oportere: ídque hac gradatione: nemo inuocabit, nisi credat: nemo credet, nisi audiat: nemo audiet, nisi prædicetur. Ergo vt iuxta promissionẽ omnes possint inuocare, omnibus etiam prædicandum.

Prædicatio à missione penhinc deberi.

Deinde missione & prædicatione, nam cùm prædicatio à missione pendeat, missio verò ad gẽtes quoque destinata sit, concludit Paulus, prædicationem quoque eis deberi: atque eò refert locum Esaiæ, 52. Naum. 1. quem ad gentes quoque pertinere satis ea quæ sequuntur ibi, docent. Vtinam hæc attendant Ecclesiarum Episcopi consecrati, qui dum ad exteras & barbaras regiones cum Euangelico volumine & baculo destinantur, interim domi remanent desides: & pertimescant ne sanguis illarum ouium extremo in examine de manibus eorum requiratur. *Ezech. 33.*

Porrò singula ista argumenta sicut propositionẽ probant, sic permulta simul docent. Discis hinc:

1 Quàm moderatè, quàm amanter inter nos viuendũ.

Ad modestiam hinc hortatur Paulus, Ephes. 6. cũ de seruis agit, d. Serui obedite dominis vestris carnalibus cũ timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo, nõ ad oculũ seruientes, quasi hominibus placẽtes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona volũtate seruientes sicut domino, & non hominibus. Scientes quoniam vnusquisque quodcũque fecerit bonum, hoc recipiet à domino, siue seruus siue liber. Et vos domini, eadem facite illis, remittẽtes minas, scientes quòd illorum & vester dominus est in cælis: & personarũ acceptio non est apud eum. Ad charitatem. 1. Timoth. 2. cùm de precibus agit. Obsecro, inquit, primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, &c.

2 Quàm magnificè cùm de generali Dei prouidentia, tum de singulari eius acceptatione sentiendum. Quoad illã viuimus ex plenissima benignissimáque Dei manu, Psalm. 104. Quo ad hanc exuberat Dei gratia supra omnem peccatorum molem, modò illam fide apprehendas, Romanorum quinto, Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.

3 Quæ verissima omnis nostræ sit penuriæ causa, quæque vera ditescendi ratio, Illic obstat precum intermissio, Iacob.4. Hîc profuerit nobis frequens & legitimus earundem vsus, Matth.7. Petite & accipietis.

Fidei & precationis cognatio.

4 Quanta fidei & precationis sit cognitio, cùm quod paulo suprà fidei, hîc precationi ascribatur. Itè quæ verissima inuocandi ratio, nempe, quæ ad verũ Deum iuxta eius normam instituitur, nam vtrumque horum nomen Dei exigit. 1. Ioan. 3. & 5.

5 Inuocationem naturaliter comitari fidem, nec deberi vlli, nisi cui & fides debeatur, ideſt, soli Deo, Mat. 4.

6 Fidem non complecti sensa nostræ rationis. Heb. 11. neque subiici magisterio rationis. 1. Corinth. 2. sed complecti documenta verbi Dei, cui & soli subest, & auditu eius comparatur, non natura nobis inest.

7 Auditum non internum & occultum hîc intelligi, sed externum, atque ideo esse summum vsum prædicationis, simul verò diligenter attendendum, quid vel audiatur vel dicatur, nam pro verbi ratione comparatur quoque vel humana vel diuina fides.

Prædicatio Dei legatio.

8 Prædicationem agnoscendã esse pro legatione Dei, 2. Corin. 5. Pro Christo legatione fungimur, &c. Et vicissim hanc testandam esse prædicatione, Matth. 28. In illo populus, hoc ministri sæpe peccant, & cum primis Pontificij, canes muti non valentes latrare, Isa. 9.

9 Discimus quòd ad Esaiæ testimonium, 1. Splendidissimum esse ordinem ministrorum verbi. 2. Sed humilimum simul esse, nempe, viatorium, Marc. 16. Ioan. 15.

3 Cursum ministrorum ad docendam pacẽ dirigi oportere. Matth. 10. Luc. 10. Et verissimam esse pacem eam, de qua Euangelium & ministri eius sonant.

Hæc in hisce verbis de vocatione gentiũ, nostrũ fuerit, vt qui gẽtes fuimus, gratiã hãc agnoscere, & prędicationẽ verbi colere, vtq; semper vigeat missionẽ Dei flagitare, quo per veram fidẽ, crebrã inuocationẽ, & cęlesti pace & æterna gloria certò tandem potiamur, Amen.

EPILOGVS.

1 *Ratio iustificationis & regenerationis hîc exponitur quæ à fide non cæremoniis dependet, cùm spiritus Dei homini cõceditur, vt suam carnem mortificet, desistità prava consuetudine,*

tudine, displicent eì ea quæ Deo aduersantur, nam illa mortificatione nascitur desiderium, vt viuamus iuxta voluntatem Dei: Corde credimus ad iustitiam, ore confitemur ad salutem etiam aliorum.

2 *Communis ordo Dei est, vt fides sit ex auditu, auditus per verbum Dei. Suscipientes ergo verbum & spiritum, in nobis fidem operantem, ita vt vitam cupiamus emendare. signum est nouæ regenerationis.*

3 *Decori sunt pedes Euãgelizantium pacẽ, euangelizantium bona, & tamen raritas est credentium Euangelio, Angusta porta & stricta via quæ adducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt illam, Matth. 7. Hinc horrendum iudicium manet mundum, qui spiritũ veritatis non vult capere.*

IN FERIIS EIVSDEM APOstoli, Euangelium.

In illo tempore: Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, &c. Finis Euangelij, Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. *Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5.*

HOc Euangelio proponuntur nobis tres doctrinæ. 1 Charitatis, in Christo, qui ambulabat iuxta mare Galilææ. Est autẽ considerãdũ, non casu aut fortuitò Christũ illac ambulasse: sed secundũ æternũ suũ propositũ, quos ad suam gloriam, & Ecclesiã, & Apostolicã dignitatẽ æterna sua prædestinatione pręordinauerat, tunc ambulando iuxta mare Galilæę quęsiuisse: cuius rei meminit Apost. Eph. 1. Elegit nos, inquit, in ipso ante mũdi cõstitutionem, &c. *Charitatis doctrina.*

Hinc docemur, Andream & Petrũ quanuis ad vitam æternam prędestinatos ac præordinatos, nunquam tamen Christum solis suis viribus quæsiuisse, neque agnouisse. Sed Christus ipsos quæsiuit, ad ipsos prior accessit, ipsis cognoscendum se præbuit, & iisdem vnde ipsum cognoscerẽt dedit, iuxta illud, Isa. 65. Palàm apparui iis, qui me non interrogabant: inuentus sum à non quærentibus me. Lucæ. 10. Nemo scit quis sit filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Item Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Matthæi 11. Nemo nouit filiũ nisi Pater: neque

neque Patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Paul. Roman. 9. Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. & Lucæ octauo, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. vbi considerandum est verbum illud datum: magnam enim emphasim habet, nisi datum fuisset, nunquam agnouissent.

Sciamus hinc nos itidem Christum non quæsiuisse, neque inuenisse: sed ab ipso nos vocatos fuisse & quæsitos vt perditos, inuentos vt errantes. Tantum igitur beneficium, & tantâ gratiâ admirantes, dicamus cum Paulo, O altitudo diuitiarum sapiẽtiæ, & sciẽtiæ Dei, Ro. 11.

Vidit duos fratres, Petrum & Andream mittentes rete in mare. Est autem hîc considerandum Christum non vidisse illos duos fratres, sicut cæteri homines vident: nec vidisse illos, sicut viderat Pilatum, Annam, Caipham, ac reliquos suos crucifixores. nam in hoc loco, & aliis quibusdam scripturæ sacræ, videre Dei idem est, atq; Iesum corda hominum mouere, suámque gratiâ impertiri. de qua Sap. 4. dicitur, Gratia Dei & misericordia in sanctos eius, & respectus in electos illius. Sic vidit & respexit quamplurimos, Matthæum in telonio, Matth. 9. Zachæum in arbore, Luc. 19. Nathanaëlem sub ficu, Ioan. 1. latronẽ in cruce, Luc. 23. Peccatricem in conuiuio, Luc. 7. & hos discipulos in piscatura vt sequerentur. Nec est intuitus ille Christi, simplex aliqua hominum cognitio, sed est interioris cordis dulcissima & efficacissima penetratio, quæ tangit & vulnerat carnem, ossa, medullam, sanguinem, animam, spiritum, cor, præcordia & omnia interiora cõmouet, & ad Dei amorem incitat, ad fidem trahit, ad obedientiam formet, ad Christum sequendum inducit, ad omnia propter eundem contemnenda promptos facit, hoc olim patuit in Prophetis. nam ita puerum citharœdum vidit & Psalmistam eum fecit. Sic armentarium Amos sycomoros vellicantem vidit, & prophetam eũ fecit. Sic puerum Danielem abstinentem vidit, & eum iudicem senum constituit. Hoc idem constat hîc ex Apostolis. Nam ita eos vidit, vt suo diuino visu eorum mentes illustrauerit, vt in ipsum crederent: voluntatem ita inflammauit, vt ipsum amauerint: animum ita perfecit, vt ad ipsum mox sequẽdum promptos fecerit.

Videre Dei quid.

Intuitus Christi, quid.

hinc

hinc Iob. 10. Nónne oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu vides? Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, Cant. 4. Item Iob. 40. In oculis eius quasi hamo capiet eum. Oremus Christum, vt ita his oculis nos videat, vt corda nostra vulneret suo visu, suísque oculis quasi hamo nos capiat, atque ad se sequendum amandúmque commoueat: sicut videndo hos commouit apostolos, dicentes hoc Psalmographi, Aspice in me domine & miserere mei.

Videte os mittentes rete in mari. Fuit hæc piscatio magna & eximia operis illius significatio, ad quod ministerio eorũ vti voluit dñs. Sicut enim in stagno iam hîc eiiciebant retia ad capiendos pisces in pernicie, ita voluit quoque eos rete verbi diuini & sermonis sancti ex variis scripturarum locis hinc inde contextũ eiicere in mare mundi huius ad capiendos homines in salutem. Fuit hæc piscatio longè antè prædicta à domino per Ieremiã 16. cap. Mittam piscatores multos, & piscabuntur eos, & homines appellatione piscium intelligi prædictum fuit Abac. 1 Facies homines quasi pisces maris.

Christi piscatio.

Rete Euãgelicum.

Erant enim piscatores, labore victum quærẽtes iuxta illud Gene. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Laudabile imo beatũ est de proprio labore viuere, dicente nimirum Psal. 127. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. sed væ illis qui bonis iniquè partis viuunt in diem tanquã fruges consumere nati, qui carnem pauperum deuorant & sanguinem bibunt. Ecclesiastici. 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Cum illis iudicio contendet dominus, in quorum oris vestimentorum inuentus fuerit sanguis animarum pauperum, & innocentum.

Beatum de proprio labore viuere.

Ieremias. 2.

Vocauit eos dicens. Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum. Est autem considerandũ, vocationem Dei esse duplicem, generalem ad Ecclesiam, de qua Genes. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: & Matth. 11. Venite ad me omnes, &c. Hæc vocatio ad omnes pertinet, quia omnes vocat Deus ad operandum in sudore vultus sui, non ad otiandũ. Et specialem siue singularem ad dignitatem, de qua Matt. 4. Marc. 1. & Ioan. 1. Hæc vocatio ad eos tantùm pertinet, qui ad vitam & dignitatem

Vocatio Dei duplex generalis et specialis.

præor

præordinati sunt.

Est autem vocatio iterũ duplex. simplex, De hac iam egimus. Et secundũ propositum. de hac loquitur Paulus Rom. 8. Is qui secundum propositum vocati sunt sancti. Ephes. 1. Secundum propositum voluntatis suæ.

Vocantur enim quidam immediatè à Deo: vt Prophetæ & Apostoli. Quidam per media: vt discipuli Prophetarum & Apostolorum. Quidam neque à Deo, neque ab hominibus: vt Pseudoprophetæ, Lutherani, Brentiani, Anabaptistæ, Sacramentarij, & Caluinistæ, de quibus Ierem. 23. agitur.

Indoctos cur vocauit Deus.

Vocauit autem Christus hos & alios simplices ac indoctos, propter tres causas. 1. Vt potentia Dei vniuerso mundo innotesceret, & ne fides credentium non virtute Dei, sed eloquentia atque sapientia humana fieri putaretur. Euangelium Dei virtus est, ait Apost. Rom. 1. in salutem omni credenti, qui loqui fecit asinam Balaam, Numer. 22. Hic quoque facit linguas infantium disertas, Sapien. 10.

Episcoporũ & pastorũ electio penes quos.

2 Ne quis existimaret Deum respicere personas, aut diuitias, nobilitatem, potentiam, &c. Act. 10. Roman. 2. Colloss. 3. & Iaco. 1. Vt discant hîc penes quos est electio Episcoporum, Prępositorum, Pastorum, &c. ne ita temerè personarum tantùm habito respectu, diuites, potentes & nobiles plebibus præficiant: aut venatoribus suis, aucupibus & culinariis sacerdotia conferant, nihil aut certè parum attendẽtes doctrinam, eruditionem, morum probitatem, cæteráque ad huiusmodi functiones pertinentia, contemptis & neglectis interim dignioribus, melioribus, magísque idoneis, quod nunc, proh dolor, in magna Christianismi parte factum cernimus, vnde vix dici potest quantum detrimenti, fidei nostræ, & Ecclesiæ sanctæ acceserit. Consultissimè Mosen fecisse legimus, iuxta consilium Iethro, Exod. 18. dicentis: Prouide de omni plebe viros sapientes & timentes Deũ, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantùm iudicent, &c.

3 Quo

3 Quo faciliùs & promptiùs homines sequerentur, maximè rudes & simplices. Nam docti, diuites ac nobiles non ita facilè veniunt, sicut patet Matth. 22. & 19. Luc. 14. Hinc Apostolus ait. 1. Corinth. 1. Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, &c.

Animarũ curatores Christum sequi debent.

Venite post me, ait, significans nimirum omnes animarum curatores ipsum sequi debere, vt quisque eorũ verè cum ipso Iob. 23. dicere posset, Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & nõ declinaui ex ea, &c. Talis sequutor fuit Paulus, qui & alios ad sequẽdum illum cohortatus est. 1. Corinth. 11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Venite, inquit, post me. ac si dicat, Sequamini me verbum meum audiendo, verbo meo vos submittendo, sequamini me, credendo & obaudiendo, crucem suam quisque post me ferendo, mutuam inter vos charitatem seruando. Sequamini vt discatis ex me sacramentum crucis artem longè excellẽtiorem ea, quam à parente vestro Iona didicistis, nempe, qua in hominum piscatores abibitis, pro pisciculis porro homines piscaturi, non ad necem, sed ad vitam.

Apostoli ad quid piscaturi, missi.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Non autem nummorum, honorum & beneficiorum. verbi huius meminerint Episcopi, Pastores, & verbi Dei ministri, vt & ipsi piscatores fiant hominum, non censuum, reddituum, nec beneficiorum, ne tanquam asini clitellarum oneribus onusti sub ipsis succumbant. Non enim debet verbi Dei declamator prædicare vt edat: sed edere debet vt prædicet, cui ex Dei ordinatione debetur victus & amictus: quod Paulus triplici ratione pulchrè declarat. 1. Corin. 9. Qui & de seipso testatur. 1. Corinth. 10. q̃ non quęsierit q̃ sibi vtile esset, sed quòd multis, vt salui fierent. Item. 2. Corin. 12. sic ait, Non quæro vestra, sed vos.

Doctrina liberi arbitrij obediẽtis.

2 Liberi arbitrij obedientis. Nam viso Christo, & audita eius voce, mox euestigio relinquunt & deserunt nauem, retia & patrem. In qua desertione apparet potentia verbi Dei, quæ adeo est viua & efficax, vt corda auersa à Deo admiranda virtute ad Deum conuertat. Iere. 23. In qua etiam apparet bonitas domini vocantis,

Potentia verbi Dei, viua & efficax.

quæ

Bonitas Dei vocantis magna.

quæ adeo est magna, vt indignos ad se vocet, Ioan. 15. In qua desertione tertiò apparet natura fidei, quæ credentes statim intellectum in suum obsequium docet captiuare. 2. Corinth. 10. Huc quadrat historia de Eliseo. 3. Reg. 19. qui quãuis cum duodecim bobus araret, tamen quamprimũ pallium suum illi iniecisset Elias, relictis bobus cucurrit post eum. Talem quippe obedientiam à nobis Christus efflagitat, vt neque punctum tẽporis differamus, etiam si nos aliquid necessarium vrgere videatur, quando nihil cuique charius esse debet animæ suæ salute. vnde & iuueni petenti à domino vt abiens prius sepeliret patrem suum, quamuis interim sepultura parentis sit opus pium, tamen respondit, Tu me sequere, & sine vt mortui sepeliant mortuos suos.

Matth. 8.

Non autem hîc spectandum est lacerum rete, aut naucula fatiscens, sed paratus animus. Multum enim reliquerunt, qui omnia quę habebant, vel habere poterant,

Cælum est venale.

deseruerunt. Cælum enim venale est: si multa tibi sunt, magno constat pretio: si pauca tibi sunt, paruo pretio cõstat, regnum Dei tantùm valet quantum habes. Nam Zachæus bonorum suorum dimidio. Luc. 19. Vidua gemino ære minuto. Luc. 21. Discipuli naucula & reti. Matt. 4. cælum sibi compararunt.

Discant hinc pauperes, Deum non magnificere magna munera, amplissimáque dona, sed animi liberalitatem. Hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Corinth. 9.

Animi liberalitatẽ Deus magnificit.

Piscatores, opifices, ac mechanici omnes sua paupertate regnũ Dei sibi poterunt comparare, imò calice aquæ frigidæ potest aliquis mercari regnum cælorũ, Mat. 10.

Duplex sequendi Christum ratio.

Deinde sequuntur Christum. Est autem duplex sequẽdi ratio, corporalis & spiritualis. Sequi autem Christum corporaliter non est cuiusuis, sed eorum tantùm, qui expressum Dei mandatum habent, vt Abrahami, Gene. 12. Petri, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Philippi, Matt. 4. & Ioan. 1. Sic Christianus quisque cùm propter Christũ aut eius sponsam Ecclesiam catholicam Romanam à tyrannis vi ab vxore, & liberis, ab agris & ædibus euellitur, & in manus lictorum traditur: non modò spiritualiter, verùm & corporaliter Christum sequi debet.

Sequi autem Christum spiritualiter est omniũ Christianorum, quisque enim piorum eo debet esse animo, vt quando, vbi, & quacunque hora Christus velit, & gloria Dei exigat, sit paratus ac promptus relinquere omnia, & propter veritatem mortem oppetere. Talis sequutor Paulus fuit, Philippen 3.

Imitatio spiritualis.

Imitatio tamen spiritualis fieri potest sæpe sine corporali, ita, & si complures Catholicorum à Turcis capti, corpore captiui detinentur, adeo vt nec templa accedere, nec sacro interesse, nec sacramẽta suscipere possint: spiritu tamen Christum sequuntur & amant. Corporalis autem imitatio fieri nec potest, nec debet sine spirituali: ita qui Christiani sunt, quamuis baptizati sint, nisi tamen spiritu Christum amantes sequantur,

Corporalis.

sciant carnem & sanguinem in regnum Dei non admittenda. Ideo docet Paulus, spiritu ambulate, Galat. 5. Et caro non prodest quicquam, Ioan. 6. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.

1. Cor. 15.

Sequuti autem sunt Christum, humilitate & mansuetudine, paupertate, quia reliquerunt propter Christum omnia, pietate & doctrina prædicabant enim verbum Dei, passione, cruce, & morte tandem consequuti sunt vitam æternam. Ita & nos Christum sequentes vitam æternam consequemur. Admiratur hanc discipulorum fidem B. Gregor. d. Nulla. Petrus & Andreas Christum miracula facere viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad vnum domini præceptum, hoc quod possidere videbantur, obliti sunt. Et quanta nos, inquit, eius miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur, & tamen vocantem sequi contemnimus. In cælo iam sedet, & qui de cõuersione nos admonet, Iã iugo fidei colla gentium subdidit, iam mundi gloriam strauit, iam ruinis eius crebrescentibus districti iudicij sui diẽ appropinquantem denuntiat, & tamen superba mens nostra non vult hoc sponte dimittere, quod quotidie perdit inuita. 1. Timoth. 6.

Obedientia doctrina.

3 Obedientiæ doctrina proponitur, quam Andreas & Petrus vocationi Christi præstiterunt. Nam ad primam Christi vocem, omnia negligunt, nõ curant vxores, non filios, non patres, non res, nec rerum suarum iacturam

Petrus & Andreas

ad primã Christi vocem omnia negligunt.

pertimescunt: sed aliquid magni se inuenisse putantes, mox absque mora Christũ sequuntur. O felices viros! O admirandã obedientiã! O dulces animos, qui ita Christo parent, vt propter eum quem pauperem videbant, nec semel antè conspexerant, suas diuitiolas, notos, atque familiares relinquant. Vnde nostra cõuincitur pertinacia, atque obduratio, qui ad tot, ac tãtas voces Christi vocantis per Prophetas, per Apostolos, per Angelos, per miracula, per internas inspirationes, ad Christum venire negligimus, sicut ostensum est ex verbis D. Gregorij. Sed quare veniunt Apostoli? quia voluerunt: quare crediderunt? quia visum fuit illis, & vt illis ita videretur, Deus in illis operatus est. August. Gratia non tollit liberum arbitrium, sed confirmat, perficit, non destituit.

Et procedens inde vidit alios duos fratres Iacobũ Zebedæi & Ioannem fratrẽ eius in naui cũ Zebedæo patre eorum.

Suorum domesticorũ cura habenda.

Summa virtus est pascere patrem senem, idque iustè patris sumptibus. Qui suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, hinc Eccle. 3. Fili susci pe senectam patris tui, & nõ contristes eũ in vita ipsius, & si defecerit sensu veniam da, & ne spernas eum in virtute tua. eleemosyna enim patris nõ erit in obliuionẽ. Vtinam & nostri nautæ non de iniquè partis, aut violentia extortis, sed de iustis suis laboribus sese enutriant.

Vidit eos farcientes retia sua, et vocauit eos. Pauperes erãt; & quia non poterant emere noua, reparauerunt vetera.

Illi autẽ statim relictis retibus & patre secuti sunt eum.

Pater quã do relinquẽdus.

Apparet Zebedæum non credidisse, & propterea relinquerunt eum: Non quòd bonum sit relinquere parentes, sed quia fortasse impedimento futurus erat sequuturis Christum. Vides hic quando oportet relinquere patrem, nempe, quando obstat virtuti & pietati & Christianæ religioni. Hieronymus. Per calcatũ patrẽ & matrem trãsi ad consortiũ seruorũ Christi. Mat. 10. Qui amat patrẽ aut matrẽ plus quã me, nõ est me dignus, &c.

Hi quoque vt viderunt priores sequentes Christum, merito sequuti sunt & ipsi, quorum exemplo docemur & nos imitari eos & sequi, quos videmus post Christum

Philipp. 3. ire. Cum bonis ambula, inquit Cato. Et Apost. Obseruate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.

EPIL

EPILOGVS.

1 *Hic primatui Petri sacerdotali q; ordini, qui pontificiæ auctoritatis est, præludium præmittitur: ne tãti ponderis res, tot hostes habitura, certis & iis grauissimis auspiciis carere videatur. Aderat namque tempus quo chorum aliquẽ discipulorum colligeret, quos familiares haberet, & testes omnium quæ faceret & diceret, quos tandem in suum locum sufficeret & per quos alios deinceps doceret. hinc Apost Hebr. 2. Quæ cùm initium accepissent enarrandi per dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata sunt.*

2 *Noluit dominus Euangelij gloriã & vllis mũdi præsidiis inquinari, vnde non philosophos, non Regũ filios, nõ Pharisæos, nõ sacerdotes, non opulẽtos elegit aut misit, sed teste Hieronymo, Piscatores & illiterati mittuntur ad prædicandũ, ne fides credentiũ non virtute dei sed eloquentia atque doctrina fieri putaretur, & humiliemur omnes docti & indocti. Nam quæ infirma sunt apud homines, fortia sunt apud Deum. 1. Cor. 1. Mittuntur non ad capiendos nummos, sed homines.*

3 *Plenã conuersionis & obedientiæ formã ad Deũ, discere licet ex his quatuor Apostolis, secundũ duas partes iustitiæ, declinando à malo & faciendo bonum. Psal. 36. Qui etiam occasiones reliquerunt peccatorũ scilicet suæ. Matt. 19. Luc. 14. suos. Luc. 14. Matt. 10. denique seipsos. Luc. 14. Marc. 8. Matt. 16. Relictis retibus & patre secuti sunt Iesum.*

Conuersionis & obedientiæ forma.

IN FERIIS DIVI NICOLAI Episcopi Epistola.

Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, &c. Finis, Odorem suauitatis.

Eccle. 44. & 45.

IN hac Epistola beatus iste Christi cõfessor de tribus ab Ecclesia magnificè commendatur, quemadmodum olim sancti patres vet. Test. à synagoga commẽdati sunt.

D. Nicolaus à tribus commẽdatur.

1 Primum est veneranda sacerdotalis dignitas, Quæ notatur cùm dicitur: *Ecce sacerdos.* Tria sunt autem quæ ad sacerdotale munus pertinere noscuntur, videlicet. 1. Populum docere: de quo per Ezechielem 44. dominus loquitur, dicens, Sacerdotes populum meum docebunt, quid sit inter sanctum & pollutum, inter mundum & immundum, ostendẽt eis. Et rursum per Malachiam. 2. cap. dictum est; Labia sacerdotis custodient scientiam,

Tria ad sacerdotale munus pertinent.

& legem requirent ex ore eius. Hinc Leuit.13.inter lepram & non leprā iudicandi facultas solis sacerdotibus per legem data est. Debet autē sacerdos docere quid faciendū, quid fugiendū & prudēter quid pollutū sit, quid sanctum discernere, quid proinde credendum sit, & quid sperandum. Debet quoque docere populum sacerdos non ex proprij sensus adinuentione, sed ex præscripto legis Dei. Vnde ad Mosen à domino dictum est, Dabo tibi duas tabulas, & leges ac mandata quæ scripsi vt doceas filios Israël. Per duas tabulas vel legem veterem & nouam, vel duo charitatis præcepta possumus intelligere. Talis doctor Esdras olim fuit, de quo scriptum est Nehe.8.quod attulit legem coram multitudine virorū & mulierum, & aures omnis populi erant erectæ ad librum. Stetit autem Esdras super gradum ligneū quem fecerat ad loquendum, vnde etiam super omnem populum eminebat. Et legit in libro legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum, & intellexerunt quum legeretur. Debet quippe sacerdos docens non modo situ corporis, sed multo magis sublimitate mentis terrena trāscendendo supra vulgus eminere ne iure queratur propheta, dicens, Sicut populus, sic & sacerdos.

Quid docere debeat sacerdos.

Tabulæ duæ & quid per eas intelligendum.

Isa. 24.

2 Acceptum Deo sacrificium offerre. Considerandum hic quosdam esse sacerdotes morales, & quosdam peculiares seu ministeriales. Primis per B. Petrum. 1.can. 2. dicitur: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis (totam nimirum Ecclesiam sacerdotium sanctum compellans) offerentes, inquit, spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum. Et Paulus ait, Hebr.13. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. talibus enim hostiis promeretur Deus. Exhibeatis iterum, inquit Rom. 12. corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Quibus etiam per propheram dicitur: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in domino. Quæ non solum ad sacerdotes peculiares seu ministeriales dicta sunt, sed ad Christi fideles vniuersos. debemus ergo pro peccatis nostris offerre domi

Sacerdotes morales, sacerdotes peculiares seu ministeriales.

re domino non modò nostra, vti quondam faciebat Israël secundum carnem, sed nosipsos. Si quidem de corde nostro offerre debemus peccati detestationem, & propositum vitæ melioris, de ore admissorum humilem confessionem, precationem, gratiarum actionem, & vocem laudis. De corpore vero mortificationem membrorum nostrorum quæ sunt super terram. Colos. 3. & spontaneæ crucis quotidianam baiulationem. Matth.16. de ea nihilominus quæ extra nos est temporali facultate, promptam & hilarem in pauperes erogationem. Prouerb.3. Honora dominum de tua substantia, & de primitiis omniū frugum tuarum da pauperibus, &c. Considerandum tamen hæc sacrificia Deo minimè placitura, nisi fiant secundum legis præscriptum, hoc est, sine pelle ostentationis & iactantiæ. de qua Matth.23. dicitur, Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus. Nam tales hic recipiunt mercedem suam, Matth.6. Sine melle propriæ complacentiæ, propter quam Pharisæi decimæ & ieiunia domino non placuerunt, sicut patet, Matth.18. cùm iuxta sententiam B. Iob impietas sit maxima. Iob.31. Sine felle iracundiæ, odij seu cuiusquis amarulentiæ, quia dominus in Euāgelio dicit, Matt. 5. Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, &c. Sine fermento cuiusuis peccati & irrequietæ conscientię, sicut docet Apostolus 1. Corint.5. Auferte, inquiens, malum ex vobis, &c. Debet proinde secundum eiusdem legis typum oblatio nostra nonnullis fulciri circunstantiis, vt sit accepta. Leuit.2. Debet fieri primò cum thure orationis, iuxta Psal. Dirigatur, inquit, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo domine. Debet fieri cum sale discretionis, vt ne quid nimis, sed rationabile obsequiū nostrum. Roma.12. Debet fieri cum sanguine, id est, recordatione passionis & effusi sanguinis Christi domini redemptoris, nō enim nisi per virtutem oblationis suæ, prodesse nobis potest, aut esse Deo gratū quicquid obtulerimus patri. Ipse est enim altare nostrum, super quo solum legitima Deo sacrificia possunt offerri. Nam sine fide impossibile est placere Deo, Hebr.11. Debet tādem fieri nostra oblatio cum capite & cauda, Leuit.3.& 22.

Pro peccatis offerendis & quomodo.

Quæ sacrificia deo minimè placent.

Leuit.2.

Oblatio quibus circunstātiis fulciri debeat.

quo nimirum perseuerantiæ virtus commendatur. Non enim qui quantumlibet bene inchoauerit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit, Matth. 10. Et hęc de sacerdotibus moralibus & sacrificio eorum.

Sacerdotes ministeriales qui.

Porro sacerdotes peculiares seu ministeriales sunt, qui ad ministrandum in Ecclesia sunt legitimè consecrati, quorum munus sine graui sacrilegio sibi vendicare non potest, quisquis hoc modo sacerdos non est. Patuit hoc olim in Ozia rege. 2. Paralipo. 26. qui plaga leprę à Deo percussus & à regno abiectus est, quia inconcessum munus sacerdotis elatus superbia in domo domini vendicare sibi non timuit. Sacerdotibus istis per Zachariam 2. cap. Dominus loquitur, dicens, Qui vos tangit, quasi pupillam oculi mei tangit. Quibus & per semetipsum ait, Luc. 10. Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. In fauorẽ illorum Deut. 17. scriptum est, Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat, ex decreto iudicis morietur homo ille. vt nullus deinceps intumescat superbia. Quòd insuper à populo sustentandi sint, Deut. 18. exprimitur. Non habebunt sacerdotes & Leuitæ partẽ & hæreditatem cum reliquo Israël, quia sacrificia domini & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum. Dominus enim ipse est hæreditas eorum, Hinc etiam per Oseã dicitur. 4. cap. Peccata populi mei comedent.

Tertiũ munus sacerdotale.

3 Ad sacerdotale munus pertinet, populum peccatorem precibus & sacrificio Deo reconciliare. Vnde Leuit. 4. legitur. Si omnis turba filiorum Israël ignorauerit, & per imperitiam fecerit contra mandatum domini, rogante pro eis sacerdote propitius erit eis dominus. Si peccauerit princeps, & fecerit quod lege domini prohibetur, rogabit pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Quòd si peccauerit anima per ignorantiam de populo terrę, vt faciat quicquam de his quę domini lege prohibentur, atque delinquant, & cognouerit peccatum suum: rogabit pro ea sacerdos, & dimittetur ei. Hinc rursus de eisdem Ioel. 2. dicitur. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri domini, & dicent. Parce domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem

reditatem tuam in opprobrium vt dominẽtur eis nationes. Itaque veri sacerdotis munus est diuinam clementiam pro peccatoribus interpellare. Hoc munere functus est Moses Exod. 32. orans pro populo. Vnde & in laudem eius decantat Sirac. In tempore iracundiæ magni est æstimatus, hoc est, factus est reconciliatio. Et quantùm valeat pro populo sacerdotis deprecatio, patet Nume 16. in Aarone, qui cùm ex iussu Mosis cum thuribulo medius inter Deum & populum, & inter mortuos & viuentes cucurrisset: plaga cessauit. His tribus muneribus sacerdotalibus peroptimè functus est in Ecclesia B. Nicolaus.

Sacerdotis verimunus est diuinã clemẽtiam pro peccatoribus interpellare.

2 Secundum est magnitudo virtualis huius B. Confessoris Christi, quæ notatur in hoc verbo, *Magnus*. Quocirca considerandum est triplicem esse magnitudinem, à qua homines diuersimodè magni denominantur. Vna est magnitudo corporalis, qua illud dicitur magnum, quod est mole corporis distentum: à qua quidem magnitudine nullus sanctorum commendatur, quasi propter illam sanctior, imò potius magnitudo hæc in hominibus plerunque impedit sanctitatem. Mens enim tanta mole carnis grauiter hebetatur, sicut scriptum est Eccl. 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & quanto nutritur impensius, tanto graviora bella molitur aduersus spiritum. Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.

Magnitudo, virtualis triplex. Corporalis.

Alia est magnitudo moralis, qua illos dicimus magnos, vel qui magnis suffulti sunt diuitiis, vel magnis sublimati honoribus, vel magna vigent potẽtia: aut magni nominis vmbra, aut magna nobilitate, vel quauis alia humana seu mundana dignitate, quasi magni vulgi opinione celebrantur. Hinc de B. Iob, vbi diuitiarum eius mentio agitur, sic scriptum est, Iob. 1. Erat vir ille magnus inter omnes orientales. Hac etiam magnitudine grandis ille erat, cui dicitur à domino per Nathan prophetam 2. Reg. 7. Feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. Hæc quoque magnitudo non modò ad sanctitatem non proficit, sed potius aduersatur sanctitati. Sicut patuit in Salomone 3. Reg. 11. cui diuitiarum & voluptatum magnitudo, exi-

Moralis.

tium pepererũt: per hæc enim deprauatum est cor eius.

Spiritualiu. Est proinde magnitudo spiritualis, quæ ad similitudinem dictarum magnitudinum accipitur, qua magnos dicimus, qui magnas & multas animi virtutes quasi opes habent spirituales. hac magnitudine sancti denominantur magni. Sic nimirum ab hac magnitudine mulierem fortem atque prudentem Salomon commendat, dicens, Prouerb. 31. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Et sicut corpus aliquod magnum dicitur à latitudine, longitudine & profunditate, sic spiritus suo modo hac trina dimensione moraliter intellecta, magnus censetur, qui videlicet habet lõgitudinem, latitudinem, & profunditatem, de qua pulchrè agit Apostolus Ephes. 3. qui eadem Epistola cap. 4. vult nos adolescere in virum perfectum, & crescere in illo per omnia, qui est caput Christus. Idem vult B. Petr. 1. cano. 2. cap. Ad hanc magnitudinem creuit. S. Nicolaus.

3 Tertium est acceptabilitas. si sic dici fas sit, seu gratia corã Deo, qua Confessor hic beatissimus fuit Deo acceptus, quæ notatur cum dicitur, *Qui in diebus suis placuit Deo.* Contingit autẽ placere hominibus, sibiipsi, & Deo.

Quoniã autẽ hominũ quidã mali, & quidã boni sunt: Prauis hominibus non nisi malis artibus & scelere placere quis potest? Nullos enim approbant aut diligũt nisi studiis suis & vitiis conformes. Vnde Apost. Galat. 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Bonis autẽ placere propter finẽ bonũ (quale est fomentũ mutuæ charitatis) commendabile est. Vnusquisque, inquit Paulus, proximo suo placeat in bono, Rom. 15.

Placere sibi ipsi, quid. Porro sibiipsi placere vanũ, & coram Deo detestabile est. Id enim est osculari manũ propriã, quod secũdum B. Iob sententiã est impietas maxima, & abnegatio contra Deum altissimum, Iob 31. Talis erat qui ait: Non sum sicut cæteri hominum, &c. Matth. 18. Sed qui se existimat aliquid esse quum nihil sit, ipse se seducit, Gal. 6.

Placere Deo. Placere autem Deo, appetere debet homo super omne præmium, etiam si propter hoc cæteris omnibus displiceret. hoc enim appetere, ambitio sancta est Nam Dei gratia summis studiis est ambienda. hoc rogat, hoc ipsum obsecrat Apost. 1. Thess. 4.

Possu

Possumus autem Deo placere in diebus nostris, id est, ad vsum nobis concessis. Qui nimirum nostri idcirco dicuntur, quòd iis vtimur prout libet, siue in bonis operibus, siue malis. Dies isti ad æternitatẽ collati, breues, imò quasi momẽtanei sunt. Cõpleuit autẽ sanctus iste Christi confessor hos dies suos in bono, & annos suos in gloria.

Tres Deo peculiari - ter placuerunt. Tres, scriptura teste, cognouimus Deo peculiariter placuisse: Enoch, de quo scriptum legimus Gene. 5. quòd cũ Deo ambulauit, & translatus est in paradisum. Noë, qui fecit omnia quæ præcepit ei Deus, & iussus à domino fecit arcam. vt hominũ atque cæterorũ semen animantiũ ab aquis diluuij saluaretur in ea, Gen. 6. Et Abrahã, qui Deo placuit, & gratiam inuenit coram eo. Nam ad præceptum domini terrã suã, & cognationẽ, & domũ patris sui relinquẽs, venit in terrã peregrinã. Cõtra spem proinde in spem credidit, nec hæsitauit diffidentia, quum illi Deus, quæ videri poterãt impossibilia, polliceretur, quòd videlicet ex vxore sterili & iam tunc nonagenaria viro centũ annorũ filius nasceretur Gen. 12. 15. & 18. Horũ itaque exẽplo possumus & ipsi Deo per tria placere. *Deo per tria placere possumus.* Primò, Dei mandatorũ obseruatione, cũ Enoch: qui, vt dictũ est, cũ Deo ambulauit, de virtute in virtutem proficiendo: vt sicut ille in paradisum raptus est, ita & nos, si velimus ad vitam ingredi, seruemus mãdata, Matth. 19. Secũdo propriæ cõscientiæ ædificatiõe, exẽplo Noë arcam saluationis ædificãtis. Hæc enim arca cõscientiã bonam & mundã nõ absurdè significat, quę nimirũ saluare nos potest, ne in æternæ perditionis abyssum demergamur. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra, 1. Thess. 4. Denique placere Deo possumus fide recta, & firma in Deum spe, exẽplo Abrahæ. quod vtique fiet, si terrenarum rerum amorem derelinquentes, populũ nostrũ & domum patris obliuiscamur, verbo Dei plenissimam accõmodantes fidem, etiã in his quæ nõ videntur, sicut ille credidit Deo filiũ sibi Isaac promittenti. Reliqua industrio Concionatori perserutanda cõmittimus. *Arca Noë quid dene sat.*

EPILOGVS.

1 *Quemadmodũ Iesus Siracus in calce sui libri Veteris Testamenti heroas laudibus in cælũ euehit, ita nimirum Ecclesia instinctu spũs sancti, diuos suos multis encomiis celebrat.*

Nec id absurdè, cùm etiã Turcæ spiritu Dei sacui, imò etiã Sarracẽi, non solùm sanctos patres eos, Enochum, Abrahamum, Mosen magnificiant, sed & noui Testamenti plerosque iuxta Ecclesiæ cantica reuereantur Rectos decet collaudatio, inquit Pal. 32.

2 *Ecclesia laudat sanctos patres, ad confirmandam legitimam vitam & ad instituendos eorum exemplo nostros mores, vt iuxta Poëticum dictum, Patres sequantur suæ proles.*

Quis cultus Deo gratus exhiberi potest.

3 *Nullus cultus diuis gratior exhiberi potest, quàm vt Christianus quisque pro virtibus studeat sese conformem reddere sanctis illorum moribus, ne frustra gloriemur de patribus nostris, quemadmodum olim Iudæi falsò se iactitabant de patre suo Abrahamo, cuius sanctissimæ vitæ nec minimum apicem consequuti sunt, Ioan. 8.*

IN FERIIS EIVSDEM

Euangelium.

Luca 19. *In illo tempore dixit Iesus turbis parabolam hanc. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti, &c. Finis Euangelij, Et interficite ante me.*

HIus Euangelij parabola complectitur tria.

1 Primò prudẽtiam nobilis patrisfamilias. qui res suas prudenter administrat, ne ipsi sint damno, sed magis emolumento.

Christus paterfamilias.

Est autem hîc paterfamilias dominus noster Iesus Christus rex regum, & dominus dominantiũ, Apoc. 19. Qui per suam passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem, in longinquam regionem, hoc est, in cælũ profectus est, vnde in die iudicij reuertetur. Act. 1. Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quẽadmodum vidistis eum euntem in cælum.

Quæ Christus ante ascensionẽ fecerit.

Fecit autem tria ante suã profectionem: Primũ vocauit decem seruos suos, hoc est, Apostolos, Episcopos, Pastores ac reliquos operatores suos. Secundò dedit & distribuit illis bona sua, nempe, vnicuique donum suum, vt docet Paulus 1. Corinth. 12. Tertiò ait illis, Negotiamini dum venio: vt cùm rediero, recipiam à vobis pecuniam meam cum fœnore. q.d. Hæc mea bona vobis trado, non vt prodigatis, vel seruetis apud vos otiosa, sed vt negotiatione crescat, videlicet vt reuersus reperiã rem adauctam. Huic dominicæ sententiæ consonat verbum Petr. 1. cano. 4. cap. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Vnusquisque in sua vocatiõe negotiari bona fide debet.

Si legitimè & bona fide, inquit, vnusquisque in sua vocatione negotiemini, non pœnitebit vos facti, sed amplissima præmia vos manẽt. Si verò negligẽter, fraudulẽter & illegitimè vnusquisque in sua vocatione negotiemini, pœnitebit vos facti, & in corpore & in anima pœnas daturi estis. Sic enim ait Paul⁹. 2. Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonũ siue malũ. Et B. Athanasius in symbolo: Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationẽ. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, &c. Ioan. 5.

Nemo enim hominum in terris agit adeò infirmus, tenuis fortunæ, exiguus & vilis, qui non à Deo gratuitum aliquod beneficium & donum acceperit, de quo ratio reddenda est ipsi, quo modo eo vsus sit. Ephes. 4. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.

2 Complectitur mores & ingenium seruorum fideliũ & infidelium. Sunt autem serui fideles, qui diligẽter officio suo perfunguntur, agẽtes quæ ipsos decet, & rerum suarum interest, & seriò res suas agunt: imò ad singulas horas dominũ suum expectãt, quãdo sit vẽturus. Luc. 2.

Serui oscitantes.

Sunt autem serui infideles, qui negligenter & oscitãter officio suo perfunguntur, non agentes quæ ipsos decet, & rerum suarum interest, sed absente domino suo belluinam agunt vitam, vorando, ingurgitando, dilapidando, & multorum peccatorum sunt authores, loco pœnitentiæ abutentes in superbiam, Iob. 24.

Fideliter agunt qui ad credendam rationẽ sunt semper parati.

Agunt autẽ fideliter, qui ad reddẽdam rationem sem per parati sunt: Exemplo sunt Samuel propheta fidelis domini 1. Reg. 12. Dauid fidelis rex Iuda & Ierusalem, Psal. 88. Act. 13. Salomon rex filius Dauid, magnificum extruxit templum, atque præstantissimũ instituit cultũ, 3 Reg. 6. & 8. 2. Paral. 6. Prophetæ qui mãdata domini populo

populo prædicarũt, Isaias, Ieremias. Christus ipse seruus seruorum, qui venit omnes homines saluos facere: & diuina illa dona, quæ in plenitudine accepit, cum fœnore patri reddidit. Apostoli quoque, qui fuerunt fideles serui domini, prædicantes & docentes omnes gentes pœnitentiam in remissionem peccatorum, Luc. 24.

Infideliter agunt qui officio sibi cõmisso abutuntur.

Infideliter autẽ agũt, qui officio sibi cõmisso abutũtur, persequendo & profligando conseruos & domesticos.

3 Præsens Euangelica parabola complectitur mercedem bonorum & malorum. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, ait Apost. 2. Corinth. 3. Redeunte enim Christo summo iudice in nouissimo die, quatuor genera hominum coram eo apparebunt: nempe, tres serui, quarto, ciues immorigeri, à quibus exiget rationem. Nam ad primum seruum, qui vna mina decem lucratus fuerat, dixit, Euge serue bone & fidelis, &c. Ad secundum, qui vna mina quinque lucratus fuerat, dixit, Euge serue bone, &c. Ad tertium, qui minam domini absconderat in sudario, dixit, Serue nequam, &c. Et astantibus dixit, Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet, &c. De ciuibus illis immorigeris dixit: Verũtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.

Hæretici notantur.

Hi serui & ciues adumbrãt quatuor genera hominũ.

Primus seruus significat homines qui donis suis, nempe, fide, charitate, spe, iustitia, scientia, humilitate, ac reliquis pro virili vsi sunt ad dei honorem, & proximi commodum, adeo vt auxerint dei succurrente gratia suam iustitiam, donec videant deum in Sion, Psalm. 83. In hoc genere sunt Moses, Patriarchę, Prophetæ. Apostoli, Paulus, Stephanus, atque martyres, qui fuere fideles dispensatores mysteriorum Dei 1. Cor. 4.

Doctrina pro ministrũ diuini verbi.

Secundus seruus significat homines qui in syncera fide & charitate officium suum faciunt, & inculpabilem vitam agunt, omnibus bonum præbentes exemplum. 1. Timot. 4. In hoc genere sunt prisci illi Patres, Ecclesiæ lumina, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Chrisostomus, Cyrillus, &c.

Tertius seruus significat homines qui vocationẽ suã negle

glectui habent, aliud agẽtes, quàm à domino ipsis est mandatum: qui verè bona opera diuinitus præcepta omittentes, vitã in peruersis ac vitiosis operibus trãsigũt. In hoc genere sunt Iudæorum pontifices, Pharisæi, Sadducæi, & mali Episcopi, atque peruersi pastores nostri temporis, ac denique omnes tum sacerdotes, tum seculares, qui quæ suæ sunt vocationis, negligunt.

Hæretici verbũ dei contemnũt & ecclesiam.

Ciues inobedientes sunt hæretici, qui verbum dei cõtemnẽtes, Ecclesiam sponsam Christi, fidelium matrem criminantur, & contumelia afficiunt, Euangelium corrumpunt, veritatem persequuntur, miseras animas rudiũ seducunt ac perdũt. Hi dicunt se nolle habere Christum qui regnet super eos, sed diabolum. In hoc genere sunt Iudæi, apostatæ, Turcę, Mauri, Gentes, Lutherani, Brentiani, Caluinistæ, Anabaptistæ, ac reliqui hæretici. Quamuis enim hæc parabola peculiariter notare videatur Iudæos, qui dixerunt, Non habemus regem nisi Cæsarem, Ioan. 19. concludit tamen omnes qui non obediũt Euangelio, qui pœnas dabunt in interitũ æternas, à facie domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. 2. Thess. 1. Et Apoc. 21. Timidis autem & incredulis & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus, pars illorũ erit in stagno ardenti igne, & sulfure, quæ est mors secunda.

Serui fideles.

Ex his ergo fideles serui honorificè commendantur verbis, deinde amplissimis præmiis remunerantur, Luc. 12. Beati serui illi, quos cum venerit dominus: inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, &c.

Serui infideles.

Infidelis seruus verbis asperis increpatur, & ab eo quicquid habet auferetur, aliique traditur: vt nihil retineat, nihil quoque præter iram & inclementiam reportet. Ignauus enim seipsum & dono reddit indignum, & merito ac præmio sempiterno.

In hæreticos iudicium.

Ciues immorigeri, hoc est, contemptores & persecutores verbi & Ecclesiæ Christi, occiduntur pœna ignis æterni. Pronunciabit enim Christus in eos sententiam, Discedite à me maledicti in ignem æternum. Ad fideles autem dicet, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: nempe,

vitam

vitam ęternam. Matth.25. Nemo ergo negligat gratiã quę in eo est. 1.Timoth.4. Sed dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, Gala.6.bonum autem facientes, non deficiamus. tempore enim suo metemus non deficientes.

EPILOGVS.

1 *Parabola de homine claro, de regno Christi agit: hoc est, de regno Euangelico, in quod sermone prædicationis publicani, meretrices, milites, Græci, Romani, Scythæ, Galli, Gotti, Sarmatæ, Germani, ac omnes sunt attrahendi. Hinc & Agarenice & Arabice nobis studendum esset, ne quid dicã de tribus celebribus linguis, Hebræa, Græca & Latina, vt Turcas & Agarenos aliquãdo in obedientiam fidei attrahere possemus: fides enim per auditũ fit, cui inseruit lingua. Et pudor est ingens, cũ duodecim Apostoli ceu fermentum in tria sata farinæ positum, totum orbẽ fermẽtarint, quod nos Christiani innumerabiles adeo parũ aut sanè nihil fructificam⁹.*

2 *Potest etiã Regio longinqua Ecclesia gentium aptè intelligi. Nam præclarus ille homo Christus abiit vt plenitudo gentium intraret, reuertetur vt omnis Israël saluus fiat, Ro.11.*

3 *Doctrina pro ministris verbi, vt in negotio prædicationis Euangelicæ simus quàm maximè fideles & industrij, & multos lucrifaciamus Christo, sic reportaturi immarcesibilem coronam, cùm princeps pastorum redierit Christus Iesus verus homo nobilis & clarus. Alioqui Dei manus amittit, qui habens non habet, id est, eo non vtitur: & eo augetur qui habens habet, id est bene vtitur.*

IN FERIIS CONCEPTIONIS beatę Mariæ semper virginis, Epistola, & Euangelium quærantur in festo Natiuitatis eiusdem.

Ephes.1. 2.Cor.1. 1.Pet.1. *In feriis diui Thomæ Apostoli, Epistola. Benedictus Deus & Pater domini nostri Iesu Christi, &c. Finis Epistolæ. In dilecto filio suo.*

PEricope illa, qua per gratulationem D. Paulus pro solẽni suo modo exorditur, quoque digna est, quæ Apostolicæ recordationi deputetur. Nam & summam & vtilitatẽ Apostolicæ

stolicæ prædicationis pulchrè tradit, & de nostro nos officio, nempe gratiæ celebrationis, simul docet. Ordo ita habet.

Beneficia Dei maxima in euãgelio prædicantur.

Cùm in Euangelio prædicentur maxima Dei beneficia, loquitur diuus Paulus.

1 De ipsorum genere, quæ & qualia sint, nimirum quo ad numerum cumulatissima: quo ad formam solidissima: & quo ad gradum eminentissima, quando ait, Deus benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælestibus. Idque probat vna voce, Christo. Nam reuera dato Christo, dantur nobis talia, nempe, Dei lucidissima iucundissimáque patefactio, nostri à peccato, lege, morte, inferno, sathana, & ira Dei, liberatio. Vtrorũque planè optatissima & firmissima inter se coniunctio, cùm & Deus homo factus sit, & homines propter Christum diuinitatis atque omnis opulentiæ eius sint consortes: vel vt Paulus ait, dantur nobis dato Christo, sapientia, iustitia, sanctitas, & redemptio. 2.Pet.1. 1.Cor.1.

Talia nusquam habet mundus, cuius bona sunt paucissima, vnde nunquam satiant: sunt fallacissima, vnde σκιαι, vmbra, bulla, fumus appellantur. sunt abiectissima, vnde nihil nisi terram sapiunt, subque terram trahunt: æque Moses talia præbet, vt qui pius minarum quàm promissionum habeat: quódque habet, nõ de suo, sed de Christo habeat: velis, typis, vmbris & figuris gaudeat, pædagogica bona, Chanaan, mel & lac, & cætera temporalia atque corporali: magis vrgeat. Rectè igitur Paulus in Euangelio ait exhiberi copiosissima, syncerissima, præstantissimáque bona. Eccl.1.& 2. 1.Tim.6.

2 Paulus loquitur de ipsorum beneficiorum donatione, quomodo nobis dentur. Vbi ista perpendenda. 1. Initium eius liberalitatis, quando nimirum cœperit. nunquam autem cœpit: ab æterno sumus electi ad salutem, & prædestinati ad salutis dispensationem, aut rerum temporum, id est, mundi fabricationem.

Dei natura quid.

E quo cernitur. 1. Dei natura, quum hæc nihil aliud sit, quàm ardentissimus amor ato; charitas, vt Ioannes ait. 1.Ioan.4.

Opus Dei.

2 Dei opus ante creationem. Quæritur, quódnam sit? Respondeo, vnigeniti filij generatio, & cæterorum filiorum adoptatio. Quanta verò illa est fœlicitas, quàm

quàm inexplicabilis nostra gloria. 3. Salutis certitudo, vt quæ ratione largientis nũquam cœperit, ex æterno fiuu semper fluxerit. Absit ergo Sophistarum anxia hæsitatio. 4. Meriti prætexendi vanitas etenim cùm natura nostra præuertatur, quidni omnis etiam nostra dignitas excludatur? valeat ergo sophistarum tumida arrogantia.

2 Causa, quæ deum impulerit, ipse sese Deus, ob beneplacitum suæ voluntatis, & immensum pondus opulentæ suæ gratiæ. Inde igitur primò salus nostra validissimè stabilitur. Nam quandiu Deus ipsum sese non impugnat, id est, deus est, immota manet etiam nostra salus. Vbi igitur denuò horum sophistarum dubitatio? Secundò, omnis dignitas siue præsens, siue secutura, hinc excluditur. vbi igitur denuo Sophistarum gloriatio?

3 Medium, per quod tanta bona obueniant. Solus nempe Christus, in quo naturali filio sumus adoptati, gratioso adamati, obsequente expiati.

Finis ad quẽ donatio referenda, duplex.

4 Finis ad quem donatio referenda. Est autem duplex: Prior, quo ad nos, videlicet sanctitas, eadémque inculpata per dilectionem. Hinc ergo sanctitas 1. non est causa salutis, sed cùm finis, quia exigitur: tum effectus, quia per spiritum Christi efficitur. 2. Nulla est extra Christum, atque electorum cœtum. 3. Non extinguitur, vt nonnulli conqueruntur, sed accenditur prædicatione electionis atque Euangelij. 4. Necessaria est, nec sub prætextu electionis omittenda. 5. Vera, non fucata sit oportet, vt quæ ambulet corã domino. 6. Feruida, non inutilis sit oportet, vt quæ charitate constet, non externo habitu.

Posterior, quo ad deum: videlicet gloria gratiæ Dei, quia nec creatio neque sustentatio sic illustrant gratiam Dei, sicut nostra beatificatio. Et hic supremus finis est, vt cuncta à deo fluant, inque deum refluant. Atque hic Apostolus propter maiorem vehementiam bis per ordinem hunc decurrit, semper initij, causæ, medij, finis alicuius mentionem faciens, vt in textu vides.

Porrò hac doctrina quid succinctius, certius, & perpetua celebratione dignius? Nihil quidem fuimus, sed electi fuimus, vt essemus per creationẽ, vtque bene beatéque

téque haberemus per vocationẽ, in qua Christus, cúmque Christo omnia offeruntur: ea tamen lege, vt sanctè ambulemus, nõ quo quicquam mereamur ex nobis, sed quo partis perfruamur. magna igitur est & nostrę fœlicitatis, & benignitatis Dei gloria: nos vtranque semper prædicemus. *Rom. 6.*

ETILOGVS.

1 *Salus nostra ex electione Dei, vt qui gloriatur in domino glorietur. 1. Corin. 1 vt sciant sancti se non posse excidere.*

2 *Electionem sequitur recta & Deo placens vita, in qua fides per charitatem operatur. Nam fideles vocationẽ & electionem suam firmam faciunt operibus fidei, 2. Pet. 1.*

3 *In Christo dilecto filio Dei, est redemptio per sanguinem eius, in remissionem peccatorũ, ne quis glorietur in operibus.*

IN FERIIS EIVSDEM APOstoli Euangelium.

In illo tempore: Thomas vnus ex duodecim, &c. Finis Euangelij: Beati qui non viderunt & crediderunt. *Ioan. 20.*

Historia huius Euangelij continet tria.

1 Primò, incredulitatem Thomę, quę elicitur ex tribus: 1. Conuersatus diu cum Christo, eius diuinas conciones audiuerat, miracula viderat, Christúmque suam mortẽ prędicantẽ audiuerat: Filius hominis crucifigetur, & tertia die resurget. *Luc. 18.*

2 Audierat à mulieribus dominum resurrexisse. *Luc. 24.*

3 Audiuerat quoque à condiscipulis quòd dicerent, Vidimus dominum, Ioan. 20. Sed hęc omnia obstinato animo negabat, dicens, Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. non credam. Non enim considerabat Dei potentiam, nec recordabatur verborum domini, quibus passionem & resurrectionem prędixerat. Vnde suspicabatur illos ludificatos fuisse aliquo phantasmate, & ideo negabat se crediturum, nisi testibus oculis & manibus. Hac responsione committit tria grauia peccata. *Mat. 16. & 26.*

1 Sentit de Christo, quòd sit simplex homo, qui semel mortuus nõ sit resurrecturus. 2. Arguit mulieres & di

scipulos mendacij. 3. Christi verba & miracula pro vanissimis nugis dicit.

Videntur hac ratione Pōtifices, Annas, Caiphas, Pharisæi & Scribæ maiorem fidem habuisse de Christi resurrectione, quàm Thomas. Nam crediderunt custodibus sepulchri, dicentibus Christum resurrexisse: dederúntque illis pecunias, vt dicerent quòd discipuli illum nocte furati essent: quod profectò nunquam fecissent, nisi custodibus Christum à mortuis resurrexisse affirmantibus fidem adhibuissent. *Matt. 28.*

Bonitas & solicitudo Christi erga Thomã.

2 Continet bonitatem & solicitudinem Christi erga Thomam, quæ deprehenditur ex tribus. 1. Apparet illius caussa, vt ipsum ad fidem adducat, & in eo articulū resurrectionis confirmet. 2. Sinit se tangi, & ait: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* 3. Facit ex incredulo beatissimū, Apostolum, ac certissimum resurrectionis suæ testem. Nam eius incredulitatem sciebat nō ex malitia, quemadmodum Phariseorum & Scribarū, sed ex infirmitate humana prouenire: ideóque eā sanare dignatus est, iuxta illud Psal. Quum ceciderit iustus non collidetur, dominus enim supponit manum suam. Licet enim superauerit passionem, non tamen compassionē amisit. *Psal. 36.*

Inspectio & contrectatio Thomæ in vulneribus & cicatricibus Christi quid nobis profuerint.

Nam inspectio & contrectatio Thomę in vulneribus & cicatricibus Christi, tam firmum ac solidum fundamentum fidei nobis iecit, vt deinceps vltra nemo hominum de resurrectione Christi dubitare posit. Vnde Gregor. pulchrè hic rationē reddit, quam ob caussam Thomas abfuerit quando venit Iesus. d. Ideo defuit Thomas, vt post veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpando crederet, & vt dum vulnera tangeret magistri, in nobis cicatrices curaret infidelitatis. Plus enim nobis incredulitas Thomæ profuit, quàm reliquorum subita fides, dum ipsius dubitatione animus noster est in fide confirmatus. Idē fermè adfert Beda. Thomas, inquit, qui dubitauit, mihi plus profuit, quàm Magdalena quę citò credidit. Sic diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. *Rom. 8.*

Noluit tamen Christus in hoc seculo sese singulis diebus, nationibus, vrbibus, pagis, & hominibus visibiliter conspi

conspiciendum & palpandum obiicere: sed selegit tantùm 40. dies post resurrectionem, in quibus voluit sese visibilem & palpabilem ostendere: non tamē cuiuis, sed solùm Apostolis, qui testimonium perhiberent in Ierosolymis, Iudæa vniuersa, & Samaria, denique vsque ad extrema terræ. Non erat missus in propria persona, nisi ad oues quæ perierant domus Israël, Matth. 15. Si roget quis, quare, Inscrutabilia sunt iudicia Dei, Rom. 11. *Act. 1.* *Act. 1.* *Luc. 24.* *Matth. 15.* *Rom. 11.*

Thomæ confessio.

3 Continet præsens historia confessionem Thomæ, & nostrā beatitudinem. Mox enim vt Thomas vidit Christum stantem in medio discipulorum: vt audiuit Christum dicentem: Noli esse incredulus, sed fidelis, vtque tetigit Christum, mittens manum suam in latus eius, respondit, dicēs: *Dominus meus, & Deus meus.* quasi dicat, Antè iudicaui te seruum omnium hominum, purum & simplicem hominem. Adeo te humiliasti, vt pedes nostros lauares: cæcis, surdis, mutis, claudis insei uires, leprosos mundares, à Iudæis volentibus mortem tibi inferre, non semel fugeres, & ab iisdem etiam te capi, ligari, duci, illudi, flagellari, iudicari, ac tandem cruci affigi permitteres: nullúmque in te diuinitatis argumentum superesse videbatur. Nunc autem per responsum tuum agnosco te esse non tantùm verum hominem, sed & verum dominum meum, & Deum meum, cui debeo omnem timorem, amorem, & honorem. Tanta nanque euidētia veritatis victus, corde credidit ad iustitiam, & ore confessus est ad salutem Romano. 10. Et quemadmodū prius fuit ad credēdum difficilior, ita nemo clarius Deū & hominem professus est. *Ioan. 13.*

Christus Thomæ fidē & confessionem approbat.

Ad hęc respondit Christus, *Quia vidisti me Thoma, credidisti, Beati qui nō viderunt, & crediderunt.* Quibus verbis, 1. approbat fidem & confessionē Thomæ, & occultè taxat incredulitatem & condemnationem Pontificum, Annæ, Caiphæ, Phariseorum, & Scribarū, Pilati, & Herodis: qui sæpius viderunt Christum, audierunt Christum, & conuersati cum Christo fuerunt: nec tamen crediderunt, sed infideles vsque in finem permanserunt. Hinc arguimur omnes, qui cùm simus Christiani, in Ecclesia baptizati, educati, nutriti lacte verbi Dei, cúmque frequenter viderimus Christum in sacramento Eucharī

stiæ, audiuerimus in Euangeliis, in Missis, aliisque diuinis officiis, conuersati simus cũ illo in sacramento confessionis, accesserimus ad diuinam eius mensam: nihilominus à peccatis non abstinemus, quin quotidie magis ac magis prolabimur in grauissima quoque peccata. Vtinam non puniamur cum Pilato, Anna, atque Caipha, &c. Si omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?

Hebr. 2. Deinde commẽdat fidem totius Ecclesiæ, & omnium
Fides totius Ecclesiæ. illorum qui Christum oculis & auribus corporeis non viderunt nec audierunt, & tamen verbo Dei & Euangelio Christi credunt: quibus vicissim hunc habet honorem, & prædicat eos beatos. Nemo ergo iam dicat, Vtinam fuissem temporibus illis, & Christũ vidissem. Nam si volumus diuini oris pronuntiatione esse beati, credamus, tametsi non viderimus, visuri quãdoq; gloriosiùs,
1. Pet. 1. quàm Thomas & alij. In quem quoque nunc non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Quam & nobis concedat Iesus Christus. Amen.

Verba hęc consolationis sunt plena, vt quæ sacramen
Matth. 13. tum magnum contineant. Nam Christus dixerat: Beati
Luc. 10. oculi qui vident quę vos videtis, &c. Poterant Christiani forsan tristari, qui post Christi ascensionem nati sunt, vt qui Christum non vidissent incarnatum, ob idque ex Christi sentẽtia dixissent se non fore beatos. At ne quis putet beatitudinem ex oculari corporis visione pendẽre, dicit nunc, *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Cre
Heb. 11. *Galat. 5.* dere enim oportet accedentem ad deum, &c. Beati eri-
Iac. 2. mus si credentes amauerimus. Aliàs fides sine operibus mortua est. Si autem ocularis corporis visio beatos faceret, beati fuissent Pilatus, Annas, Caiphas, ac reliqui crucifixores. At fides quę est oculus cordis, beatos facit.

EPILOGVS.

1 *Quàm noxium sit deesse bona cõgregationi, hic innotescit.*
1. Reg. 10. *Saul inter Prophetas simul prophetauit, discipuli in eodẽ lo-*
Act. 2. *co & cõ conglomerati Spiritum sanctum receperunt. Item.*
Ioan. 20. *Gauisi sunt & viso domino. Sed Thomas tanto dono priuatus fuit*

fuit, quia à sancto cœtu recessit. Primùm enim omnium gaudio priuatus est, quòd alias habuisset conspicatus dominum post tanta supplicia, & mortem ignominiosam, tanta cũ maiestate ex mortuis resurrexisse. Vnde Bernard. Falleris, inquit, ô Thoma, quãdo arbitraris te Christum inuenire extra cœtum sanctorum, qui semper est in millibus angelorũ. Partim tamen in hoc commendandus est, quòd non adeo longè segregauit s. se ab Apostolis, quin denuò reuersus sit. Quod vtinam imitentur animales illi qui setpsos segregauerunt, eiúsque exemplo reuertantur ad Ecclesiam Catholicam, audientes vocem sponsi. d. Reuertere Sunamitis, reuertere, &c. *Christus intra cœtũ sanctorum inuenitur.* *Cant. 6.*

2 *Dubitatio Thomæ profuit, quia electis omnia in bonum. Hinc enim plenius & diuinitatem & humanitatem Christi confitetur. d. Dominus meus & deus meus.*

3 *Tacitè vocationem gentium prædicit: Beati qui non viderunt & crediderunt. Hoc autem verbum summè nos consolatur, quòd scilicet hi qui Christum non viderunt, & tamen credunt, æquè saluandi sunt, vt hi qui viderunt, imò tanto beatiores erunt, quanto minus viderant.*

IN FERIIS STEPHANI PROTOmartyris Epistola.

Stephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Finis Epistolæ, Cùm hoc dixisset, obdormiuit in domino. *Act. 6. & 7.*

IN hac Epistola B. Lucas Euangelista beatissimum protomartyrem Stephanũ à tribus magnificè commendat.

1 Primò, à cælestis gratiæ plenitudine, cuius certissima testimonia erant signa & prodigia quæ faciebat, cùm dicit: *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine.* Vult dicere, quòd habuerit fidem veram ac fortem, quòd ex toto corde & omnia credenda crediderit. Hìc admoneamur iam nos, vt & ipsi pleni ac fortes fide simus, non dubitemus de credendis, non oscitanter credamus, non solo ore & lingua fidem geramus. Corde enim (vt Paulus inquit) creditur ad iustitiam: & vult agnosci colique Deus in spiritu ac veritate. *Stephanus veram fidẽ ac fortem habuit.* *Rom. 10.* *Ioan. 4.*

Ex fortitudine verò fides cordis eius reluxit. Nã confessus est (vt ex longa illa oratione eius in concilio Sa-

cerdotum habita colligere licet) Iesum Nazarenum esse verũ Messiam patribus antiquis promissum, nec esse in re vlla salutem, nisi in hoc vno: Deum item non coli externo templo Ierosolymitano & cæremoniis sacrificiisque Mosaicis, sed fide, spiritu, ac vera vitæ innocentia. Hic igitur admoneri nos debemus primò, vt & ipsi fidem, quam tenemus corde, cõfiteamur ore coram omnibus: eo quòd ore cõfessio fiat ad salutem, teste Paulo.

Fidei nostræ scopus.

2 Vt præcipuus sit cõfessionis nostræ scopus, Iesum esse verum Messiam, & vnicũ orbis seruatorem, summúmque & verum Dei cultum placitum consistere in fide, ac innocenti vita, non in externis cæremoniis. sed hoc postremum ita intelligi debet, non quòd cæremoniis piis haud sit nobis vtendum, sed ne in his fiduciam collocemus. Nam nec Stephanus templum ac cæremonias Mosaicas per se damnauit, sed damnauit in Iudæis fiduciam in templum & cæremonias.

Proinde Euangelista dicit edidisse d. Stephanum prodigia & signa magna in populo. facultas edendorum signorũ seu miraculorum data est à Christo primis Christianismi extructoribus, vt iis doctrina Euangelica & fides in Christum apud incredulos confirmarentur: at posteaquã satis eæ confirmatæ essent, desierunt illa, neque necessaria amplius sunt. Verùm in horum locum spiritualia à nobis signa prodigiáque fieri oportet, quibus cordis nostri fidem testemur: quæ nempe erunt vita innocẽs, sancti mores, opera verè bona, charitatis & misericordiæ exercitia. Non minus enim hinc, quàm ex miraculis glorificabitur Deus, & conuertentur impij.

Facultas edẽdorum miraculorũ quibus primùm data.

Matth. 5.

1. Pet. 3.

2 Commẽdat B. Stephanum à claritate diuinæ sapientiæ, cùm dicit, *Surrexerunt autem quidam de synagoga quæ appellabatur Libertinorũ, & Cyrenensium. & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Asia, disputãtes cum Stephano: & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur, &c.* In eo siquidẽ illud impletũ est quod dominus antè promiserat discipulis. s. d. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Disputarunt cũ Stephano quinque Synagogistæ diuersarũ regionum, nec potuerunt tamen vincere illũ. Disputatio hæc ex inuidia orta est,

Luc. 21.

est, quemadmodum semper virtus seu egregia actio inuidiam habet comitem. Vt autem ea ex inuidia ortum habuit, ita in d. Stephani tetendit perniciem. Nam id vnum venabantur illi, vt confessionem eius disputando elicerent, electáque hac ipsum & confunderent & accusarent. Idem verò & nobis hoc in mundo expectãdum, si non (vt olim) à tyrannis, certè ab hæreticis & hypocritis. Verùm quemadmodum Stephanus non veritus est cõfessionem suam proderet: ita & nos parati esse semper debemus ad respondendum cuilibet petenti rationem de ea quæ in nobis est spe, cum mansuetudine & reuerẽtia. Idem enim spiritus qui in illo loquebatur, loquetur & in nobis: atque vt ille vinci non poterat, ita nec nos vinci sinet Deus.

Virtus habet inuidiã comitem.

1. Pet. 3.

Cæterùm subornarunt Synagogistæ falsos testes aduersus Stephanum, qui accusãbãt eum de quatuor blasphemiæ criminibus, dicentes eum blasphemasse Deum, blasphemasse Mosen, blasphemasse legem, & blasphemasse templum Dei, eáque occasione apprehenderunt illum, & adduxerunt in cõcilium. Ex quo videmus qũis improborum mos sit: quòd nimirum ij vbi veritati discedunt impares, & ratione nihil possunt, ad mendacia & violentam rabiem confugiunt: & vbi victi fuerint sapientia spiritus, ad diabolicas fraudes sese conuertunt. Verùm omnia falsò obiecta, sapiẽtia & fortissima Apologia confutauit, integerrima atque fidelissima confessione affirmãs se non blasphemum esse in Deũ, vt cuius gloriam vnicè prouehere sátagat, quem dixit loquutum fuisse patribus, eúmque vocat Deum gloriæ: neque in Mosen aut legem: quum eum quem Moses & lex prædicarunt, nempe Iesum Nazarenum, amplexus sit & confiteatur, & de Mose quòd amicus Dei, & de lege quòd à Deo data fuerit testatus sit: neque denique in templum, quum templũ illud honoret, cuius templum Iudaicum erat typus. Nempe templum spirituale, hoc est, Ecclesiã in Iesum Nazarenum credentium, & templum illud typicum dixerit Deo mandante constructum. Cuius confessionis suæ veritati Deus insigni miraculo attestatus est, quòd Stephani facies apparuit omnibus in concilio sedentibus tanquam angeli facies, tum in testimonium

D. Stephanus à Iudæis ĩ quatuor accusatur.

Improborũ mos.

Templum Iudaicum cuius erat typus.

Homines in quibus angelicæ assimilentur.

infusi sibi cælitus luminis sapientiæ, tum ad indicium suæ virginalis munditię. Per virginitatem enim angelis homines assimilantur: propter quod etiam ab ipsis Apostolis constitutus fuit in ministerio viduarum. tum ad confutationem Iudaicæ perfidiæ, qui etiam hunc quem

Mens sibi bene conscia, thesaurus insignis.

in angelica specie viderunt, interficere veriti non sunt, fidum nempe nuntium voluntatis Dei. Ex his etiam videmus quàm insignis thesaurus sit mens sibi bene conscia, quàm nullis hæc calumniis aut mendaciis commoueatur aut turbetur: vt nihil contrà cruciabilius pauidiúsque est animo malè sibi conscio. Atqui hinc monemur nos, vt & ipsi ita credamus, loquamúrque ac agamus, quò si fortè calumniis improborum impetamur, appareat facies nostra faciei Angelicæ instar, hoc est, in ipso etiam vultu reluceat mentis nostræ innocentia.

Vt autem sic se purgauit, omnem blasphemiam sibi impactam, in ipsos reiecit aduersarios: dicens, probánsque, tum patres eorum, tum ipsos quoque semper restitisse veritati, occidisséque iusti illius (Iesu inquam) confessores, non Apostolos tantùm, sed & Prophetas: ideóque ob illorum incredulitatem, & ciuitatem Ierosolymam & ipsum templum & totam adeò Iudæam demoli

Causa, quæ veritati innititur, defendenda.

tum iri. Hinc iam moneamur nos rursum, vt talem semper causam foueamus, quam solide possimus defendere, quæq; & veritati & iustitiæ innitatur. Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, ait Ecclesiasticus 4. cap. Sequitur: *Audientes autē hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.* Erant enim eorum corda vsque adeò repleta furore &

Dissecari cordibus.

libidine pium sanguinem effundendi, quòd dissecari, id est, in diuersum rumpi, vel secari posse putarētur, si non mox opere scelus adimplerent: nec non furore nimio, ferarum mordacium in morem, minaciter in eum dentibus stridebant, quasi impatientes moræ, quòd eum vel dentibus iam iámque discerpere non permitterentur. vnde & clamoribus magnis confessionem eius interceperunt, & impetum facientes in illum vnanimiter, eiecerunt denique eum è ciuitate, & lapidabant. Hic iterū

Mos improborum.

improborum morem videmus: quòd scilicet ij, quum ratione & solidis argumentis professores veritatis ac innocentes conuincere nequeant, à ratione ad irrationalitatem, à verbis ad verbera & tyrannidem progrediantur. Similem morem habes in Iudæis de Christo. *Ioan. 8.* Qui quidem mos tam longè à nobis abesse debet, vt ne semel in mentem vnquam veniat.

3 Commendat Euangelista. B. Stephanum ab inuicta animi fortitudine & patientia. Vnde passionis agone iam propinquante Spiritum sanctum tota mente concipiens, in cælum oculis pariter ac mente intendit. Et rectè quidem in cælum aspiciebat, qui in terris vndique premebatur. Verùm quum dominus Iesus (qui confessores fidelésque suos non deserit) diffidisset cælos, séque conspiciendum in gloria diuina exhibuisset Stephano: non tacuit ille, sed quod viderat, confessus est coram omnibus statim, vt vel aliquos adhuc Christo lucrifaceret. *Stephanū inuicta patientia.*

Magnum sanè & singulare priuilegium, admirabile, & cæleste solatium omnium Christi martyrum primicerio hic constat esse concessum. Nam & si martyribus cæteris inter ipsos cruciatus & tormenta, refrigeria multa constet diuinitus fuisse indulta, nulli tamen eorum beatissimi protomartyris Stephani tanti honoris priuilegium cessit. Decebat enim, vt inuictissimus iste Christi militum dux & præuius, qui sui regis triumphum primus hostibus intulit, singulari adiutorio & consolatione muniretur, non modò propter se, sed etiam propter aliorum innumerabilium Christi martyrum cateruam, quæ ducem hunc fortissimum fortiter erat sequuturа. Ad confortādam ergo beati martyris patientiam, cælestis regni ianua panditur: & ne innoxius homo lapidandus titubet in terra, Deus homo crucifixus apparet coronatus in cælo. Hic consolationem maximam habemus, quæ animum nobis addere debet, tum sub cruce quacunque, tum sub morte præsertim: quòd nimirum, si pietati studeamus, síque omnem spem nostram in domino habeamus repositam, & nobis ipse adfuturus sit, susque nos conspectu spirituali roboraturus. Cum ipso sum, inquit, in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum adimplebo eum, & ostendam illi salutare meum. *Mirū Christi in suos martyres beneficiū.* *Psal. 90.*

Deinde quũ immineret iam mors, domino Iesu commendauit spiritum suum, quem hactenus strenuè confessus fuerat. Mox præceptorem suum imitatus, remissionem à domino lapidatoribus suis orauit, sicq; patientiam suam testatus est. Tandem verò obdormiuit in domino. Ex quibus habemus & optimũ moriendi modum, quem imitemur: vt videlicet & ipsi in domini Iesu manus, spiritum, adeóque corpus & animã commendemus: vtque omnibus qui nos leserunt vnquam, & remittamus ipsi ex animo, & à domino etiam veniam oremus.

Optimus moriendi modus.

Luc. 23.

Boni non moriũtur, sed obdormiunt.

Habemus denique hìc consolationem quoque insignem in ipsa mortis hora: quòd nempe non morituri, sed obdormituri simus in domino, hoc est, placidã quietem ad immortalitatem reuicturi, & semper cum domino futuri. Hæc iam omnia & alta nobis omnibus mente repositа sint, indéque & doctrinam & patientiam & consolationem petamus.

1. Cor. 15.

1. Thess. 4.

EPILOGVS.

1 Descriptio personæ Stephani: Vir plenus gratia & fortitudine, & multis præclaris & sanctis dotibus præditus. Typus diaconorum Ecclesia, similes conditiones Episcopi & diaconi vide in Paulo. Vnde pudeat nos, qui ex diametro pugnamus.

2 Typus impiorũ veritatẽ impugnantiũ. quod veritate non possunt sycophãtiis & calũniis tentãt. Et hac semper fortuna fuit Christianorũ, vt grauarẽtur mẽdaciis. Hinc tot Apologetici, Tertullitani, Iustini, Quadrati, Militiadis, &c. Hinc calumniæ horũ temporũ, blasphemia in Deum, diuorũ contemptus, sacramentorũ conculcatio, bonorum operũm proscriptio.

3 Fortior est quem Deus defendit, quàm quem mundus persequitur. Mira consolatio oppetentium mortem pro veritate, videntium stantem & auxiliantẽ Christum. Visi sunt enim oculis insipientium mori, illi verò sunt in pace.

Sap. 3.

IN FERIIS EIVSDEM PROtomartyris Euangelium.

Matth. 23.

In illo temp. Dixit Iesus turbis Iudæorum, & principibus sacerdotũ, Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & scribas, &c.. Finis Euangelij, Benedictus qui venit in nomine domini.

Hoc

HOc Euangelium complectitur tria. Primô, beneficia Dei Iudæis præstita, cùm ait Christus: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, Sapientes & Scribas.* Sunt autem Prophetæ, qui Spiritus sancti nomine afflati, vaticinati sunt, & futura prædixerunt: vt Moses, Prophetæ reliqui, & Apostoli: quos etiam Prophetas vocat, quòd spiritu diuino & docendi munere sint, ac esse debeant instructi, viri graues & diuini. Sunt autẽ sapientes, qui per scripturas & homines edocti, verbũ Dei prædicant: vt discipuli Apostolorum, & filij Prophetarũ: quos etiã sapientes vocat, quòd sint & esse debeãt rerum petiti, varia rerũ experientia prudentes, & ad res fœliciter gerẽdas appositi. Sunt autem scribæ, qui scriptis & libellis docẽt, vbi præsentes voce alloqui non possunt: vt Euãgelistæ, eorúmque successores: quos denique etiã scribas vocat, quòd sint ac esse debeãt in scripturis exercitati, & diuinæ legis consultissimi. Tales legatos ad Iudæos misit dominus etiã post resurrectionem suam: & misit quidem hos ob nihil aliud, nisi vt congregaret illos, sicut gallina pullos suos sub alas congregare solet, hoc est, vt eos à miluo infernali satana eriperet, atq; in regnũ suũ cæleste æternũ tutos collocaret.

Apostoli legati Christi fuere.

Similitudo qua se Christus gallinæ cõparat.

Est autem amplissima Dei gratia, vbi Deus prædicatores mittit. Ibi enim necesse est sequi gratiam & salutem. Hoc constat ex illis locis, vbi Christi Euangelium secundum doctrinam veram & Catholicam, quam sola Romana tenet Ecclesia, prædicatur: vbi mandata Dei seruantur. Quanta gratia in primitiua illa Ecclesia erat inter Christianos, Romanos, Corinthios, Galatas & Ephesios. Quanta sit & modò in illis locis, vbi secundum diuina mandata viuitur: hoc melius norunt qui charitatis præcepta custodiunt, audientes cum obedientia verbum Dei, ita vt custodiant illud.

Luc. 11.

Est autem horrenda plaga & pœna, vbi Deus prædicatores non mittit: Nam ibi necesse est sequi famem corporalem, & spiritualem. Hoc constat ex locis illis, vbi Christi Euangelium non prædicatur. Quàm horrenda & infanda audimus facinora ab Indis infidelibus patrari? qui seipsos occidunt diabolo sacrificandos, cum diabolo loquuntur, & ipsius voluntatem faciunt. Quid

Plaga horrenda.

Fame spirituali quo perenne.

Mauri,

Mauri, quid Mahometani committant, quantas cædes, quantas rapinas, quot incendia, quàm innumera sacrilegia exerceant: qui historias legerit, hoc certius iudicabit. Iure optimo nos dicemus: Nisi dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma & Gomorrha fuissemus. Isa.1.& Rom.9. Illa est extrema calamitas, quam Ieremias populo Israëlitico prædicebat futuram: Omnis populus eius gemens, & quærens panem. Thren.1. Ibidem 4.ait, Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Nos verò Catholici immensas gratias Deo agamus ob diuinum hoc semen verbi Dei in Ecclesia relictum: Nam alioqui reliquis omnibus deteriores essemus.

Extrema calamitas, vbinullum Dei verbi semen.

Secundò, complectitur ingratitudinem Iudæorum, cùm ait Christus. *Et ex illis occidetis, crucifigetis, flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem.* Tanta enim fuit ingratitudo, cæcitas, & malitia Iudęorum, vt ne vnũ quidem ex omnibus prophetis, qui optima quęque docuisset, libenterq; ad cęlos vel humeris suis pertulisset eos, insontem ac immunem à morte paterentur. Quoties enim Mosi obmurmurabant, & lapidibus obrutum volebant? Exod.15.16. Num.14.16. & 20. Quoties Prophetas crudeliter occidebant, etiam inter templum & altare? Matth.23. Quoties etiã Deum ipsum blasphemabant? Exod. 32. & tamen ingentia beneficia Deus illis prętiterat. Nam Noë à diluuio liberauit, Genes.7. Abraham ab igne Chaldæorum eripuit, Gen.11. Patres eorum ex Aegypto eduxit, Exod.14. liberauit à morsibus serpentũ, Num.21. Dedit illis aquam, legem, atque Prophetas, Exod.15.19. Misit filium suum dilectum, Heb.1. Gal.4. Dei enim sapientia quæ ineffabili consilio temperat omnia, priusquam puniret illorum pertinacem malitiam omnibus modis reuocare studuit à crudelitate. Vnde legati nouissimè missi, ob nihil aliud, quàm ob salutem illorũ venerant, nihilque aliud inter illos venabantur. Non enim cuiusquam exegerunt aurum aut argentũ, sed solam omnium sitierunt salutem. Sed illorum malitia Dei vicit bonitatem, & in ipsos peruersissimi atque ingratissimi fuêre, qui omnibus modis optimè illis consultum cupiebant.

Hoc sic factum esse Actorũ liber satis testatur, & in Stephano etiam abundè videre est.

Apostoli missi ob Iudæorum salutem.

Id quo

Id quoque exprobrat illis, dicẽs. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.* Missi sunt, emphasim habet, ac si dicat, Pater cælestis ex immensa sua in te bonitate salutis nuntios tibi mittit, quos tu miseris oculis conficies. Quæ gens vnquam tale aliquid in Fęciales commisit? Hanũ tyrannus Ammon, seruorum suorum pessimo seductus consilio, legatos Dauidis dimidia parte barbæ rasa, vestibúsque vsque ad nates pręcisis confusos dimisit. Sed nihil hoc ad pœnas eas & contumelias quibus Iudęi affecerunt Christi Apostolos, quos etiam turpissima morte sustulerunt. Adde quòd longè minus fuit nuntium amicitiæ Dauid ad Hanum, quàm nuntium Dei ad Israël, quippe quo Israël ad adoptionem filiorum Dei accersebatur. Ierusalem terræ promissæ metropolis erat, vrbs vocata sancta, quia ibi templum & præcipua Dei maiestatis monumenta. Hæc ergo tanta vrbs in latronum speluncam abiit, quòd horrendum certè est dictu (*quæ lapidas eos*) facta meretrix, interfectrix, latro & homicida, Isa.1.

Ierusalem omniũ malorũ lerna.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Mira Dei benignitas, quia non obstantibus occisionibus sanctorum, non tamen destitit reuocare eos à malitia. hinc ait, *Quoties, &c.*. Sæpenumero non solùm, sed semper dominum voluisse congregare præfractos Israëlitas, retro (vt Beda ait) testantur scriptores. Quo verò & quanto affectu hoc facere voluerit Christus benedictus, præclarè hîc edisserit. Quis non videat quanto amore gallina pullos suos diligat? Ex hoc notissimo exemplo Deus cęlestis pater suum erga Iudęos affectum declarare voluit. Vnde etiam, teste Chrysostomo, Imago & figura huius auis sub alis suis pullos suos congregantis, apud Prophetas non inuenitur infrequens, Exod. 19. & 15. Psalm.16.35.56.62. Deuter.32. Seruator itaque, gallinæ more, imò maiori affectu Iudæos congregare quidem voluit, sed infœlices pulli maluerunt miluo Diabolo præda fieri, quàm sub alis Dei patris saluari. Hinc exprobrando dicit, *Et noluisti?* ac si dicat, A me nihil omissum est quo seruarêris: sed contrà nihil à te prætermissum est, quo tibi perniciem accersires, & salutem excluderes.

Mira Deũ benignitas erga Iudæos.

4. Reg. 17. deres. Et testificatus est dominus in Israël & in Iuda per manum omnium prophetarum & videntium, dicens: Reuertimini à viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea & cæremonias iuxta omnem legem quam præcepi patribus vestris, & sicut misi ad vos in manu seruorum meorum prophetarum. Qui non audierunt, sed Ierem. 25. Indurauerunt ceruicem suam, iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire domino Deo suo. Misit dominus ad vos omnes seruos suos Prophetas, consurgens diluculo, mittensque, & non audistis, neque inclinastis aures vestras vt audiretis, cùm diceret: Reuertimini vnusquisque à via sua mala, & a pessimis cogitationibus vestris, & non audistis me, dicit dominus, vt me ad iracundiam prouocaretis in operibus manuum vestrarum, in malum vestrum. Item Prouerb. 1. Vocaui, & renuistis, &c. Et Act. 7. B. Stephanus idem ipsis improperat, dicens. Dura ceruice & incircuncisis cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto restitistis. sicut patres vestri, ita & vos. Sed quia noluerunt congregari spiritualiter, dispersi sunt & corporaliter.

Vtinam hæc exprobratio non congruat & nobis Catholicis, quibus Deus mittit prophetas, concionatores, qui non adulterant verbum Dei, sed in manifestatione veritatis nobis sacram annuntiant doctrinam, cuius instructione vitam æternam promereri & consequi possimus. Misit olim Deus ad Iudæos, Mosen, Isaiam, Ieremiam, ac reliquos prophetas, quos omnes penè occiderunt, atque adeò ipsum Christum. Misit ad maiores nostros, Apostolos ac discipulos: at tyranni ipsos occide-

Hæreticiludæorũ instar, cõcionatores ac episcopos occidunt.

runt. Mittit ad nos modò concionatores, Episcopos, pastores ac reliquos ministros: & sunt qui vel ipsos (proh dolor) occidant, vel eorum famam detractionibus lædant: adeò vt non iniuria Iudæorum aut tyrannorum filij videamur, qui patrum mensuram implere nitimur. Vtinam & nobis non dicat Christus, quod Iudæis ipsum dixisse asserit Euangelista, Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluistis? &c.

Matt. 23.

3 Tertiò, complectitur hoc Euangelium pœnam huiusmodi ingratitudinis, cùm ait Christus, *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine*

guine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, &c. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Item cùm ait. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis: Nõ me videbitis amodo, &c.* Puniet enim Iudæos Deus spiritualiter & corporaliter. *Genes. 4. Hebr. 11. 2. Para. 24*

Quia enim prophetas occiderunt, Messiam suum in crucem egerunt, Stephanum lapidauerunt, Act. 17. Apostolos expulerunt, necnon verbo Dei sese indignos reddiderunt, coguntur ferre innoxium sanguinem ab exordio mundi effusum, & vsque ad nouissimum effundendum. Non quòd alieni peccati, cuius etiam non sit reus aut saltem imitator, quisquã luat supplicia: sed qui multos propter peccata sua vexatos & punitos non ignorat, neque illorũ exemplo factus est melior, sed eadem committere non formidat, illorum quoque pœnas iustè sustinebit. Vnde & hîc ipsos filios dixit viperarum, malitiæ scilicet veneno patribus æquales. Tale quid olim dixit, Exod. 20. Ego sum dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui me oderunt: & faciens misericordiam in millia his qui diligunt & custodiunt præcepta mea. *Deut. 24. Ezech. 18.* *Hæretici viperarum filij.* *Num. 14.*

Sic fiet omnibus qui authores & capita sunt nouæ doctrinæ, aut hæreseos, vt Lutherus, Melancthon, Brentius, Caluinus, Anabaptistarum pater. Hi non solùm sua ferent peccata, verùm & omnium hominum suo errore seductorum. Hæc doctrina non tantùm instruit Iudæos, verùm & nos Catholicos docet, ne vlla ratione committamus aliquod peccatum, quod reliquis Christianis peccandi occasionem præbere possit. Æternam damnationem imprecatus est Christus iis per quos scandala veniunt. *Hæresiarchæ ferent seductorũ peccata.* *Matth. 18.*

In Abele & Zacharia, quos hîc seruator commemorat, non solùm Prophetas, sed & omnes innocenter necidatos complectitur, quia de infirma re & minimo quocunque pœnas sumet iudex conditor omnium. De Abele habes Gene. 4. quòd fide obtulerit per charitatem operante. Hebr. 11. Qui propter inuidiam occisus fuit à fratre, sicut dicitur. 1. Ioan. 3. De Zacharia filio Barachiæ siue Ioiadæ habes 2. Paralip. 24. Ioiadas pontifex

sum

summus, puerum Ioas ab Athaliæ manibus ereptum clã sustulit, atque in religione Mosaica ritè instituit, deinde regem constituit. Huius item præsidio synagogam ab omnibus abusibus reformauit, regémque in Dei timore bene institutum, ne à via recta laberetur sedulò admonuit. Mortuo vero summo pontifice, delinitus rex aulicorum suorũ obsequiis, à religione defecit, & (quod textus habet) non habuerunt aures audiendi. Mittebat nanque Deus eis prophetas, vt reuerterentur ad Dominum, quos protestantes illi audire nolebant. Sequitur, Spiritus autem domini induit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, & stetit in conspectu populi, & dixit eis: Hęc dicit dominus. Quare transgredimini præceptum domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis dominum vt derelinqueret vos? Qui congregati aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus domini. Et non est recordatus Ioas rex misericordię quam fecerat Ioiada pater illius, sed interfecit filium eius. Qui cùm moreretur ait, Videat dominus & requirat.

Ioas regis à lege defectio.

Zacharias propheta occiditur.

Obseruandum etiam hic est Ioiadã fuisse binomium, quemadmodum plures in nouo & veteri Testamento, conueniúntque nomina tanti viri religioni. Pontifex erat, Christus erat domini, & huic quadrat nomen Barachias, quod sonat sanctum, siue consecratum domini. Deinde erat religiosus, atque adeo acceptus domino, quòd nomen Ioiadæ præ se fert.

Ioiada pontifex Binominus.

Coguntur Iudæi insuper ferre desertionẽ templi, ciuitatis, & regionis Iudęæ. Nam bonus ille pastor pedum confregit, vt Zacharias ait, & oues errare sinit, Zacha. 11. Gallina alas contraxit, nec pullos amplius regere quęrit. Deus verbum suũ illis abstulit, omnémq; gratiam & misericordiam, subtraxit, neq; amplius habẽt regem, prophetas, templum, cultũ, &c. Osee 3. & impletũ est in illis dictum Psalmi 67. Deus caput inimicorum suorum conquassabit, & verticem capilli abradet. & Psal. 108. Dilexerunt maledictionem & eueniet eis: benedictionem repudiarunt, & elongabitur ab eis. Hinc ipsam ciuitatẽ, quam nidum suum vocauerat, nunc domum Iudæorum appellat, quæ nõ immeritò domini auxilio nudata, suę ditioni relinquitur: quia non solùm auis, illius omnipotentis,

Alas contrahere.

Christi iudęus ciuitas fuit Ierusalem.

quum

quum Matthæus gallinam nuncupat, alis protegi despexit, sed & eandem auem se protegere volẽtem, vulpibus deuorandam, hoc est, Herodi & Pilato crucifigendam tradidit: Nec mora vulpiũ earũdem, hoc est, regũ terræ & ipsa rapinæ donat. Occiso enim domino venerũt Romani, & quasi nidũ vacuum diripientes tulerunt eorum locum, gentem, & regnum, quod per spiritum propheti cum olim prædixit Dan. 9 cap. Et ciuitatem & sanctuarum dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas. Non est miserabilior gẽs in terris, quàm Iudæorum. Nihil habẽt proprij ex vsura, furto, rapinis viuunt: veluti principes furũ, & prouinciarũ expilatores. Christum saluatorem nostrum semper benedictum, maleficum & latronem appellant, & propter flagitia sua cruci fixum. cùm nos Christianos obuios salutant, maledicũt nobis, & gehẽnam imprecantur: idque quotidie faciũt, & liberos suos instituunt, vt idem faciant. Deus nos ab eorum maledictionibus seruet. Amen.

Ioan. 11.

Iudæi omnium gentium miserabiliores.

Sicut enim diabolus in peccatis & etiam in sanguinis humani effusione potissimùm lætatur, ita diuina maiestas per vtrũq; præcipuè offenditur. Propterea, vt Chrysost. ait, & sanguinem sibi offerri voluit, vt ostenderet, quia si brutorum sanguis ita pretiosus est, quanto magis hominis? Psal. Pretiosa in cõspectu domini mors sanctorum eius. Quod ad Noë expressius dixit: Vindicabo omnem sanguinẽ effusum. milléque alia inuenire possumus diuinitus à deo Iudæis iniuncta, vt ab effundendo sanguine remorarentur. Videmus exempli causſa Cain pœnam suam statim ipsum præsagiuisse, Gen. 4. Et Ioas statim interfecto Zacharia à Syris malè acceptus, semiuiuus relinquitur, vt à propriis seruis occideretur. 2. Paral. 24. Sic Iudæi in pœnam ingratitudinis relicti sunt à Christo in cæcitate mẽtis suæ, donec aliquando, vel tantis docti malis, resipiscant. *Dico enim vobis*, inquit, *non videbitis me*, quousque venerit illud tempus, quo me videtes oculis fidei, *dicatis: Benedictus qui venit in nomine domini*, quem nunc calumniamini venisse in nomine Beelzebub. In quo notatur conuersio reliquiarum ante domini aduentum ad iudicium, de qua dicitur: Vel mysticè innuit, vt Iudæi quem nunc cõtemnunt humilem, tunc

Ioas ob sceleris in Zachariã patrũ occiditur.

Rom. 11.

Apoc. 1. In maiestate venientem confiteantur vel inuiti, quando
Matt. 26. videbunt in quem transfixerunt. Veruntamen dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis dei, & venientem in nubibus cæli.

Abstulit ergo deus Iudæis synagogam, quia ipsi priùs
Matth. 21. sponsum & dominum synagogæ reliquerunt. Auferetur à vobis regnum dei, &c.

Abstulit quoque deus orientalibus regnis Ecclesiam, quæ innumerabilium martyrum sanguine & doctorũ admiranda doctrina decorata & illustrata fuerunt: quia ipsi priùs Christum clarissimum eiusdem Ecclesiæ sponsum dereliquerunt. Quamplurimis ciuitatibus in vicinis regionibus abstulit etiam deus abhinc quadraginta annos Ecclesiam catholicam: quia ipsi Christum & eius vicarium Romanum pontificem reliquerũt: neque sunt iam inferiores miseriis & calamitatibus, ipsis Iudæis: siquidem non minus quàm Iudæos deus illos odio habet, atque ad nauseam vsque abominatur. à Turcis persequuntur, à Catholicis negliguntur.

Ecclesia catholica cur hodie auferatur à gentilis.

EPILOGVS.

1 *Hic habes causſam occisionis omnũ prophetarum, & veri haredis Christi, & Apostolorum eius fuisse superbiã cordis: nihil ergo magis Christianus studeat vitare, quàm tumẽtẽ & erectã ceruicẽ, dei cõtra se odiũ prouocãtẽ, inquit Hieronym.*

2 *Apostolos hic vocat prophetas sapientes, & scribas, quia dominus eos populo dedit doctores & rectores omni scientia & prophetandi gratia ornatos, Ephes. 4.*

3 *Dulcissima similitudo, qua se Christus gallinæ comparat, nos pullis, per quẽ soium à miluis, hoc est diabolis liberi euadimus, fide in Christũ, sicut incredulitate excidimus, & audimus horrendum iudicium cum Iudæis incredulis: Relinquetur vobis domus vestra deserta, hæc iam altè animis nostris insideant, discamusq; aliorum periculo vitare nostrum. Poeta. Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum. dignè excipiamus legatos Christi, nosq; congregari sinamus, ne relinquamur à domino, sed vt potius aduenturum læti excipiamus, eumque illo regnemus. Amen.*

IN FERIIS IOANNIS Apostoli & Euangelistæ Epistola.

Qui timet deum, faciet bona, &c. Finis Epistolæ, nomine æterno hæreditabit illum dominus deus noster. Eccle. 15.

INsigne encomium timentis Dei & iusti hodierna lectio nobis proponit, quæ eam ob causſam in præsentibus d. Ioannis Apostoli & Euãgelistæ feriis legitur ab Ecclesia, quòd omnia illa quæ hîc de timente dei & iusto commemorantur, eidem Ioanni optimè conueniant, ac in primis quidem quòd inter alia legatur, quemadmodum iustitia in medio Ecclesiæ aperuit os timentis dei ac iusti, impleuerítque eum spiritu sapientiæ & intellectus. nam si cuius os hoc pacto in medio Ecclesiæ vnquam apertum fuit, Ioannis certè os verè sic apertum est: & si quis vnquã impletus fuit spiritu sapientiæ ac intellectus, Ioannes profectò impletus est ad hunc modum. Id enim plus satis liber eius Euangelicus quem nobis reliquit, testatur: vt in quo sic præ aliis de ineffabili diuinitate, generationéque æterni verbi dei disserat, vt ipsum cælestis sapientiæ, intellectúsque spiritu plenissimum fuisse fateri cogamur.

1 Dicit nimirum de illo duo præcipua. 1. Quidnam scilicet timens dei faciat seu operetur. Sed priùs paucis considerandum, quisnam verè timens dei, & iustus sit. Is in sacris literis timẽs dei dicitur, qui veretur offendere deum, eóque in omnibus suis bonis operibus timidus est: & sic cum timore tremoréque salutem suam operatur: hoc est, qui quidẽ facit quicquid deo scit esse gratũ, sed tamen nunquam se satis feciſſe veretur, semper suã imperfectionem accusans. Iustus vero in sacra scriptura dicitur ille, qui modis omnibus iustitiæ & sanctitati incumbit, tam coram deo quàm coram hominibus. verum non fidit iustitiæ suæ aut meritis, sed solum Iesum Christum & huius merita pro sua iustitia ac sanctitate agnoscit, habétque. Talis fuisse describitur s. Simeon. Luc. 2.

Timẽs dei quis sit.

Iustus quis sit.

Si facta operáve eius quærimus, merum bonũ facit, hoc est, nihil cõmittet quod Deo displiceat nihil faciet, nisi quod deo gratum esse sciat. Qui etiam sic iustus est,

& iustitiæ continens, is haud dubiè apprehẽdet iustitiã: hoc est, Christi meritis & iustitia donabitur, sicque corã deo iustus apparebit, & in dei iudicio poterit subsistere: imò tam verè certóque apprehendet iustitiam, vt & ipsa iustitia (nimirũ Iesus Christus dominus noster) ei vltro occursura sit, & amplexura illum, quemadmodum mater honorifica vnigenitum charissimúmque filium, ac sponsa primum suum sponsum (quem longè dilectissimum habet) amplectitur & osculatur. Sic enim clamat in Euangelio: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

1. Cor. 1.

Matth. 11.

Et quomodo timens dei non faceret bona, quum in omnibus operibus suis semper sit pauidus, nũquam se satis piè agere arbitretur? Prouerb. 15. Per timorem domini declinat omnis à malo. Et Ecc. 7. Qui timet deum, nihil negligit. Quomodo item nõ apprehenderet semper iustitiam, quum iniustitiam ex animo oderit, sciátque ipsum deũ & iustum esse, & iustitiæ amatorem vnicum?

Qui fructus iustũ sequãtur.

2 Dicit quid fructus seu præmij sequatur ipsum dei timentem & iustum, tum hic, tum illic. Obuiat enim ei iustitia matris charissimæ instar, ceúque sponsum suum sponsa suscipit illum, & omnia sua bona in ipsum effundit, cibans videlicet ipsum pane vitæ seu verbo dei, potánsque ipsum aqua sapiẽtiæ & intellectus, hoc est, omnigena gratia, spiritu vberrimo. *Cibabit illum* (inquit Sapiens) *pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illũ.* Quia timens dei & iustus, agnoscẽs se natura & ex sese mortuum ac prorsus stultum esse, esurit, sitítque ex animo Christi vitam & sapientiam. sic vtraque implebitur, vt neque in vita, neque intellectu, neque in vera sapientia, ei vnquam quid defuturum sit, vt neque esuriturus neque sititurus sit in æternum.

Fructus secundus.

Secundus autem fructus est, quòd firmat continétque timentẽ dei & iustum iustitia, vt in pietate non possit vacillare, non ab ea deflectere, non in peccata labi: quantumlibet satan: caro, mũdus, ad impietatem, peccátaque solicitẽt, cùm dicit: *Et firmabitur in illo, & nõ flectetur. & continebit illum & non cõfundetur.* Quoniam timens dei & iustus de propriis viribus desperat, solúmque dominũ ponit firmamẽtum suũ & vnicum robur, refugiúmque:

Timentis dei & iusti, proprium.

idcirco

idcirco sic dominus firmabit & continebit illum, vt neque flectendus, neque confundendus sit ab vlla creatura, imò vt ne ipsæ inferorum portæ præualituræ aduersus illum sint. Matth. 16. Psal. 72.

Tertius fructus.

Tertius verò fructus est, quòd iustitia (Iesus Christus) illũ exaltat apud proximos seu vicinos: donans, s. eũ eloquẽtia, sapiẽtiáque & intellectu hũiusmodi, vt omnibus aliis possit salutaria cõsilia, vt alios possit erudire, vtque proin ab omnibus & audiatur & suscipiatur. vnde sequitur: *Et exaltabit illum apud proximos suos, & in medio Ecclesiæ aperiet os eius, & implebit illũ spiritu sapiẽtiæ & intellectus, & stola gloriæ induet illum.* Quemadmodum timoratus & iustus coram deo in honore magno habetur: sic & Christus illum apud homines faciet honorabilem, idque sapientia, intellectu & eloquentia: adeo vt ab eius cõsiliis & ore vniuersi pendeant, vt ipsis etiam hostibus suis admirationi simul & stupori sit futurus: quod nimirum in B. Stephano satis elaruit.

Quartus iusti & timentis Dei fructus.

Cæterùm vltimus fructus est, quòd iustitia vestitura illum est stola gloriæ, iucunditatẽ & exultationem thesaurizatura super eum, & nomine æterno ipsum hæreditatura, sicut textus habet, hoc est, paratura illi post mortem æternam gloriosámque apud posteros in terris memoriam, & perennia ineffabiliáque in cælis gaudia ac præmia. Audiuimus igitur hactenus quomodo timens dei & iustus habiturus sit coram deo, quomodo coram hominibus, tã inimicis quàm amicis, atque adeo in præsenti vita. At hic audimus quid post hanc vitam idem expectaturus sit, nimirum sempiternam iucunditatẽ, exultationem nunquam finiẽdam, & nomen denique æternum: idque non solùm apud deum in cælo, verùm etiam apud homines in terris. Vide: tot tantíque fructus consequentur pium & iustum hominem, atque hos eosdem in omnibus etiam piis videmus, in Stephano, in Ioanne, & reliquis dei cultoribus. Hi igitur & nos ad timorem dei & iustitiam extimulent: vt nimirum iridem timeamus offendere deum, salutem nostram cum timore & tremore operemur, iustitiæ & sanctitati per omnem vitam studeamus, at interim nunquam nos satis iustos esse, aut satis timuisse deum putemus, ideóque in Chri-

stum figamus omnem spem & iustitiam nostram, &c.

EPILOGVS.

1 *Operibus bonis super Christum ædificare, est sapientis & timentis Dei. Sapientis item est, candelam ardentem ferre, hoc est, rationabili obsequio deo ministrare, non hîc agitur de timore seruili, de quo ait, Oderunt peccare mali formidine pœnæ: sed de filiali qui peccare odit saltem virtutis amore.*

2 *Timens dei sit, nempe boni operis factor, verbique Dei custos & obseruator, Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. &c.*

3 *Fructus timoris dei, & studij sapientiæ, est iucunditas & exultatio, nominisque æterni hæreditatio. Sapientia cortex amarus, sed dulcis medulla. Breuiter hæc omnia quæ hîc sapiens enumerat significant iusti mercedem esse ineffabilem, et gaudia regni cælorũ illi promissa esse ineffabilia, Esa. 14. 1. Corinth. 2. 1. Pet. 1. Apo. 2. & 3.*

IN FERIIS EIVSDEM

Euangelistæ Euangelium. *Ioan. 12.*

In illo tempore. Dixit Iesus Petro, Sequere me. &c. Finis Euangelij: Et scimus quia verum est testimonium eius.

HOc Euangelio proponuntur nobis tria.

1 Vt Christo vocanti obedientes nos præstemus, & ipsum sequamur, etsi ait Christus, *Sequere me.* Tenetur Christianus Christum sequi in doctrina, vt nihil aliud doceamus, prædicemus, teneamus, audiamus aut admittamus, quàm quod Christus per totos tres annos docuit, Apostoli prædicarunt, Ecclesia Romana ab ipsis Apostolis vsque ad nos tradidit, & semper tenuit, Patres à suis maioribus audierunt, & Concilia statuerunt ac decretarunt. Nam iuxta regulam illam auream diui Vincentij Lirinensis, illud est Catholicum, quod semper & vbique & omnes sunt professi.

Vincentij Lirinensis canon.

Ecclesia Romana verè pontificia.

Ecclesia Romana Pontificia verè Christum sequitur, quia id docet quod ille docuit, prædicat quod Apostoli prædicarũt, tenet quod ipsi & sui successores tenuerunt, gratiosè

gratiosè audit quod maiores eius audierunt, tenet quod sanctissima illa Concilia tenendum statuerunt. Est catholica, quia nihil est in illa quod non semper & vbique & ab omnibus verè orthodoxis receptum fuerit.

Tenetur quoque Christianus Christum sequi in vita, vt exẽplo Christi admoniti, simus pauperes spiritu, mites, misericordes, pacifici, puri corde, obseruatores mandatorum dei. Hæc sequela versa est in tergiuersationem, & retrospectionem. Nam nec Christo dicenti, Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, Ioan. 8. autem præbemus: nec sanctos, ac in primis Paulum dicentem, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, 1. Corinth. 11. sequi volumus, sed alij superbiam, alij auaritiam, alij luxuriam, alij peccata, alij Lutherum, alij Caluinum, alij Brentium, alij alios hæreticos sequimur. Tergiuersantur alij atque sectantur hæreticos nostri temporis, qui non sunt ex nobis, neque de ouili Christi. Qui autem sanctos, Augustinum, Ambrosium, Dominicum, & Benedictum imitantur, hi Christum sequuntur, non ambulant in tenebris, ideóque habebunt lumen vitæ. Imitantur hos patres, qui Christi vestigia sunt sequuti: itaque sunt imitatores & sequaces Christi. Philip. 3. 1. Corinth. 11. Licet imitari sanctos, fide, charitate, aliisque diuinis virtutibus claros. Nec idcirco quicquam detrahitur gloriæ Christi: imò multum accedit, siquidem ipsi Christi vestigia sunt sequuti. Vnde Paulus Philip. 3. Ephes. 5. 1. Corinth. 4. & 11. Hebr. 6. dicebat, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Licet eorũ regulas profiteri, vitámque ad eorum sanctiones instituere, vt quæ suæ rectitudinis & iustitiæ Christum amussim habeant & fundamentum.

Qui sancti sunt imitandi.

Tenetur insuper Christianus Christum sequi in morte, vt crucem nobis diuinitus impositam patienter feramus, pro inimicis oremus, vt docet Christus Lucæ 9. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui Christum sequendũ putant sine cruce, errant: nam Christus non est ingressus sine cruce gloriam suam. Sacerdotes veteris legis nõ intrabant sanctuarium sine sanguine, Luc. 24. Christum oportuit pati, & Heb. 9.

Non sine cruce sequendus Christus.

Priuatim verò hoc verbo, *Sequere me*, vrsit Petrum ad sui sequelam, quia eum Apostolorum principem voluit designare, vnde & alibi hac ratione nonnihil priuatim cum ipso egit. Sensus ergo est, scis qua via ad gloriam meam ierim, noueris idem iter & tibi tendendum. Morte mea mortem debilitaui & vici. Fortis vt mors dilectio Cant. 8. Tu itaque si diligis me, ehodum vade mecum. Crucis illa via ad Patris omnipotentis gloriam tibi in salutem, Ecclesiæ vniuersali (in fide tuæ professionis fundatæ) in decus æternum est futura. Apostolatus Patris mei nulla alia est ratio, nè timeas post me & mecum ire, qui mecum cupis in regno Patris mei discubere. Reliqui tui collegæ & ipsi persequutionem sustinebunt. Tu verò qui summus meus vicarius à Patre es electus, mihi similem mortem patieris. Ego in metropoli Iudæorum cruci sum affixus, tu in metropoli Ethnicorum, Romæ scilicet, cruci es suspendendus. Pastorem me bonum morte mea declaraui Ioannis.10. Sup-pastor quoque vt patiendo bonitatem suam declaret, oportet. Neque enim sufficiet si in pascendo me sequatur, nisi & patiendo pro grege asseclam se verum meum comprobet. Vicarius tu meus eris, idem & meus con-
Ioan.13. crucifixus. Sub passionem meam dixi. Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea, qui te mihi deuouisti. Matthæi. 26. In horto nolui Iudæos tibi manus inferre, nolui tibi tunc calicem meum da-
Calix Christi glorio-sus. re necdum glorioſum, quia nondum viceram mundum. Nunc cùm videas mortem mea morte triumphatam, ipsum calicem meum glorioſum tibi non negauero, qui te consortem regni mei esse volo. Non ergo sequela hæc accipienda est solùm de passione, sed & de pastoralis officij commissione. Summum namque Pontificem hîc Petrum constituit, vnde tanta cum eo egit vehementia, quoniam & magna est eius conditionis siue dignitatis eminẽtia. De primatu Petri locuples
D. Petri primatus cõstituitur. testis est d. Chrysosto. qui hoc loco dicit Petro totius orbis terrarum curam commissam, ac si dicat Christus: Quia ego prius pro tua redemptione crucis supplicium subire nõ timui, ideò tu pro mei nominis honore & confessione illud formidare non debes, sed loco mei gregem

Dilectio fortis, vt mors.

Christi & Petri mors similis.

gem procurare, cui te vicarium & imitatorem & successorem meum relinquo. Et Augustin. in Ioannem, dicit Petrum Apostolatus primatum tenuisse, quando ait, Pasce agnos meos, & sequere me. Necessum quippe fuit vt is qui Ecclesiæ vniuersaliter præferendus erat, & cæteris ardentius amaret, & perfectius imitaretur. 1. Tim. 3. & 4.

2 Proponitur nobis ne vocationes aliorum, aut Christi facta curiosè inquiramus: sitque vnusquisque sua vocatione contentus. Nam *Petrus conuersus vidit illum discipulum quẽ diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: domine, quis est qui tradet te?* Quibus verbis Ioannes commendatur. Primò à discipulatus honore, quia vnus ex duodecim electis, Marc. 6. Maximum est Christi verum esse discipulum. Ioan. 12. Vbi ego sum, illic & minister meus erit. *Quotupliciter hic Ioannes commendetur.*

Secundò, à singulari dilectione: non ad sui iactantiam toties commemorat se specialiter dilectum à Iesu, sed vt tanto beneficio gratus existat, & quia suauissimum sibi fuit recolere, quàm affectuosè & familiariter se Iesus habuit ad ipsum. diligebat ergo eum Iesus, non exclusis cæteris, quum omnes diligeret, ipso testante Ioan. 15. sed præ cæteris, quẽm specialis prærogatiua castitatis ampliori dilectione fecerat dignum: quia virgo ab eo electus, virgo in æuum permansit. Tribus namque specialia quædam dilectionis ostendit signa, Petro, Iacobo & Ioanni, tam ad læta quàm aduersa secreta eos admittens, vt in suscitatione puellæ, Marc. 5. in transfiguratione, Matthæi 17. in passionis agone, Matth. 26. singularia tamen Ioanni exhibuit: vnde & famosum fuit inter discipulos ipsum dilectum aut charum Iesu nominari. Atque vtinam tam syncerus amor in sanctulis nostris lateat, qui nonnunquam charos aut charas, quos sic vocant, munusculis reciprocis sibi conciliare gaudent, quum, teste Hieronymo, sanctus amor munuscula non habeat. *Prærogatiua castitatis d. Ioannis.*

Sunt enim quinq; veræ amicitiæ indicia, quæ & Christus suo charo Ioanni exhibuit. Primum, mutua coniunctio. Hinc in cœna super pectus Iesu recubuit, Ioan. 13. Non paruum in isto præclarissimo conuiuio vltimi tale, proximum esse Christo, quod cum selectis totius *Christi amoris specialia signa.*

Amicitiæ veræ indicia.

mundi fecit. Luc. 22. vbi & sacrosanctum corporis & sanguinis sui sacramentum instituit.

Secundum, secretorum reuelatio. Ioan. 15. Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia omnia quæ audiui à Patre, nota feci vobis. Omnibus turbatis soli Ioanni indicauit proditorem, Ioan. 13. Ipse quoque super pectus illud recubuit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, Coloss. 2. Vnde & sapientiæ & intellectus vberius suxit, quare altissimè super omnes de diuinitatis & trinitatis scripsit mysterio, Ioan. 1. cui status Ecclesię in finem vsque reuelatus fuit, Apoc. 1.

Iudæ proditoris indicatio.

Tertium, voluntatum consensus. Ioan. 15. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Ipse autem ad domini vocantis vocem, & patrem & nauim reliquit, Matth. 4. Sic & modò hîc nihil de statu suo solicitus, totum se domino commisit.

Voluntatũ consensus.

Quartum, thesauri commissio. Vnde dominus pretiosissimum & singularem thesaurum, de quo totius mundi sumpsit pretium, matrem scilicet in suo recessu tanquam fidelissimo amico commisit, Ioan. 19.

Thesaurus mundi totius.

Quintum, aduersorum toleratio. Eccl. 6. Si possides amicum, in tentatione posside eum. Sic ipse astitit morienti, Ioan. 19. Exilium in Patmos insulam pro fide suscepit, Apoc. 1. Venenum bibit, dolium feruentis olei superauit.

Aduersorũ toleratio. D. Ioannis martyriũ.

Hunc ergo discipulum quum vnicè diligeret Petrus, & domino cæteris chariorem semper fuisse sciret, ac tum non iussus sequeretur Petro proximus, rogat dominum quid de illo futurum esset, iam ipse de sua vocatione certior factus: & ait, *Domine hic autem quid?* Cunctationem & curiositatem hæc quæstio importat. Sequebatur quidem, sed & conuertebatur. Qui mittit manum suam ad aratrum, ne retrospiciat. Sepeliant mortui suos mortuos: Christum incunctanter sequamur oportet. Petrus etiam hîc voluit de fratre & condiscipulo suo cognoscere quânam ille morte ad gloriam regni cælorum esset transiturus. *Et dixit ei Iesus, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.*

D. Petri curiositas.

Ex his verbis elicitur quod humana ratio facta diuina semper inuestigare præsumat. Nam Petrus vocatus à Christo

Christo vt ipsum sequeretur, quid de Ioanne facturus sit, interrogat, quasi rationem postulans illius discretionis. Hinc vetat scriptura, ne ea quæ captum nostrum excedunt, inquiramus. Eccl. 3. Quid necesse est homini maiora se quærere? Isa. 40. Sapien. 9. Rom. 11 O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!

Ratio humana rerũ diuinarũ percunctatrix.

Elicitur proinde ex his verbis, quòd mortales interdum soliciti de aliena salute, propriæ obliuiscantur. Nam Petrus cùm ad vitam à Christo vocaretur, non euestigio sequitur, sed de Ioannis statu solicitus, quid de illo sit futurum scisciatur, cùm sua nihil interesset hoc scire, sed Christum sequi, eique obtemperare. Hinc ait Christus per Salomonem, Prouerb. 1. Vocaui & renuistis.

Isai. 65. & Iere. 7.

Insuper ex his verbis elicitur, quòd nemo sua sorte sit contentus, sed aliis vel inuideat, vel succenseat. Nam Petrus quasi iudicans conditionem Ioannis meliorem, rogat, Domine hic Ioannes quid faciet? quare & ego cum illo, sicuti ipse manserit, non manebo? Hinc aiunt poëtæ, Optat ephippia bos piger, optat arare caballus, Horat. lib. Epist. 1. epist. 14. Fertilior seges est alienis semper in agris, Vicinúmque pecus grandius vber habet, Ouidius. vnde sæpe peccatur in hoc prouerbium, Ne sutor vltra crepidam.

Ex hac Christi doctrina docentur Christiani, Primò quòd debeant iuxta Pauli sententiam intellectum in obsequium fidei captiuare, & diuina facta admirari, & reuereri. sunt enim quamplurima sacramenta atq; diuina facta, quorum ratio ideò nobis est occulta, vt inde humiliemur, atque ad orandum pro intelligentia excitemur, quemadmodum docet Paulus. 1. Corint. 10. Captiuantes intellectum in obsequium fidei. Et Daniel interpretaturus mysteria statuæ Nabuchodonosor, humiliatur & orat, Daniel. 4. Dauid Psal. 118. Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua. Habacuc cap. 3. Domine consideraui opera tua, & expaui.

Facta quædam diuina cur nobis occulta.

2 Docemur, quando Christus nos vocat, continuò ipsum nos debere sequi, idque animo tam prompto, vt vel patre ac matre relictis ipsum sequamur. Est habenda ratio

tio proximorum, ea tãtùm quæ nos à Christo sequendo remorari non possit, quemadmodum Matthæus vocatus à Christo prætereunte, relicto telonio mox sequuus est nihil interrogans, Matth. 9. idem Petrus & Andreas faciunt relictis, retibus, Matth. 4. Luc. 5.

3 Docentur varias esse Christianæ militiæ vocationes: debet gitur vnusquisque illam tenere, ad quam vocatus est. Nec putemus eos otiosos esse qui ad nostram vocanem non sunt vocati. *1. Corint. 7. Ephes. 4.*

4 Docentur Christiani, quòd non omnes eodem modo Deus tractet, sed de singulis prout visum est, experimentum capit. Hinc alios dedit Apostolos, alios Euangelistas, alios doctores, alios pastores, alios martyres, alios confessores, &c. Ephes. 4. Apostolos atque martyres variis affecit suppliciis, alios sanctos summa pace ad vitam vocauit. Ita modò quosdam Christianos affligit, alios lætificat: quosdam pauperes, alios diuites, quosdam languidos, alios integrâ valetudine ad se sequendum inuitat. Omnes eo modo quo nos vocat, ad ipsum curramus, per infamiam & bonam famam, per gloriam & ignobilitatem. *Sanctorũ sæpe conditio.*

5 Hoc Euangelio proponitur, Deum non tantùm dominum esse mortis ac vitæ, verùm etiam singulis mortalium mortẽ pro sua volũtate ordinare, cùm ait: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* Non negat dominus Ioannem per passionẽ sequi, cùm Matthæi vigesimo dicat: Calicem quidem meum bibetis, & Act. quinto, Ioãnes inter eos fuit, quibus cæsis Iudæi denuntiauerunt, ne in nomine Iesu loquerẽtur. sed supernacuam Petri curam corrigit, quasi dicat, Potero eum exemplo Enoch & Heliæ in finem mundi viuum à morte præseruare. quod si fecero, nihil hoc ad te. Tuum non est scire huiusmodi mysteria, tua interest tuæ satagere vocationis, & videre quî illi ritè respondeas. Te ad crucem voco, ego de aliis videro. *Exiuit ergo sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur, &c.* Ex his verbis liquet 1. Christi potentia atque prouidentia in vita & morte mortalium ordinanda. Nam Christus sua inscrutabili sapientia vult Petrum ad mortem crucis, martyriúmque vocare: vult etiam sua diuina prouidentia ad aliud *2. Corin. 6. Deus vitæ & mortis dominus. Petri cura supernacua corrigitur. Prouidentia Christi in vita & morte.*

aliud mortis genus Ioannem reseruare. Iuxta verbum Christi vtrunq; euenit: Ille Romæ crucifixus, hic Christum vsque ad excidium Solymorum in Iudæa prædicauit. Post vrbis deuastationem in Asia crucis vexillum statuens, citra martyrium ibi in Christo obdormiuit. eius sepulchrum manna scaturire fertur. Opiniones varias de Ioanne omittimus, tenẽtes quod (iuxta Apostoli dictum, qui ait constitutum esse omnibus semel mori, & Psalm. Quis est homo qui non videbit mortem?) mortem gustauerit. Vide Eusebium libro 3. cap. 1. & 31. qui dicit Ioannem in Epheso episcopalem mitram (quam Petalion vocat) gestasse, atque ibi in domino obdormiuisse, hoc est, iuxta Christianorum dialecton, è vita migrasse. Cæterùm ex hac vita profectum affirmat temporibus Neruæ Cæsaris, qui illum ab exilio Patmos, vbi tyrannide Domitiani exulabat, liberum remisit. Vide eundem libr. 3. cap. 18. 20. Hieronymus dicit eum in Epheso consenuisse, tandem senio grauatum, circa annum domini 68, humanis excessisse. Et Tertullianus affirmat in feruens coniectum oleum, atque illæsum exiisse. Colligimus ergo, *Manere*, hic nõ significare à mortis debito absolui, sed non mori ad exemplum Christi, vti Petro prædixit. Vnde & Ioannes Apost. hoc loco eam opinionem abstulit, ac sensum non orthodoxum correxit: quod nisi præstitisset, error ille vsque ad nos quoque esset propagatus. *Hebr. 9. Obdormire quid.*

Hæc doctrina instruit omnes Christianos, atque admonet, ne dicamus nos hoc vel illo mortis genere morituros: nec putemus mortem quantumuis ferocem atque enormem Deo oscitante mortalibus accidere: quasi nihil ipse curet, sed fato hoc relinquat. sicut enim vitæ est author, ita & mortis est ordinator. Discamus igitur omnes, 1. Non curare cuius qualitatis sit hominis mors: nec quenquam perturbet quòd hic parietis ruina oppressus, ille gladio confossus, alius ignibus absumptus, alius securi percussus intereat. Siquidem scriptura clamat, Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Institutio Christiana de morte. Sapien. 4.*

2 Ex his verbis liquet, discipulorum, omniúmque hominum natura. siquidem ex verbis Christi perperam intellectis,

tellectis, euulgant rumorem falsum. Nam Christus Petro interroganti de Ioanne, respondet: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* Inde interpretantes suo sensu verba domini inferūt Ioannem non moriturum, &c. Hæc doctrina instruit omnes Christianos atque admonet, non ita facilè cuiuis licere verba Christi suo sensu interpretari. Nam si Apostoli ac discipuli, quibus nota fecerat omnia, quæ audierat à patre suo, in illo verbo interpretādo ita hallucinati sunt: quid nobis contiget, qui non sumus adeò familiares? Si domestici mentem domini non intelligunt, eiues quid facient? Discamus igitur omnes 2. Non proprio spiritu verba Christi interpretari: nam sicut Paulus docet, nemo cognouit quæ sunt Dei, nisi qui spiritum eius habet. Docet idem Corinthios negotia ac verba spiritualia spiritualibus hominibus tractanda, intelligenda, atque determinanda proponere 1. Corinth. 2. Hinc etiam discamus, hæreticos verba domini intelligere nec debere, nec posse: quia non spirituales, sed carnales sunt & animales: nec possunt intelligere mysteria Ecclesiæ, quia non habent Spiritum Dei, sed Satanæ, cuius sunt filij ac serui, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.

Christi verba nō sunt pro cuiusque sensu interpretanda.

Hæreticis cur non detur verba Christi tractare.

1. Cor. 2.

EPILOGVS.

1 *Exemplum respicientium alienam vocationem & aliena opera fugiendum, cùm intrepidè oporteat sequi vocantem Christum. Melior est enim obedientia, quàm victima.*

2 *De voluntate nostra frangenda in Dei voluntatem. Sæpe enim non voce de cælo, non per prophetam, non per reuelationem vel somnium vel excessum mentis, sed rebus ipsis accidentibus, aut ad aliud quàm statueramus vocantibus, cogimur agnoscere Dei voluntatem, aliam quàm erat nostra, Augustin. Epist. 65. ad Paulinum & Therasiam.*

3 *Authoritas Ioannis Euangelistæ, & testis dignitas qui recubuit super pectus Iesu, qui scripsit hæc, cuius testimonium verū est, qui totus huc spectat, vt credamus in nomen vnigeniti filij Dei, & vt credētes vitā habeamus per nomen eius.*

IN FERIIS INNOCENtum Epistola.

Etvi

Et vidi, & ecce agnus stans super montem Sion, &c. Finis Epistolæ, Sine macula enim sunt ante thronum Dei. Apoc. 14. cap.

IN lectione hac, in qua de Ecclesia Christi peculiariter agitur, sciendum est eam esse duplicem: visibilem nimirū & inuisibilem, mixtam & puram. Visibilis seu mixta, est collectio omnium illorum qui profitentur Christi nomen ac Euangelium, & Sacramentis participant. In hac promiscuè sunt boni & mali, quemadmodum dominus parabola de iacto in mari verriculo etiam docet Matt. 13. Vidimus enim multos in Christi nomen baptizatos, qui quidem Euangelicam doctrinam profitentur, & ad sacramentorum sumptionem accedunt, attamen vita diuersum de se testantur, vitam ad nihil minus quàm Euangelium habent compositam. Hos tamen quandiu vnitatem seruant, & à crassis criminibus temperant sibi, iuxta ferre oportet vsque in illum diem quo Christus Angelos suos emittet ad auferenda omnia regni sui scandala. Videmus item contra nonnullos (ac horum mira est paucitas) qui vt Christi nomen gerunt, sic huic etiam adhærent vera fide: vt doctrinam Euangelicam profitentur, ita iuxta hanc etiam vitam componunt: vt sacramentis participant, sic horum quoque effectus in se declarant.

Ecclesia duplex.

Visibilis.

Matth. 13.

Cæterùm inuisibilis seu pura Ecclesia, est ea collectio credentium, de qua iam diximus: nimirum qui fidem Christianam & ore profitentur coram mundo, & corde constanti retinent coram Deo. Rom. 10. Christiani sunt & nomine & re ipsa, Euangelicam doctrinam & auidè audiunt, & sedulò exercent: sacramenta sumunt, eorúmque fructibus redduntur participes. Huiusmodi autem credentium concio seu Ecclesia propterea inuisibilis dicitur, non quòd videri nō possint qui in ea sunt, sed quòd nemo mortalium eos tales esse norit. Nam tametsi quatenus homines sunt, videantur, tamen quatenus veri credentes sunt, nō possunt videri, eo quòd vera fides lateat intus in corde. Pura verò horum ecclesia ob id dicitur, quòd nulla immunditia peccati malitiæ, nulla hypocri-

Inuisibilis.

Christiani re & nomine, qui.

sis ibid

fis ibidem deprehendatur. Quicquid enim illi siue loquuntur, siue sentiunt, siue faciunt; id vera simplicitate & veritate nititur. De hac sola Ecclesia præsens lectio agit: Quæ dicitur mons, quòd teste Daniele, totam terram impleuerit, seu per vniuersum orbem terrarum diffusa & conspicua sit. Dicitur item Sion, quòd specula sit, in qua videatur Deus.

Ecclesia varie appellationes.

Agnus dicitur Christus.

Agnus, dominus noster Iesus Christus est: de quo sic Ioannes Baptista inquit, Ioan. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Dicitur autem agnus, quod innocens seu purus sit, quòd sit item mansuetus, quòd ad hæc lana meritorum suorum nos vestiat, & cibo carnis suæ enutriat, Ioannis 6. quòd denique verum sit expiatorum sacrificium, Hebr. 8. De hoc agno vide Isa. 53. Hiere. 11.

Matth. 16. Colos. 2.

Dicitur verò agnus Christus stare super Ecclesiam, veluti supra ædium montem Sion, quòd caput eius sit, quódque eam defendat contra omnes portas inferi.

Cæterùm per centum & 44000. qui stabant cum agno, vniuersam electorum multitudinem intelligere debemus: sumpto videlicet numero finito pro infinito. Hi habent nomen Patris & Agni scriptum in frontibus suis, hoc est, Spiritu sancto consignati sunt, confitentúrq; palàm & intrepidè Deum, ac Iesum Christum, Deum nimirum esse verè patrem Iesu Christi, & Christum verè esse agnum seu vnicam pro peccatis oblationem. Ore suo palàm confitentur Iesum esse seruatorem, & corde credunt ipsum resuscitatũ à patre, & resurrexisse à mortuis. Apparet Ioannes peculiari affectu Christũ agnum Dei appellasse, respiciens in typũ agni Paschalis. Exo. 12. Huc etiam Euangelistam respexisse, dubium non est. Illius sanguis seruauit primogenita populi Israël, seruat nos sanguis Christi filij Dei viui. Illic nomina inscripta signo Thau liminaribus superioribus: hic nostra nomina per sacrosancta stigmata signata sunt in æterna cælestis patris aula, Lucæ 10. Vide quid nobis contulerit agnellus Dei niueus, innocens, purus. Scripti sumus in cælo in libro vitæ, inscripti sumus cordi, manibus & pedibus IESV CHRISTI, vnde & inscripti sumus penetralibus sacris pectoris patris cælestis. dilecti sumus in dilecto, quia ipse nos sibi sanctificauit

Christus typus agni paschalis.

peculia

peculiarem populum. Dicit ergo Apostolus, nos nomen patris & nomen agni in frontibus nostris habere. De consignatis huiusmodi plura vides in eodem lib. supra cap. 7. & 9. De signo quo ab aliis discernimur, vide Cyprianum contra Demetrianum, Ambrosium in sermone inuentionis crucis sanctæ. Similia ferè vides apud Ezechielem cap. 9. De signo Thau, quod apud Hebræos signum per se denotat. Signi huius meminit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem. verba eius inter alia sunt hæc. Ipsa enim est litera Græcorum Tau, nostra autẽ T. species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & catholicam Ierusalem.

T. Signũ.

Vox aquarum multarum vniuersos Ecclesiæ filios significat, qui laudant quòd per Christum sint facti primogeniti creaturæ eius, quòd in Christo sint facti regale genus & sacerdotium sanctum, quòd per Christum illis aditus regni cælorum sit patefactus. Vox citharæ animam significat humanam. Cithara edit sonum, tactu chordarum intus conceptum. Animæ autem infunduntur corporibus, haud secus atque sonitus citharæ. Laudant piæ animæ Deum per Christum suum redemptorem, gratiásque agunt pro sacramento redemptionis. Alia est vox & cantus musicorũ Babylonicorum & Sardanapalitarum, de quibus dicitur Apoc. 18. & Isa. 5.

Vox aquarum multarũ, quid.

Vox citharæ, quid.

Hi cantant ad sedem Dei canticum nouum, hoc est, puram tranquillámque conscientiam per fidem habent, Deúmque iugiter laudibus, gratiarum actionibus prosequuntur. In Ecclesia quoque hac verè cantatur canticum illud nouum Euangelij. Euangelium promulgatur ore, corde, vita. De hoc cõcentu habetur Apoc. 5. Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & diuitias, & sapientiam & fortitudi[illegible]m, & honorem & gloriam & benedictionem. Et hoc cap. 7. Benedictio & claritas, & sapientia, &c. Et hoc cap. 15. Quis non timebit te domine, & magnificabit nomen tuum? &c. Et cap. 11. Gratias agimus tibi domine Deus omnipotens, qui es & qui eras & qui venturus es, &c. Itẽ cap. 19. Alleluia, &c. Hæc omnia fidelium sunt carmina: fidelium, inquam, tam ex Israëliticorum quàm ethnicorum ad Christum conuersorum numero, omniũ, inquam, qui tam explicitè quàm

Fidelium carmina.

Implicitè Christum vnquam à condito mundo timuerunt & crediderunt.

Hi empti sunt de terra. hoc est, quum in peccatis concepti natique essent, ab eisdem sunt liberati, atque à perditione erepti & iustificati sunt, idque non corruptibilibus auro & argento, sed pretiosissimo sanguine immaculati agni Iesu Christi.

Apoc. 1. Hi cum mulieribus non sunt coinquinati, sed virgines sunt, hoc est, non sequuntur carnis desyderia & opera, sed summa cura ab his abstinent, non addicunt sese mundanis voluptatibus, non habent ventrem ac Mammon pro Deo, non Satanæ militant: sed contrà castitati student, corpus suum castigant, sobrietatem colunt, liberalitatem erga pauperes & afflictos exercent, cælestes thesauros corradunt.

Castitati studere.

Hi sequuntur agnum quocunque ierit, hoc est, conformes sese reddunt imagini filij Dei, sanctámque ac piam agunt vitam.

His notis veri electi Dei deprehenduntur.

Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno, hoc est, redemit eos Christus ab omni iniquitate, purificauitque sibi populum peculiarem.

Horum in ore nullum inuentum est mendacium, seu nullus dolus, hoc est, veraces sunt & simplices, nec vel in minimo proximum suum decipiunt: imò ne cogitant quidem vlli malum.

Hi denique sine macula sunt ante thronum Dei, hoc est, vt puritati per omnia student, sic & Deus pro sua misericordia illos pro puris reputat, etsi alioqui nemo in cõspectu eius iustificari possit, si ille iure suo velit agere.

Psal. 142.

Vide, ex his notis deprehenditur veri electi, viua Ecclesiæ membra, ex constanti, inquam, veræ fidei confessione, ex puritate conscientiæ, ex carnis mortificatione, ex sancta & pia vita, ex veritate & simplicitate erga proximum. Talium credentium congregatio vera est & inuisibilis Ecclesia, sponsa Christi sancta & immaculata, vxor agni non habens vllã maculam aut rugam. Ephes. 5. columna & firmamentum veritatis. 1. Timoth. 3. habitaculum Dei, templum spiritus sancti. Eisdem ergo & nos insigniti notis simus oportet, si de capite Christo & de Ecclesia gloriari verè velimus, si huius cælestis ciuitatis incolæ

Ecclesiæ vera & inuisibilis.

Quibus notis Christiani veri insigniri debeant.

incolæ esse velimus: alioqui non proderit nos vocari Christianos, profiteri Euangelium, accedere ad sacramenta. In ò actum erit de salute nostra. idem nobis obtinget, quod fatuis virginibus. Quare si cordi nobis est salus, huc omnibus modis enitamur, quò huius Ecclesiæ simus filij, huius corporis viua membra, vt nimirum castam virginem nos exhibeamus Christo. huic vota quæ vouimus in baptismate, fideliter persoluamus, vt per veram vitæ innocentiam conformemur imagini eius, vt sine dolo immaculati inueniamur vsque in finẽ. Amen.

Præsens hæc lectio nõ eo nomine in hisce Innocentũ feriis nobis præfigitur, quasi de illis agatur in ea ppriè: sed ob id quòd commemorentur hic quædam quæ non ineptè in illos competãt. Dicit enim Ioannes fuisse cum agno super mõte Sion turbam admodum numerosam. sic nimirum & illorum maxima citra omne dubiũ multitudo fuit propter Agnum Christum occisorum. dicit item Ioannes eos qui fuerunt cum Agno primitias Deo & Agno fuisse, virgines fuisse, neque dolum habuisse in ore suo: ita videlicet & innocentes verè primitiæ seu primi martyres Christi fuerunt, fuerunt & virgines, ac sine dolo, quippe infantes. Ad quorum exemplum oportet omnes, qui in regnũ cælorum aditũ sibi patere cupiunt, pueraſcere rursus, Matth. 18. Luc. 9. Hoc est quod ait Apost. 1. Corinth. 4. quantum ad malitiã nos pueros esse oportere, perfectos verò esse quantum ad sensum. Vocabulum innocentiæ, satis qui pueri euangelici sint, explicat. Ad perfectionem ætatis virilis euangelicã, sine puericia ea nunquam pertingemus. Qui se humiliat exaltabitur. Ob hanc similitudinem seu vicinitatem legitur nunc dicta lectio, alioqui generalis descriptio est totius cœtus credẽtium, seu totius Ecclesiæ spiritualis, vel omnium verè sanctorum & viuorum Christi membrorum.

EPILOGVS.

1 *Christus Agnus est qui tollit peccata mundi, Ecclesiam suã, hoc est, numerum populi Dei contra bestiam protegens.*

2 *Ecclesia Agno stanti psallit canticũ nouum, hoc est, laude & imitatione, cõfessione fidei, & recta vita Deũ cõcelebrat.*

3 *Innocentia verorum Christianorum, virgines sunt casti & pudici, sine macula, & immaculati in via. Psal. 118.*

IN FERIIS EORVNDEM Innocentum, Euangelium.

Matth. 2. *In illo tempore, Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, Surge, &c. Finis Euangelij, Noluit consolari, quia non sunt.*

HOc euangelijũ complectitur tria. Primò, solicitudinem plusquam paternam, quã erga suos habet pater æternus, cùm ait: *Angelus domini apparuit in somnis Ioseph, dicẽs, Surge, & accipe puerũ & matrẽ eius, & fuge in Aegyptum.* Deus enim agit curã suorũ: ita custodiuit & liberauit Mosen ab aquarũ submersione, Exod. 2. Abraham de Vr Chaldeorũ, Gen. 11. Isaac de sacrificio, Ibid. 22. Iacob ab indignatione Esau, Ibid. 27. Ioseph à puteo, & à vinculis Pharaonis liberauit, Ibid. 39. Hos nõ tantùm ad vitã prædestinauerat: verũ etiam ad amplissima munera in suo populo administrãda ipsos ab æterno præordinauerat. Et ne irritũ esset æternũ suum propositũ, vtq; ostẽderet sese potentẽ ad saluandum, si velit, vel in maximis periculis: ideò Patriarchas illos ex tantis discriminibus eripuit, vt inde discamus duo. 1. Verùm esse illũ scripturæ locum, Nõ est sapiẽtia, nõ est prudẽtia, nõ est consiliũ contra dominũ. 2. Quicquid Deus ab æterno futurum præordinauerit, adeò stabile, immobileq; futurũ, vt nulla sit virtus humana, nec diuina, quę hoc impedire possit.

Deus saluat in maximis periculis.

Prouer. 21.

Decreuerat Deus vt filius suus post 33. annos mortem pateretur in cruce, non gladio. Voluit Herodes hoc impedire, sed nihil minus potuit. Nam Deus misit Angelum, qui Ioseph admoneret vt se in Ægyptum cum matre & infante conferret.

Docemur hac doctrina, quòd quemadmodum tunc temporis Lucifer non potuit per seruũ suum Herodem è medio tollere virginem sacratissimã, nec benedictum eius semen Iesum, caput & fundamentũ Ecclesiæ catholicæ: ita nec modò poterit, quantumuis insaniat ac furiat, per seruos suos Lutherum, Brentiũ, Caluinum, tollere Ecclesiam Romanã matrem Catholicorum, veram sponsam Christi: nec eius pontificem, qui verum est caput & fundamentum Ecclesiæ: quia verum est, & immobile

Herodes et Hæretici serui sunt Satanæ.

Decretum Christi immobile.

stabit illud Christi decretũ: Petre, ego pro te oraui, &c. Luc. 22. Et illud: Ego enim vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. *Matth. 28.*

Deus item interdum sinit suos varia & grauia pericula ex periri, & se videre dissimulat: attamen malo ingrauescente ac inualescente adest, & liberat. Sic liberauit Noë à diluuio, Gen. 7. & 8. Lot ab excidio Sodomorum, ibid. 19. Filios Israël ex Ægypto, Exod. 14. & 15. Dauid à Saule & Goliath, 1. Reg. 17. & 19. Eliam à Iezabele. 3. Reg. 19. Magos ab Herode, Matth. 2. Susannã à senibus, Daniel. 13. Danielem à leonibus, eiusdem. 14. Tres pueros de fornace ignis ardẽtis, eiusdem 3. In nouo quoque Testamento liberauit Petrum è carcere Herodis, Act. 12. Paulum ab insidiis Iudæorum, de profundo pelagi, de Damasco, Ibidem 23. 24. 28. & 9. Ioannem Euangelistam ab exilio, Athanasium ab Arrio hæretico, Discipulos à tempestate matis, Matth. 4. & 14. Nam nouit dominus qui sint sui, 2. Timoth. 2. Custodit dominus animas seruorum suorum, Psal. 96. Pater solicitus est pro filio suo dilecto, Ioan. 8. Pater reducem facit filiũ suum ex Ægypto in Iudæam & Galilæam in ciuitatem Nazareth, vt veros faciat prophetas, Osee, qui cap. 11. dicit, Ex Aegypto vocaui filiũ meum. & alios, quos Matth. 2. ait dixisse de Christo, Quoniam Nazaræus vocabitur.

Deus in periculo ingrauescẽte suis adest.

Quid nos faciemus, vt nos Deus velit custodire? Dauid hoc consulit, vt qui Psal. 144. ait, Custodit dominus omnes diligentes se, non credentes tantùm, sed diligentes se: & omnes peccatores disperdet, etsi maximè credant. Qui ergo vult à Deo custodiri, diligat Deum. nam de diligentibus Deum, inquit Dauid, Custodit dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. *Psal. 33.*

Doceat hîc cõcionator populum, Deum supra omnia diligere, ipsiúsque mandata seruare: & dominus ipsum custodiet. Et si Herodes ferociat, inuidúsque in nos sæuiat, nobis dormientibus Deus nos custodiet. Hodiernum euangelium hoc testatur. Custodiuit Deus olim Israëliticum populum quasi pupillã oculi sui, Deute. 32. Zacha. 2. & non custodiet modò Christianos, quos sanguine suo redemit? Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? 1. Petr. 3. Et quis est qui vobis noceat, si boni

Concionatoris munus.

Talis nūc erga nos Deus est, qualis olim in beatos.

æmulatores fueritis? Nam certè qualis fuit erga filium suum vnicè dilectum Iesum, qualis erga Mariam matrem, erga Ioseph, erga Magos fuit, talis & erga omnes electos tum fuit semper, tum hodie est, tum est futurus. Per filium enim suum ipsos quoque in filios sibi adoptauit: non ergo minùs pro ipsis habebit curam, quàm pro illo. Ne autem hìc quis dubitare possit, audiamus ipsum filium: Nolite (inquiens) timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus in gehennam præcipitare. Nónne duo passeres oli asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus præstatis vos, Matth. 10. Cõfirmabitur hìc igitur meritò fides nostra, ac certificabimur, si quidem in Dei timore agamus, & in ipsum omnem nostram collocemus fiduciam, quòd & ipse pro nobis solicitus tum sit, tum esse velit, quódque proinde nihil possit nobis vnquã obesse. Dicamus ergo cum Dauide, Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo.

Psal. 26.

Christi fuga in Aegyptum.

2 Complectitur fugam Christi in Aegyptum: cùm ait, *Consurgens Ioseph accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum, &c.* Christus enim ab ipsis teneris annis incepit ferre crucem, quò significaret Regnum suũ non esse de hoc mundo, Ioan. 18. in quo veluti Nabuchodonosor aliquis Babylonius, aut Persa Cyrus, aut Macedo Alexander, Cæsarve Romanorum Augustus, hostes suos protereret, & victor armis totum orbem occuparet, sed adumbraret regnum suum in hoc mundo futurum laboriosum, durum & calamitosum. Incepit ferre persequutionem: quò significaret in vita Euangelica esse crucem & afflictiones, Matth. 16. Si quis vult venire post me, &c. Nam mundus electos Dei odio lethali persequitur. huc omnes suos conatus, omniáque studia intendit, quò eos è medio tollat, occidat, extinguat.

guat. Quid causse autem hoc moueat illum, ex Herode facillimè dici potest. Is enim ob id tanto odio flagrabat in recens puerum Iesum, quòd timeret se ab hoc expellendum tandem. Audierat nanque ipsum esse natum regem Iudæorum: Sic, inquam, & mundus ob eam solùm causam tam immaniter in electos debacchatur, quòd arbitretur per hos suæ quippiam decessurum authoritati, dignitati ac potentiæ: quódque hinc eos habeat suspectos, reputat seditiosos, perturbatores, seducto. es, maleficos, &c. Incepit etiam Christus à teneris annis ferrẽ exilium, quo significaret oportere nos prius cum Christo pati, quàm glorificari.

Odij Herodis in Christũ caussa ambotão.

Potuisset Deus Herodem vel vnico verbo coërcuisse, atque in abyssum inferni cum toto regno deturbasse: sed noluit. Non enim omnia quæ potest Deus, eadem & facit. Oportebat enim & Christum pati pro mundi salute, & Herodis iniquitatẽ reuelari. Quòd ergo Deus non facit semper quod potest, non per impotentiam quandam aut malignitatem intermittit, sed quòd sic egisse neque conducat expediátve nobis, neque ipsum sic deceat agere. Profugit autem in Aegyptum, propter duas causas. 1 Vt scriptura impleretur, Osee 11. Ex Ægypto vocaui filium meum. 2 Vt re ipsa ostendat se Iudæos propter ipsorum incredulitatem & ingratitudinem deserturum, & gentes accepturum. Hinc Iudæi regem cælestem Christum amittebant, qui venit eos seruare: terrenum verò Herodem tyrannum retinebant, qui ne liberis quidem suis pepercit, sed miserabiliter trucidauit, vt Augustus testatur, qui dicebat se malle esse porcum Herodis, quàm filium.

Nõ omnia quæ potest deus eadẽ statim facit.

Fugæ Christi in Aegyptũ duæ caussæ.

Macrob. lib. 2. Sat.

Videtur hæc fuga respicere ad dictum Isa. 19. Ingredietur dominus Ægyptum, & commouebuntur simulachra Aegypti à facie eius. Recordatus nanque Dominus plagarum, quia non in finem iracitur, ingreditur Ægyptum, non vt plagis eam vexaret amplius, sed vt daret illi magnæ reconciliationis signum, & perpetuæ amicitiæ pignus, vt populus ille qui antè fuerat persequutor populi primogeniti Israël, heret custos filij vnigeniti: ac qui illi populo dominati sunt violenter, filio cum deuotione seruirent reuerenter: ac sic iam nõ irent

Deus non irascitur in finem.

Universidad de Bibliotecas

ad mare rubrum demergendi, sed vocarentur ad aquam baptismatis viuificandi. Quia ergo à suis non est receptus (Ioan. 1.) sed persequutus, transiit ad gentes. O infœlix Iudæa: fugit à te lumen tuum, & ad gentes pergit Aegyptias, vt qui in tenebris sedebant, lumen Dei patris acciperent, Isa. 9. Quia peregrè in cunis iacere debuit, nec ei locus erat in diuersorio, locum refugij quæsiuit in Ægypto.

Fuga in Aegyptũ parentibus Christi admodũ suba mara crux fuit.

Hęc fuga parentibus Christi non leuis & exigua crux erat. Vix enim è Beth-lehem aut Ierosolymis domum venerant, suámque rem domesticam in Nazareth dispo suerant, quin mox adesset Angelus domini, & iuberet rursus peregrinari in Ægyptum. Nulláque mora facta, mandato diuino obsequentes, itineri se accingunt, nihil prorsus timentes, nec dubitantes de vario successu. Nihil hîc recusarunt parentes domini: non accusarunt iniquam sortem suam: non caussati sunt imparatos se esse tantæ profectioni: non obiecerunt, Si is est filius ille Dei, & se vindicet de hoste prophano, & tueatur etiam nos. Nihil, inquam, huius vel in mentem admiserunt, sed vbique Deo crediderunt & obedierunt,

Spiritus domini vbi adest, ibi libera & prompta obedientia, & ad omnia voluntas.

atque eius se curæ commiserunt, imò illa ipsa nocte statim exurrexerunt, & monitis Dei absque vlla paruerunt mora, Quia vbi spiritus domini, ibi libera & prompta obedientia, & ad omnia voluntas. Nam qui verbo Dei credunt, verbo Dei non obedire non possunt. Hæc planè fuit Abrahamica fides absoluta, verè iustificans.

Docentur ex hac historia Christiani, patriam, natale solum, parentes, facultates, amicos, quietem, omnia penitus debere relinquere, vt Deo obedientes nos præstemus. Nil prorsus sit oportet, nec in terris, nec in cælo,

Nihil sit oportet nec in terris, nec in cælo, quod nos à Dei obedientia remoretur.

quod ab ipsius obedientia remorari nos possit. Maria sanctissima non patriam dulcem, non suos amicos, non affines, nec vllos cognatos moratur, dummodo Deo patri obsequatur. O fœlices qui illam imitantur. ita Abraham, ita Iacob, ita Moses, ita Aaron Deo iubenti, omnibus negiectis, superatísque periculis, animo infracto obsequuntur. Hos igitur, & Ioseph, virginémque Mariam imitemur.

3 Com

3 Complectitur hoc Euangelium Herodis regis tyrannidem, cùm ait. *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde: & mittẽs occidit omnes pueros qui erant in Beth-lehem.* Fuit Herodes iste sanguinarius & tyrannus sæuissimus. Nam Hyrcanum, & eius filiũ, omnéque regium semen perdidit. Iosephus antiquitatum Iudaicarum lib. 15. ca. 7. Genealogias cremandas dedit. Sororem Salome, vnà cum marito Iudæo, & proprium filium interfici curauit. Multum innocẽtis sanguinis effudit: imò hoc impio consilio occidit ille omnes bimulos, aut hac ætate minores, quotquot erant in ipsa Beth-lehem, & in eius oppidi finibus, vt in tãto numero & ipsum puerum Iesum (quem vnicè cupiebat extinctum) simul occideret, quò videlicet sic tutò suum obtineret regnum. In hoc rectè lupum imitatus, qui famis impatiens, & ouem diligenter quærens, si ouile interrumpere valeat, non solùm vnam, sed omnes ouiculas iugulat, vt sic pinguiore atque delicatiore nacta famem extinguat.

Herodes tyrannus sæuissimus et sanguinarius.

Herodes Iupo similis.

Vnde hic Herodes tantum odium sibi conciliauit, vt nec ad horam tutus esset, semper metuens aliquando proditurum, qui ipsum tanquam alienum & vi obtrusum regem atque tyrannum, à solio in malam rem esset præcipitaturus.

Tyrannũ quos terrẽ ipsi plus metuunt.

In tali dum versatur metu, nec sibi bene consultum existimat, qdin aliquid mali sibi ominatur: nascitur Christus, Luc. 2. Angeli canunt, Pastores adoratum veniunt, Magi ab oriente cum muneribus accedunt, quærentes vbi sit natus rex Iudæorum, Matth. 2. Hinc Herodes turbatur, conuocat Pontifices & Scribas populi, perquirit curiosè tempus stellæ à Magis, mittítque eos in Beth-lehem inquisitum de puero: vt ipsi nuntient. At illi profecti repererunt puerum cum Maria matre eius, prostrati adorauerunt, & obtulerunt puero aurum, thus, & myrrham, Matth. 2. Admoniti in somnis ne redirent ad Herodem, per aliã viam reuersi sunt in regionem suam. Quare sentiensse illusum, iratus occidit omnes pueros, &c. Non absimilis Pharaoni. Idem enim in vtroque diabolus sæuiens, per Pharaonem electæ gentis stirpem excindere voluit, ne ex illa humani generis redemptor secundum promissionem Abrahæ factam aliquando

Herodes nõ absimilis Pharaoni.

E v

nasceretur. Per Herodem verò, iam natum persequebatur. Præcepit Pharao obstetricibus Aegypti, dicens, Quando obstetricabitis Hebræas, & tempus partus aduenerit, si masculus fuerit, interficite illum: si fœmina, reseruate, Exod. 1. Itémque omni populo præcepit, dicens, Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite. Vtrobique pro vnius suspecta persona trucidatur multitudo numerosa paruulorum. vtrobique qui quærebatur, euadit. Mosen quippe filia Pharaonis, Christum Aegyptus seruauit.

Porrò ne quis addubitet hoc dispensatione diuini consilij sic euenisse, prophetæ Hieremiæ vaticinium adducit, hoc præsagio mentis afflatæ iam factum cernentis, quod multis post seculis esset futurum. *Vox*, inquit, *in Rama est audita*, vox vehementer plorabunda, lugubris ac lamentabilis. Nimirum Rachel ea erat deplorans filios suos: nec admisit consolationem, propterea quòd essent omnes è medio sublati. Rachel quæ enixa Beniamin, hoc est, doloris filium, mox à partu periit: sepulta est non procul à Beth-lehem. vnde propheta sub huius persona, matrum luctum, suos filios ab Herode trucidatos deplorantium, expressit.

Ierem. 31. Rachel plorans, typus matrũ proles suas deplãgentiũ.

Rogas quare Deus pueros occidi permiserit? Respondet Theophylact. Vt in illis Herodes suam ostendat malitiam. iterum ait, Nunquid vt ostendatur illius malitia, ideò debuit pueris fieri iniuria? Audi igitur. Quantum ad Herodem attinet, iniuria est, & puericidium horrendum, sed quantum ad pueros non est violentum homicidium, sed benignum martyrium puerulis à Deo ad aureolam & gloriam concessum. Nam multò contulit ipsis meliora, quàm ipsis abstulerint impij furoris satellites. ereptos enim ex hoc seculo prauo & ærumnoso, ineffabili & æterna donauit gloria. Florem igitur hunc puer Iesus suauissimum præcoquemque fructum decerpsit, sciens in quos tribulos & sentes abituri erant, si superuixissent. Rapti ergo sunt, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio deciperet animas illorum, Sapiẽ. 4. Coronam infantes electi & Deo dilecti non quidem faciendo, sed certè patiendo meruerunt. Nec illis credenda est defuisse ratio, vbi tanta Dei fuit gratia. Sunt itaque

Deus cur pueros innocẽtes occidi permiserit.

que & martyres & cõfessores, Innocentes infantes, sunt & doctores, quippe qui sanguine scripserũt proprio, non attramento alieno. Scripserunt per passionem iter esse ad consolationem vitę ęternę. quod sic quoque legimus, Ioan. 15. 16. Item in Epistolis ad Rom. & ad Timoth.

Innocentes sunt et martyres & cõfessores & doctores.

Discamus ex hoc Euangelio, quantam duritiem & sæuitiam mortalium cordibus dominandi cupiditas adferat: siquidem Herodes vel ipsum Christum, Deum viuum omnipotentem tam crudeliter insectari præsumpserit. Si cogit cupiditas manus inferre domino, creatori, ac redemptori, quid faciet inferioribus? Caueant igitur mortales à malo tam truculento atque atroci. Hæc cupiditas turbat regna, ciues confundit, fratres commouet, pauperes opprimit, pares decipit, maiores perdit, proximos dilaniat, atque omnes affectus vehementer accendit. Hæc dominandi cupiditas tot imperatores Romanos, tot reges proditoriè sustulit è medio. Hæc charitatem eneruat atque extinguit, fidem mortificat, spem euertit, ac reliquas virtutes animabus eripit. hæc Absalonem contra parentem suum Dauidem armauit. 2 Reg. 15. & 17. Hæc commouit Aman, vt pararet Mardochæo patibulum, omnibúsque Iudæis moliretur exitium, Esther. 5. Hæc Christo intulit mortem, Ioan. 11. & 19. Hanc cupiditatem curat ac frænat charitas. Hanc amemus, vt ipse qui charitas est, nos à tam pestifera dominandi libidine impollutos conseruet, vtque sic nos, in quibus per fidem viuam Christus natus est, qui stellam eius vidimus, qui Euangelij dulcedinem gustauimus, & Christum nouimus: relictis viis peccatorum aliud iter ingrediamur, quod perducat nos in veram illam patriam cælestem, in vitam æternam, Amen.

Cupiditas dominãdi multũ mali dãnique adfert mortalibus.

EPILOGVS.

1 *Solicitudo Dei prosuit, iuxta illud, De ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Isa. 49. Apparet angelus, iubet vt fugiant in Aegyptũ, reuocat ex Aegypto in terram Israël.*

2 *Ab ipsis vrtæ initiis exemplo Christi ad tentationes & insidias præparemur oportet. Fili accedens ad seruitutẽ Dei, sta in timore, & prepara animam tuam, &c Eccl. 2.*

3 *Impietatis exemplum in Herode, quod durat in consummationem seculi vsque, Eccl. sua persequutionem sustinente.*

IN

IN FERIIS CONVERSIONIS Pauli Epistola.

Act. 9. ***Saulus adhuc spirans minarum, &c. Finis Epistolæ, Affirmans, quoniam hic est Christus.***

IN hac historia duo obseruanda. Primò, Status & cõditio eius ante conuersionem, id est, qualis prius fuerit, summus scilicet hostis Ecclesiæ Christi: id quod omnes probant circunstantiæ, quæ & omnes facti indignitatẽ arguũt, vt 1. Ætas, quia iuuenis id tẽtauit, quẽ vel pudor vel facilitas iuuenilis cohibere debuisset. 2 Conditio, quia priuatus id susceperit, qui omnino nullo magistratu fungeretur. 3. Disciplina, quia discipulus cunctantissimi viri Gamalielis fuit, qui diuersum absq; dubio, si non semper, at exemplo tandem eius, Act. 5. doctus fuerat. 4. Libertas, quia non iussus, nec coactus, sed spontaneo impetu excitatus fecit. 5. Locus, quia nõ domi mansit, vbi multis tamen sese opponere potuisset. 6. Modus, id est, institutæ persecutionis genera: quia nõ disputatione rem aggreditur, id quod maximè tamen sanctum, doctum & facundum, ac præsertim iis annis decuisset. Media, quia non de mandanda Damascenis vi, sed per seipsum exercenda cogitat. & Obiecta, quia non in præcipuos, sed promiscuè in omnes, quotquot viderentur eius sectæ, grassaturus, neque in viros tantùm, sed & fœminas sæuiturus fuerat.

Paulus qualis fuerit ante cõuersionem.

Porrò hîc iam causſæ & adiumenta tam funesti odij obseruanda. Causſæ tres fuerunt. duæ propinquæ. Interna, inscius pro diuina lege & auita disciplina zelus, sicut ipse sæpenumero fatetur, vt Philip. 3. Gal. 1. Similem verò Iudæis suis tribuit Rom. 11. Vnde patet quàm exitialis sit cùm operum, tum traditionum humanarum arrogans & obstinata admiratio. & Externa: fusus sanguis Stephani, nam & ipse iuuerat. Nequit autem fieri, quin qui semel biberit, plus subinde sitiat. fascinantur enim, vt quo plures necant, hoc se plus cum Deo triumphare putent. Tertia verò altior, vt permissio Dei, qui hoc ipso pacto voluit hæc conficere, vt Paulus quo ad Deum esset documento insignis eius cùm misericordiæ, quòd tam noxium

Paulinæ persequutionis tres causſæ.

noxium susceperisset: tum potentiæ, quòd tam durum conuertisset. Quo ad Euangelium, esset documento summæ veritatis, vt quæ ipsum quoq; Paulum tandem attraxisset. Quo ad Apostolatum, impetum impetu, zelum zelo compensaret. nam quo grauius prius persecutus fuit Euangelium, hoc ardentius id postea professus & tutatus fuit. Tandem vt Paulus quo ad auditores tãto melius & Iudæos intractabiles ferret, & Gentes insçias erudiret. Maximè verò vt de iustificatione tãto plenius atque confidentius diceret idq; suo exẽplo, quòd tam sæuum perditúmq; tamẽ Deus tam clemẽter recepisset. 1. Timoth. 1.

Adiumẽta ipse sibi hæc delegit, nempe literas summi sacerdotis. ita Pharisaicus zelus semper captat speciem partim ordinis, cùm se ordinariæ potestati sed corruptæ sociat, partim sanctitatis, cùm se scriptis & decretis, sed humanis tantùm munit. At vicissim perditorum sacerdotum ordo, nullis æquè gaudet nisi sanguinariis, & eorum calamus nihil æquè scribit nisi sanguinem.

Pauli conuersio vbi contigerit.

2 Secundò, in hac historia obseruanda est ipsa conuersio, in qua conuersione item obseruandum. 1. Vbi sit conuersus, in ipso itinere, sed cùm iam Damascum propè attigisset. Hinc perspicimus. 1. Dei sapientiam, quòd articulos temporum quàm notissimos habet, ac tametsi & impios ad manifestandam eorum impietatem aliquousque progredi sinat, vt iam imperare sibi videantur, & pios ad manifestandam eorum fidem aliquousque premi sinat, vt iam expirare sibi videantur, tamen nouit terminos quando sint & cohibẽdi impij & liberandi pij. 2. Dei potentiam erga Paulum perspicimus, quòd iam ipsi vrbi imminentem, atque ideo tanto plus ferocientem, de improuiso sternit. 3. Perspicimus hinc Dei bonitatem erga Paulum quidem, quòd iamiam extremum peccaturum retrahit. erga Damascenos verò, quòd iam iam extrema perpessuros seruat.

Sapientia Dei circa Pauli conuersionem.

Terminos nouit Deus quãdo sint & cohibendi impij et liberandi pij.

Potentia Dei erga Paulum.

Bonitas Dei cùm erga Paulum tũ erga Damanatio, scenos.

Deinde hîc obseruandum quomodo sit conuersus. In quo iterum duo perpendẽda. 1. Quomodo ad subiectionem sit cõpulsus, quod factũ est per Christũ, vt per ipsum Christum vocaretur is qui agnoscẽdus erat pro Apostolo. nam ad Apostolicam, functionẽ pertinebat talis ordinatio, quam & ipse sæpe vrget, ne inferior aut seiunctus

esse

Modus conuersionis Pauli duplex.

esse videretur, Gal. 1. Factum est hoc duplici isto modo. 1. Fulgure, idq; partim vt maiestas præsentis Dei probaretur, qui vt lux est, & in luce inaccessa habitat. 1. Tim. 6. sic præsentiam suã crebrò luce manifestat, partim vt docilitas locuturo Deo pararetur, demõstrata nimirũ Paulo & cæcitate & labilitate sua, qua se frustrà sapientiæ ac potentiæ Dei opponeret. 2. Voce, & hic colloquiũ obseruãdũ. Christus ter alloquitur. 1. Iacẽti exprobrat persecutionem, atq; ibi mira est collatio inter oppugnãtem, cùm in terra iaceat, & oppugnatum cùm è cælo clamitet. Par absurditas manet iniquos sanguinarios. 2. Interroganti (præ stupore) quis nã sit, quò plus pungatur, indicat & se Iesum esse, & eius persecutione peti. vbi disce, quãti Euangelium faciendũ, cũ Christus suã causam esse pronuntiet, à qua nihil vult habere separatum. deinde quàm libenter sit pro Euangelij testimonio laborandum, cùm & sociũ eius crucis Christũ habeamus, vindicémque habituri simus. Tandẽ quàm horribile iudiciũ eos maneat, qui vel Euangelium persequuntur, vel iniuriã membris Christi inferunt. Et indicat Paulum suo damno istud facere. vbi nota, hostes Euãgelij non tã alios quàm seipsos lædere, prẽterea istud vulnus esse lõgè lethalissimum. 3. Denuò interroganti (ex agnitione domini) quidnam faciendum sit, iniũgit vt Damasco eat, id quod sit vt Ecclesiæ ministeriũ cõmendetur. nam vt docilem quidẽ Christus reddidit, sic docendũ tamen Ananiæ tradidit: & humilitas & confessio Pauli plus probetur. nã quos vinctũ iuerat, his iam se offerre dederéque, atque deprecari culpam cogitur. Iniungit etiam vt expectet, quò & metus eius tanto diuturnior sit, quem etiam assurgẽtis tremor, triduique cæcitas multum iuuit. quanquam & prioris suæ cæcæ vitæ characterem secum ferre debuit, & obedientia eius tantò exploratior fiat, quam & pulchrè declarauit triduana abstinentia, & assidua inuocatio.

Christus ter Paulũ alloquutus est.

Hostes Euãgelij nõ tam alios quàm seipsos lædunt.

Porrò eadem facit lex in nostri emendatione. nam & nobis dũris, ferreis, opus est diuinę legis fulgure, & voce compellãte & accusante, exaggerãte & minitante, cũ tremore, & caligãte quasi cõscientia, ad Euangeliũ ablegãte.

2 Perpendendum quomodo in Ecclesiam cooptatus sit. Cælestem siquidem Pauli conuersionem sequitur ministerialis

sterialis conuersio, nam per Ananiam docetur, baptizatur, ornatur manuum impositione donis spiritus, & restituitur oculis. Vnde quædam discimus.

Cælestem Pauli conuersionẽ sequuta est ministerialis cõuersio.

1 De ipso ministerio in genere, vt quanta sit eius dignitas, vt cui Dominus ipse multa transigenda hic relinquat. Idem habes in conuersione Aethiopis, Act. 8. & Cornelij, Act. 10. Deinde quomodo sit ab aliis acceptandum. Præeunte nimirum sedula inuocatione, vt dominus corda nostra præparet. nam & Paulus sedulò id precatus est, & accedente summa humilitate, vt ne à minimis quidem doceri dedignemur. nam & Ananias fuit de vulgari numero.

Aminimò doceri nemo dedignari debet.

Et quomodo sit nobis obeundum, Puta legitimè, vt vocantem Deum expectes, & si non vbique visis agit, vt cum Anania. vt vocanti pareas, nec vel pertinacia vel malitia reluctẽris. neutrum enim Ananias fecit, & si primò sibi metuit: id quod aliis etiam sanctis sæpe vsu venit: Mosi erga Pharaonem, Ionæ erga Niniuen. & vt ores vt electum sias organum, quemadmodum hic de Paulo Deus pronuntiat. Circunspectè, vt crucem certò secuturam putes, & tantam quidem, quantum munus ipsum & facultas fuerit: vt animum tempestiuè ad tolerandum præpares, vt Deum ores, vt te etiam velut Paulum ferre doceat. Ista enim ex prædictione Dei quam de Paulo Ananiæ fecit, manifestè fluunt atque colliguntur. Auidè, vt omnium institutionem & salutem quæras, neque quenquam aut superiorem, aut humiliorem, siue desperatiorem putes. Id partim Pauli munus, quod amplissimum ei assignatur, partim Ananiæ exemplum, qui durissimum cogitur erudire, docet, vt Dei verbum in sublimi quasi porres, vt semper luceat, sonet, vincat: & moderatè, vt nisi in summa necessitate ab anteactæ vitæ exprobratione caueas, sic Ananias hic cum Paulo agit.

Metus Viros cõstantes aliquãdo inuasit.

2 Discimus de Pauli ministerio singulariter. 1 Vt vox cælestis, sic & gemina visio ac miraculum Apostolicam functionem arguunt. 2. Vt cæterorum, sic cumprimis Pauli fuit prædicare gentibus Euangelium. 3. Quoad id confecit, hoc diuino verbo, Volo vt portet meum nomen, vbique perstitit. 4. Vt cæteris Apostolis, sic cum primis

Paulus præsertim gentium Apostolus.

primis Paulo tanquã selectissimo organo assentiendum est. Attendant igitur qui vel ipsi ministerium temerè captant, aut ad gratiam flectunt, aut ignauiter obeunt, aut furiosè exasperant, vel aliis creditũ contumelioſè negligunt: nostrum fuerit, agnita cæcitate cupidè aspirare ad opem ministerij. Nam extra id frustranea illustrationis spes: in ipso autem adest vox manusque operantis, & ad cælestia subleuantis Christi, cui sit honos in perpetuum.

EPILOGVS.

1 *Vocatio ad munus Apostolicum, non est viriũ nostrarum, aut liberi arbitrij, sed solius Dei misericordia. Hinc scriptura S. Pauli vocationem (vt aliàs magnorum virorum vocationes, Mosis, Samuelis, Isaiæ, Hieremiæ) tam diligenter describit, vt & domini misericordiam intelligamus, & fortitudinem: lupum vertentis in ouem: sic percutientis vt sanet, sic deiicientis vt erigat, sic exoculantis vt illuminet.*

2 *Magna cõsolatio quoniam persequutiones quas credentes sustinent, Christus suas facit. Viuit enim Christus in eis, & quemadmodum Christi omnia nostra sunt, ita vicissim nostra illius sunt. Quare dicit. Quur me persequeris? non meos. Et terret numinis potentia.*

3 *Exempla verè obedientium in Anania qui dicit. Domine ecce ego. & in Paulo qui ait, Domine quid me vis facere? Item constantem prædicationẽ habes Christũ esse filium Dei.*

IN FERIIS IISDEM
Euangelium.

Matt. 19. Marc. 10. Luc. 13. & 18.

In illo tempore. Respondens Petrus dixit Iesu: Ecce nos reliquimus omnia, &c. Finis Euangelij, Multi autem primi, erunt nouissimi: & nouissimi primi.

HOc Euangelium complectitur tria. Primò duas conditiones quibus Christiani ad Ecclesiam accessuri sunt. Prior; debent relinquere temporalia, scilicet parentes, filios, vxorem, sorores, fratres, amicos, domos, & agros, ídque propter nomen Christi. Hoc autem ideo dicit, quia quamplurimi Philosophorum, velut Socrates, Diogenes & alij diuitias contempserunt. idem fecit Diocletianus, qui se omnibus suis regnis abdicauit: non propter Christum

Christum, sed illi quidem propter suas opiniones, hi vero propter suam quietem: neutri sequuti sunt Christum. Christiano futuro non est satis sua bona derelinquere, ac diuitias cõtemnere: nisi id faciat propter Christum, & postea ipsum Christum sequatur. De his qui alia ratione bonum operantur, ait Christus: Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus: ideo receperunt mercedem suam, Matth. 6. & 23. Doceat concionator populum, bona quæ quis facit, propter Christum esse facienda, regulámque Pauli sedulò esse obseruandam: Siue comeditis, siue bibitis, vel aliud quid agitis: omnia in gloriam Dei facite. 1. Corinth. 10.

Christiano futuro non satis est sua derelinquere ac diuitias cõtemnere, nisi id faciat amore christi, ipsumque sequatur.

Posterior: debent Christum sequi in obedientia suæ vocationis. Nam bona relinquere non sufficit, nisi Christum sequamur. Philosophi complures sua bona reliquerunt, quidam suas diuitias in mare proiecerunt, è quibus vnus aiebat: Submergam te, ne demergar à te. sed quia Christum non sunt secuti, nihil ipsis profuit.

Est autem omnia relinquere, nihil aliud, quàm animo & affectu ita omnia propter Christũ abnegare: vt si ipse ad se suámque Ecclesiam quempiam vocet, nihil sit in mundo, quod ab ipso sequendo illum remorari possit: nec pater, nec mater, nec vxor, nec aliud ipsi charius esse possit aut pretiosius. Sic Abraham egressus est de terra sua & cognatione sua, & de domo patris sui, Gen. 12.

Quid sit omnia pro derelicto habere.

Est autem Christum sequi, nihil aliud, quàm in ipsum credere, ipsum super omnia diligere: in ipso spei anchorã figere, ipsum imitari tam in doctrina, quàm vitæ moribus. Ad hanc sequelam hortatur Apo. 1. Ioan. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Item Ecclesiastici 23. Gloria magna est sequi dominum. Longitudo enim dierum assumetur ab eo. Ita Petrus, Andreas, Iacobus, Ioannes, dereliquerũt nauem & retia, de quibus Matthæus 4. dicit: Vocati à Christo, relictis retibus & naui sequuti sunt eum. Matthæus dereliquit telonium de quo idem dicit 9. cap. Cũ transisset Iesus, vidit hominem sedẽtem in telonio, &c. Et surgens sequutus est eum. Magdalena dereliquit mũdum, diuitias, voluptates carnis, de qua Lucas 7. dicit, Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd

Christũ sequi quid sit.

Multi sanctorũ omnia illa dereliquerũt quæ illis ob

staculo erant ne Christũ sequerentur.

Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, &c. tanquam stercora omnia arbitrata est, vt Christum lucrifaceret. Paulus Act. 9. dereliquit omnia. Beatissima virgo Maria, atque tres reges Magi dereliquerunt omnia bona parentum, regna, ditiones, & imperia, de quibus dicit Matthæus 2. Ecce magi ab Oriente venerunt, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Quamplurimi martyres, virgines, & alij sancti vniuersi dereliquerunt omnia illa quæ illis erant impedimento ne Christum sequerentur, de quibus dicit Lucas: Quotquot enim possessores agrorũ aut domorum erãt, vendentes offerebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, Act. 4.

Christiani multifariã à Deo per Christum vocantur.

Docentur Christiani quòd multifariam à Deo per Christum vocentur. Stat ad ostium & pulsat, inquit Ioã. Apocal. 3. Iperans quòd quis ipsi aperiet. Clamat, inquit Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c. Item. 16. Si quis vult venire post me, &c. & 22. Omnia sunt parata, venite ad nuptias. Vocati ipsum sequamur, omnia relinquamus, patrem ac matrem, vxorem & filios, agros, domum: nosipsos abnegemus, vt ipsum sequamur. Huius nimirum insigne habemus exemplum in Paulo, Philip. 3. vbi sic dicit: Si quisquam alius videtur fiduciam habere in carne, ego magis habeo: circunciſus octauo die, ex genere Israël, tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta legem Pharisæus, iuxta studium persequens Ecclesiam, iuxta iustitiam quæ in lege est, factus irreprehensibilis. Sed quæ mihi erant lucra, ea arbitratus sum propter Christum damnũ esse. Quinetiam arbitror omnia damnum esse propter excellentiam cognitionis Christi Iesu domini mei, propter quẽ omnia pro damnis duxi, habeóque pro reiectamentis, vt Christum lucrifaciam, vtque reperiar in illo non habens meam iustitiam ex lege, sed quæ est per fidẽ Christi. Ensic & nos relinquere nosmetipsos debemus, reiicere dignitatẽ nostrę iustitię, & solo Christo niti, húneque thesaurum nobilem lucrifacere.

Sequela Christi insigne exemplũ in Paulo.

Præmia Christũ vere sequẽtiũ duplicia.

2 Complectitur hoc Euangeliũ præmia proposita his qui ita Christum sequuntur: quæ sunt duplicia 1. Æterna. de illis ait, *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Israël.* Futuram resurrectionem, regenerationẽ vocat, quia qui semel nati sumus ex carnali matre carnales, ita regenerabimur ex omnium matre terra. in cuius vterum nos omnes descendere oportet. Sensus ergo est, In futuro iudicio, cum reuixerint mortui, dabitúrque cuique pro meritis suis præmium, iámque filius hominis deposita quam nunc videtis, humilitate, cũ sederit in sede maiestatis, manifestè & vniuersaliter exercens iudiciariam potestatem, de qua Ioel. 3. & Daniel. 7. agitur, Sedebitis & vos piscatores, modò toti mũdo exosi, abiecti, ac penitus deplorati, tunc cõsortes honoris, qui nunc consortes estis afflictionis: iudicãtes duodecim tribus Israël: quia vobis credentibus, illi credere noluerunt, quòd ex eadem stirpe progeniti, iisdem miraculis ac beneficiis prouocati, tamẽ nulla ratione perduci potuerunt vt crederent, quum vos humiles & idiotæ, statim ad simplicem vocis iusionem, etiam illa reliqueritis, quibus vitam sustentabatis.

Æterna præmia.

1. Cor. 15. Philip. 3. *Resurrectionem futuram cur regenerationem vocet Christus.*

2 Temporaria. de illis ait, *Omnis qui reliquerit domũ, vel fratres, aut sorores aut patrẽ, aut matrẽ, aut vxorẽ, aut filios, aut agros propter nomẽ meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Pro singulis relictis cẽtuplũ accipiet in hac vita, quãtumuis sæuiãt persecutionũ procellæ. Siquidẽ longè plus accrescit ex charitate Euãgelica, quàm decessit ex immanitate persequutorum, vehementiores atq; dulciores sunt affectus spiritus, quàm naturæ. Psal. Particeps ego sum omnium timẽtiũ te, &c. Nulla enim comparatio fluxarum rerum, & mox etiam si nullus eripiat, perituraru, ad opes animi quas nemo potest elargiri nisi solus Deus. Nemo potest eripere, nisi qui largitur. Hinc ait, Marci 10. Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, &c. propter me & Euangeliũ. Luc. 18. Propter regnum Dei, qui non accipiat centies tantum, nunc in hoc tempore, hoc est, domos & fratres & sorores, & matres & filios, & agros cũ persecutionibus. Nẽpe pro dominis terrenis cælestem paradisum, pro cognatis ciues sanctorum & angelos, pro coniuge vniuersam Ecclesiam, pro agris & opibus sempiternas delicias.

Præmia temporaria.

Affectus spiritus vehemẽtiores atque dulciores sũt, quàm natura.

Universidad de

Et si hoc parum videtur, addetur & ad cumulum pro vita temporali æternæ vitæ possessio in seculo futuro.

Doctrina de iudicatibus, non tantùm concernit Apostolos, verùm et oēs illos qui Christum sunt sequuti, eúsque amore omnia contēpserunt. Sedes duodecim significant vniuersitatem iudicantium. Tribus duo decim vniuersitatē significāt iudicādorū. Trinitas tota authoritatiuè christus secūdū quod homo executiuè iudicabit. Apostoli per assessoriam dignitatē, cæteri electi per approbationē,

Doctrina hæc non tantùm concernit Apostolos, verùm etiam nos. Nam quod hîc dicit, Vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes &c. non tantùm Apostolis, verùm & omnibus illis qui Christum sunt sequuti, & propter ipsum omnia contempserunt, dictum sciamus. In die iudicij omnes pauperes spiritu iudicabunt, id est, conuincēt omnes auaros: humiles, superbos: mites, crudeles: pacifici, seditiosos: Catholici, hæreticos: iusti impios & impœnitentes: simplices corde, malignos ac maleuolos. Quod ita futurum testatur ipse Christus Lucæ 11. vbi ait. Ideo ipsi iudices vestri erunt. Item regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit illos, &c. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam.

Hinc est quòd per duodecim sedes intelligamus vniuersitatem iudicantium: alioquin cùm in locum Iudæ traditoris Mathiam legamus subrogatum, & Paulum etiam ad Apostolatum vocatum: nō haberent locum in sedibus, nec in iudicio, quod est falsum, dicente Paulo: Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? 1. Cor. 6. Hinc etiam est quòd per duodecim tribus intelligamus vniuersitatem iudicandorum: alioquin tribus Leui quidem decimatertia non veniret iudicanda, si tantùm duodecim essent iudicandæ: quod etiam est falsum, dicente Matthæo, quòd in die iudicij, plangent omnes tribus terræ: quia sunt iudicandæ, cap. 24.

Obseruandum quòd Christus secundum naturam diuinam, imò tota trinitas iudicabit authoritatiuè: secundum quod homo, executiuè. Ioan. 5 Pater omne iudicium dedit filio. Apostoli per assessoriam dignitatē, tanquam amici. Cæteri electi per approbationem, sententiā iudicantis iustissimam approbantes, minus mali, per cō parationem, sicut de Niniuitis dictum est, Matt. 12. Luc. 11. Qui ergo sua relinquentes, dominum secuti sunt, hi iudices cum domino erunt. qui licita habentes, rectè vsi sunt, iudicabuntur etiam, sed ad vitam, quibus dicetur: Venite benedicti patris mei, &c. Esuriui enim &c. Matt.

25. Qui

25. Qui verò donis Dei abusi sunt, cum illo epulone iudicabuntur ad damnationem æternam. Iudicium enim sine misericordia fiet in illos, qui non fecerunt misericordiam, Iaco. 2.

& minus mali percō parationē, iudices futuri dicuntur.

Hinc elicitur magna consolatio pro iustis confirmandis. Nam quid dulcius, quid sublimius pauperibus Christianis vnquam accidere poterit, quàm in solio maiestatis stipatum angelis, diuina authoritate præditum sedere? Iudicabit illic pauper Lazarus diuitem epulonem, Christus suos crucifixores, & martyres suos tortores.

Consolatio dulcis & sublimis pro pauperibus Christianis.

Elicitur hinc quoque iudicium horrendum malis extimescendum. Nam quid tristus aut horribilius, quàm infernalibus flammis absumi? ab illis iudicari, quos hîc iudicabas, spernebas, nihili faciebas? Sap. 5. Christum ergo sequamur, vt hæc omnia euitemus.

Iudicium horrēdum malis extimescendū.

3 Complectitur Euangelium hoc vocationem & electionem Dei gratuitā, cùm ait, *Primi erunt nouissimi, & nouissimi erunt primi.* Et alibi: Multi vocati, pauci verò electi, Matth. 20. & 22. Quibus verbis declarat Christus vocationem nostram ex sola gratuita Dei electione pendēre, nullúmque locum merita nostra ante iustificationem habere. Siue enim quis ad vineam domini, quæ est Ecclesia Dei, vocetur, siue in ipsa dignè ac meritoriè operetur, siue merita ad promerendam gratiam, ac postea vitam æternam habeat, omnia ex gratuita Dei electione pendent. Ideo inquit Augustinus: Cùm Deus nostra merita præmiat, sua dona coronat. in Psalm. 102. Et lib. de gratia & libero arbit. cap. 9. & Paulus: Stipendium, inquit, peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. Romano. 6. Idem: Ego faciam vt vos faciatis. Plus omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. 1. Corinth. 15.

Vocatio nostra ex sola gratuita Dei electione pendēdet Deus cùm nostra merita præmiat, sua dona coronat.

Quanuis omnia proueniant ex gratia, habent tamen sua merita, actiones & officia ex charitate facta: quia ex libero etiam arbitrio fiunt. Meritum tamen illud non ex nobis, sed ex Deo est, quod ante iustificationem nullum fuit nisi malum. Hæc est doctrina Augustini libro primo contra duas epistolas Pelagianorum cap. decimonono, qui volebant gratiam secundum merita no-

Meritum non ex nobis, sed ex deo est.

stra dari. Dic mihi, obsecro, inquit, quid boni Paulus adhuc Saulus volebat, ac non potiùs magna mala, quando spirans cædem, pergebat ad vastandos horrenda mentis cæcitate ac furore Christianos? Quibus meritis bonæ voluntatis, Deus illum ab his malis ad bona, mirabili & repentina vocatione conuertit? Quid ego dicam, quibus meritis, cùm ipse clamet, Non ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit? Tit. 3.

Gratiam primâ nemo mereri potest.

Elicitur hinc doctrina contra omnes qui docent primam nos posse mereri gratiam. Philippen. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere. Deinde contra omnes Christianos qui nullum beneficium se à Deo accepisse existimant, eo quòd ipsos ad Ecclesiam vocauerit, nec vllas ipsi gratias agunt, cùm maximas agere debeant. Item contra eos, qui etsi cognoscant, in hoc gloriantur tamen, quòd ipsi prius vocati sint ad fidem, quòd familia sua in religione Catholica profitenda sit antiquior: nec considerant verba Christi: Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Iudas primò fuit vocatus, & nouissimè latro: attamen hic vitam consequutus est, ille verò æternam damnationem. Vtinam nobis Catholicis non idem contingat, postremò vocatis iam nuper ad fidem Indis.

Deus cur diuersis mediis ad se sequẽdum vocet, nobis non est inuestigãdum.

Dignum est consideratione, quòd Christus Petrum, Andream, Matthæum, Philippum, ac reliquos Apostolos solo verbo ad se sequendum vocet: Paulum verò prostratione, cæcitate, tempestate, ac voce querula. Ratio huius diuersitatis occulta manet in pelago illo diuinitatis, in quo (vt Paulus & Isaias docent) est altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ eius, cuius iudicia sunt inscrutabilia, & viæ inuestigabiles, Romanorum vndecimo.

EPILOGVS.

1 *Apostolorum est atque omnium Christianorum, relinquere omnia, hoc est, voluntatẽ habendi deserere. & omnia contemptim amare, vt fructuarij probi solent & ti rebus, non & t planè domini & possessores. 1. Corin. 7. Præterit habitus mundi huius. Qui & tuntur mundo hoc sint tanquã non vtantur.*

2 *Hic discimus quòd cũ suis discipulis vnã Iesus incarnatus est.*

rus est. 1. Corinth. 6. Sancti mundum iudicabunt.

3 *Magna consolatio & promissio. Qui propter Euangelium Christi carnalia reliquerit, spiritualia bona recipiet, quæ sunt, vt centenarius numerus exiguo numero collatus. Oculus non vidit, nec auris audiuit quæ præparauit Deus diligentibus se. 1. Cor. 2. Isa. 64. Et momentanea leuitas afflictionis nostræ supra modum pondus gloriæ parit. 2. Corint. 4.*

IN FERIIS PVRIFICATIONIS beatæ Mariæ, Epistola.

Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego mitto angelum meum, &c. Finis Epist. Et sicut anni antiqui. *Malach. 3.*

IN hoc vaticinio Propheta Malachias præsertim quatuor facit, quæ plurimùm faciunt ad fidei nostræ certitudinem. Primò quando & quò venturus esset Messias, cùm dicit, *Hæc dicit dominus: Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit viam meam ante, &c.* E quibus verbis innuitur, tum statim venturum Messiam, quando venisset angelus domini Messiæ præcursor. At Ioannes Baptista is angelus & præcursor (vtvt obganniant Iudæi) verè fuit, & nemo alius præter eum, vti satis constat ex verbis angeli ad Zachariam, Lucæ 1. & proprio etiam ipsius Ioannis testimonio, Ioan. 1. Nam hic missus erat à Deo, vt præpararet viam domini, pararétque domino plebem perfectam. Item Matth. 11. Marc. 9. dicitur Ioannes angelus seu nuntius Dei, ob angelicam & doctrinam & conuersationem.

Tempus & tur messiæ post aduentũ præcursoris.

Marc. 1. Luc. 1.

Ioãnes cur angelus Dei dict⁹.

Verùm dominus noster Iesus statim Ioannẽ sequutus est, idque & in cõceptione, & in natiuitate, & in præsentatione, nam cõceptus, natus ac præsentatus sexto mẽse fuit post illius conceptionẽ, natiuitatem & præsentationẽ, & in prædicatione secut⁹ est & in morte: quod & ipse Ioannes apertissimè testatus est, dũ sic de Iesu dixit. Hic est de quo dicebam: Post me venit vir qui me anteceſsit, quia prior me erat, Ioan. 1. Consequitur itaque hinc, Iesum illum nostrum verè & fuisse & esse dominatorem dominum seu Messiam, quemadmodum sanè & à Io-

anne pro Messia & agnitus est, & deprædicatus.

Messias quò venire debeat ostẽditur.

Sed quónam statim venire debebat Messias? Ad templum sanctum suum, inquit, Hoc verò & in domino Iesu completum verè est, vti hodiernum Euangelium testabitur. Nam 40. die à natiuitate sua ad templum domini in Ierusalem à parentibus delatus est, ibíque domino præsentatus, ne dicam interim de aliis temporibus, quibus ipsemet templum adiit, ibíque docuit quotidie ferè. Consequitur igitur etiam hinc Iesum nostrum verè Messiam esse.

Messias qualis futurus sit, vaticinatur.

2 Secundò vaticinatur qualis Messias esset futurus: & ait illum fore dominatorem, & angelum testamẽti. Vnde nimirum clarè colligitur, Messiam & Deum & hominem fore. Nam dominatorem esse, diuinitatis est: angelum verò testamenti, humanitatis. At talis dominus Iesus verè fuit, verus nimirum Deus, & verus homo: vti scriptura passim testatur, & ex Simeonis etiam elogio apertissimè constabit. Dominator quidem est, quia dominus est omnium, habens potestatem omnem & in cœlo & in terra: iudex viuorum & mortuorum: splendor paternæ gloriæ: expressa imago substantiæ Dei, moderans omnia verbo potentiæ suæ, Act. 10. Matth. 11. & 28. Ioan. 5. Hebr. 1. Angelus verò testamenti est, quia è cælo à patre in terras per assumptam humanitatem est missus, reconciliatorque & mediator factus est Dei & hominum, pacificans per suum sanguinem & quæ in cælis, & quæ in terris sunt, Ioan. 5. 1. Timot. 2. Ephes. 2. Iã itaque certissimi sumus, nostrum Christum verum Messiam esse, verèque esse Deum & hominẽ, nouique testamenti in sanguine suo reconciliatorem, Hebr. 9. Frustráque Iudæos alium expectare.

Messias dei & hominẽ fore colligitur.

Messias dominator est.

Messias angelus testamenti est.

3 Cæterùm quòd ad tertium pertinet, à quibus videlicet agnoscendus esset Messias, aperitur, quum ad hunc modũ dominus inquit, *Ecce ventet, dicit dominus exercituũ, & quis poterit cogitare diẽ aduentus eius?* Ex quib⁹ verbis clarè colligitur Messiam à paucissimis cognoscendũ fore, & perpaucissimos temporis aduentus eius habitu-

Perpauciſsimi tẽporis aduẽtus meſsiæ

ros rationem. Hoc ipsum certè & in nostro Christo quã euidentissimè euenit. Priusquam enim is venisset & apparuisset, optabant omnes accelari Messiæ aduentum.

at vbi

at vbi apparuisset iam & doctrina & miraculis & conuersatione, tum cœpit ilico contemni, haberi odio, proscindi: nec quietum est, donec actus esset in crucem adeò vt verè dixerit Simeon, positum eum esse & in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, Luc. 2. Idem testatur hodiernum Euangelium. Nam infans inductus in templum Ierosolymis, à nemine ferè ibi agnitus est, nisi à Simeone sene, & Hanna vidua, imò clarus etiam iam doctrina & miraculis, vt dictum est, à pauciſsimis tamen pro Messia est habitus. Vnde & Ioan. ait cap. primo: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Relucet ergo & hîc verè Messiam esse Iesum nostrum.

habuerẽt tiẽem.

4 Quartò ostenditur quid facturus esset Messias. Nam dominus inquit: *Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans ac emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurũ, argentúmque, & sacrificabũt domino in iustitia, & placebit domino sacrificiũ Iuda et Ierusalẽ, sicut in diebus antiquis.* His verbis describit Messiæ opus seu officium, quòd nimirum omnes immũdos ac peccatores purgaturus iustificaturúsque esset, atq; facturus eos filios Leui seu Sacerdotes, quò possent offerre spirituales hostias, puta sacrificia iustitiæ, laudis, gratiarum actionis, Psal. 49. totius corporis, Rom. 12. & misericordiæ, Philip. 4. Cordis contriti & spiritus cõtribulati, &c. Psal. 50. Quàm efficaciter dominus Iesus huiusmodi officium executus sit, satis copioſè testantur libri noui testamenti: sed breuissimè simul ac luculentissimè Ioannes Euangelista id testatur, sic inquiens: Iesus Christus est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: qui dilexit & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum, fecítque nos reges & sacerdotes Deo ac patri suo, Apocalypsis primo.

Officium Messiæ.

Officium mundatorum.

Ex præmissis verbis etiam datur intelligi, Messiam cultum Dei, hoc est, doctrinã, sacrificia, & vitæ innocentiam repurgaturũ, restituturúmque. Is nanque cùm venisset in mundum, sanctã legem Dei, à traditionum humanarum fece vtique verè purgauit. Is quoq; verum sa-

Meſsias repurgaturus reſtituturúſque doctrinã, ſa-

Sanctificia, legem vitæque innocentiã præ dicitur.

crificãdi modum, ab omni repurgatum hypocrisi, ac spiritu & veritate constantem, nobis tradidit, is denique veræ innocentię semetipsum nobis proposuit exemplum, adeóque & impios per sanguinis sui purgationem vera innocentia ac iustitia donauit. Et sanè per hunc vnũ placent sacrificia nostra, cultúsque Deo, alioqui per se immunda & imperfecta. Non enim est in alio quopiam salus, Act. 4. & in hoc filio sibi complacet pater cælestis.

Nostrarũ partium est Christo nostro offerre spirituales hostias, nec nõ cùm iustitiæ tum gratitudinis sacrificia.

Quum igitur & nos à Iesu Christo in baptismo purgati simus per ipsius sanguinem, sicque consecrati omnes in spirituales sacerdotes, offeramus ipsi etiam huiusmodi sacrificia Christo nostro, simúsque grati pro accepta redemptione: ipsi tanquam dominatori obediamus, seruiamúsque: ipsi tanquam angelo testamenti fidamus, amoréque adhæreamus: ac iuxta ipsius præscriptum & doctrinam; vitam nostram instituamus: sicque sacrificia nostra verè fient Deo grata, consequemúrque pro iis præmia & temporalia & æterna.

EPILOGVS.

1 *Ecclesia hîc colligit tam Heliæ spiritualis quàm Messiæ aduenium: quorum alter est saluator, alter testis, Ioannes angelus, Christus Iesus dominator, angelus testamẽti, & dominus templi cõtra Iudæos qui solum hominem expectant. Nemo enim hominum, ne ipse quidem Salomon poterat templum Ierosolymitanum vocare suum templum sed hoc solitus Dei erat, Hiere. 7. & Isa. 44. Vnde futurus erat Messias verè Deus, non solùm homo.*

2 *Malitia mundi & peruersitas, suapte culpa Messiam non recepit: quia ignem cõflatorium & herbam fullonariam mundo se exhibuit. Scabiosi enim lixtuium auersantur. sic mundus in maligno positus, expurgatorium ignem eum & herbam fullonariam non expauescere non potest. Mundus enim non amat nisi commodè scalpentem.*

3 *Officium Messiæ purgare, iustificare peccatores immundos, atque eos filios Leui seu sacerdotes mysticos consecrare. Isa. 1. Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, & restituam iudices tuos sicut fuerũt priùs, & consiliarios tuos sicut fuerũt antiquitus: post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. Et officium mundatorum Christianorum, sacrificare redemptori sanctas & immaculatas hostias.*

hostias. Sanctus est: ideò sanctos vult suos esse ministros. Sanctificatio nostra, eius est voluntas. 1. Thes. 4.

IN FERIIS EIVSDEM FESTI
Euangelium.

In illo temp. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, &c. Finis Euangelij, Et gloriam plebis tuæ Israel. *Luc. 2. Leuit. 12. Exod. 13. Num. 8.*

HOc Euangelium complectitur tria. Primò, legem de purgatione. Sic enim scribitur Leuit. 12. Mulier si susceperit semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus: & die octauo circũcidetur infantulus: ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suę. Omne sanctũ non tanget, nec ingredietur in sanctuariũ, donec impleãtur dies purificationis suæ. Ad hãc legẽ Maria non tenebatur: nam Christũ concepit de Spiritu sancto, peperit virgo, & permãsit virgo. Ad hęc nulla in conceptione & partu fuit inquinatio: vnde & nulla indiguit purgatione, quemadmodum aliæ mulieres, quæ læsa virginitate ex virili semine concipiunt fœtũ. Fœtus nanque Mariæ cælestis, nec ingrediens nec egrediens virginalis vteri clausura violauit, sed consecrauit potiùs & consignauit, ne in posterum etiã vel corpus illius veluti templum semel Deo dicatum, vel animus Deo myrothecium sancti Spiritus, vllis humanis inquinamentis pateret. Ipsa quippe designata fuit per portam illam, de qua mentionem facit Ezechiel 34. cap. d. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, quoniam dominus Deus ingressus est per eam: eritque clausa principi. Hac tamen obedientia & purgatione suam humilitatem & charitatem declarauit. Sequitur aliarum fœminarum consuetudinem, ingreditur templum domini post statos purgationis dies, offert munera & sacrificia in lege Mosi præcepta. Quo exemplo docet vt charitatis rationem habeamus, vt in gratiam aliorum aliquid faciamus, etsi ex officio non debeamus: modò citra conscientiæ labem aut periculum fieri possit: quemadmodum apostolus cùm liber esset, omnium se seruum fecit, vt plures lucrifaceret, &c. 1. Cor.

Lex purgandæ mulieris.

Legi purgationis Mariæ obnoxiã nõ erat.

Fœtus Mariæ cælestis nõ violauit eã: sed consecrauit et cõsignauit.

Humilitas et charitas Mariæ declaratur in obedientia purgationis.

1. Cor. 9. & vt corruptæ mulierculæ non grauentur templo domini se præsentare, suasque proles Deo offerre. Sic Anna filium suum Samuelem obtulit domino 1. Reg. 1. Ad hoc maximè nos prouocant exempla Christi, ac virginis Mariæ. Nam Paulus ad Philippen. 2. ait: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. id est, (secundum Augustinum) sitis affecti vestris proximis eodem affectu, quo Christus fuit erga vos. Sicut Christus vos amauit, ita & amate proximos vestros. Et Maria ne scandalo esset, néve peccandi ansam vicinis præberet matronis, templum, quamuis non teneatur, accedit, offértque filium suum Deo Patri. Sic filius, Matth. 17. ne scandalizaret vectigal colligentes, didrachma soluit. Sic Paulus potiùs quàm per escam scãdalizaret fratrem, mauult non manducare carnes in æternum. 1. Corinth. 8.

Proximis oportet nos ita esse affectos, quèadmodum Christus nobis.

Lex oblationis & redemptionis primogenitorum.

2 Complectitur legem de oblatione primogenitorum in templo Dei. Sic enim scribitur Leuitici 12. Cùm expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato. Quòd si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, alterum pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur. In hac lege duo sunt obseruanda: Alterum, pro qua re sit hostia offerenda: nempe, pro primogenito. sic enim scriptum est, Exod. 13. Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur. Alterum, qualis sit hostia offerenda: nempe, agnus, turtur, aut pullus columbæ: aut si hæc haberi non poterunt, duo turtures, aut duo pulli columbarum, Leuit. 12.

Duplex oblatio purgandæ mulieris, & redemptionis primogeniti: Sed diuitũ altera pauperum.

Lex redemptionis primogenitorum Iudæis ob tres causas data.

Hanc legem Deus Iudæis dedit ob tres causas. 1. Vt in memoria haberent quomodo Deus in eorum ex Ægypto migratione, omne masculinum percusserit inter homines & pecora. Exod. 13. Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Israël, tam de hominibus quàm de iumentis. Mea enim sunt omnia, &c. Et in monte Sinai sic ait, Nume. 8. Mea sunt omnia primogenita filiorũ Israël, tam ex hominibus quàm ex iumentis, &c. 2. Vt sacerdotes & Leuitæ victum inde haberent,

haberent, qui alioqui nullam in terra ista fuerant sortiti hæreditatem, Num. 18. Item cap. 8. Vide ibi ad longum. 3 Vt nos admoneret de hostia veri primogeniti domini nostri Iesu Christi, qui est primogenitus inter omnes fratres, Rom. 8. quem sacrificia legis veteris figurabant. Vnde nec sine magno mysterio agnum typicum non obtulit, quum agnum ipsum exhiberet domino, qui tollit peccata mundi, Ioan. 1. Sed par turturum pro se offerri voluit, vt ostenderet quòd ex castissimo coniugio procreatus sit. Aut duos pullos columbarum, vt multiplicatio prolis huius signetur.

Christus verus primogenitus, & verus agnus, & vera nuæ legis oblatio.

Quantùm nunc attinet ad cæremonias illas veteris legis, hæc lex est abrogata. Hinc ait Paulus, Non estis sub lege, sed sub gratia. Lex fuit pædagogus ad Christum. Rom. 6. Gal. 3. Lex illa purificationis admonebat Iudæos ipsos esse conceptos in peccatis ac turpi concupiscentia. Psal 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Lex purificationis quid admonebat.

Quantum verò nunc attinet ad iustificationem & obedientiam legis implendam, hæc lex non est abrogata, sed tenemur ipsam legem implere, vt quę suos obseruatores magis ac magis iustificet. Lex illa quanuis non obliget propter authoritatem Mosi, tamen quia gloriæ Dei non aduersatur, est vtilis & honesta. Non video cur & nunc inter Christianos non debeat obseruari. Philip. 4. Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, &c. hæc cogitate.

Lex purificationis quãuis non obliget propter Mosen, est tamen in nouæ legis vtilis & honesta.

Mysticè designatur fidelium gratissima Deo per has aues oblatio. Columba simplicitatem, turtur castitatem designat, quia & simplicitatis columba, & castitatis amatrix est turtur. Vnde in laudibus Ecclesiæ loquitur dominus, Cantic. 1. Pulchræ sunt genæ tuæ vt turturis. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra: oculi tui columbarum. Genas quippe turturis habet, qui ab omni impudicitiæ pesse castum se custodit & mundum. Oculos columbarum habet, qui nulli nocere desiderans, etiam inimicos simplici amore intuetur. Simplex ergo & pudicá fidelium conuersatio, gratum est Deo sacrificium iustitiæ. Item vtraque auis gemitum pro cantu edit. Sic qui laborat in gemitu suo, qui lachrymis stratum suum per singulas noctes abluit, acceptissimam

Mystica fidelium oblatio adũbratur.

Simeonis laus ex Euangelio.

simam prorsus Deo victimam mactat. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, Psal.50.

3 Euangelium hoc cõplectitur Simeonis vitã,& canticum,cũ ait:*Homo erat in Ierusalem,cui nomen Simeon.* Bonæ famæ bonique nominis claritate notus & famosus in ciuitate sancta, religione & studio legis famosa, Act.2. *Et homo iste iustus.* Nam verã iustitiam, quæ ex fide viua in Christũ paratur habebat.1.Ioan.3.Qui facit iustitiam, iustus est. erátq; in religione Christi optimè institutus.

Timor filialis.

Timoratus erat. timore casto, sancto & filiali, sine quo iustitia difficilè custoditur, quia iustus quantò plus diligit Deum, tantò solertiùs offendere cauet. Nam vt scriptura docet, & prima rudimenta nostræ religionis catholicæ nobis tradunt, initium sapientiæ est timor domini,Ecclesiastici 1. Hic timor senem Simeonem timoratum fecerat & iustum, Prouerb. 15. Per timorem domini declinat omnis à malo. Et Ecclesiastæ 7.Qui timet Deum, nihil negligit. Qui verò sine timore est,non poterit iustificari.

Simeonis charitas.

Erat expectans consolationem Israel. Nec tantùm bene ordinatus erat erga Deum,sed etiam ad proximũ. Nam non suam tãtùm,sed populi expectabat consolationem, peccatorum remissionem, à diabolo & inferno redemptionem,& æternæ vitę adoptionem. Senecta iam frigidus,sed spiritu feruens:effœto corpore,sed animo vegeto:ætate marcidus,sed vitæ innocentia iam floridus: nimirum verè iustus, verèque pius ac religiosus, non venans exemplo Pharisæorum gloriam ac quæstum ab hominibus, commodúmque proprium,sed publicæ salutis auidus,quę nulla voluptas in hac vita remorabatur, nisi vt videret oculis suis eum quem in hoc prophetarum oracula promiserant venturum, vt consolaretur Israëliticum populum. Isa. 40. Vera pietas ex fide, charitate, & timore constat.

Et spiritus sanctus erat in eo. Nam iustus esse quis non potest, quin spiritum sanctum in se habeat. fides enim, timor atque charitas ita animam impij emundant, vt peccata ac timorem seruilem foras expellant, ipsámque exornent.Ioan.4.

Docemur igitur eos tantùm dignos esse diuina reuelatione

latione & spiritu sancto,qui iusti sunt ac timorati,ac charitate exornati.Isa.66. Ad quem respiciam, &c.Sapien.1. In malenolã animam non introibit sapientia, &c.Iac.4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Spiritus s. reuelationẽ & inhabitatione qui digni sunt.

Hic Simeon ingenti desiderio ardebat videndi Christum. Quotidie orabat dicens, Quando veniet? quando nascetur?quando videbo?O si viuam:ò si non moriar antequàm ipse veniat! Mitte domine quem missurus es, Exod.4.Quia ergo spiritualem,nõ carnalem Iudæorum consolationem votis omnibus expectabat & precabatur, *Responsum accepit à spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini*, Hoc est,eum quẽ Deus vnxerat supra omnes mortales, vt æterno regno, nec vnquam finiendo sacerdotio potiretur. Hinc docemur,

Simeonis seruẽs desiderium & oratio.

Petitiones iustas & sanctas

1 Quòd Deus iustas & sanctas petitiones libenter exaudiat,quando ea quæ ab ipso petimus, ad gloriam Dei, proximíque vtilitatem dirigimus, Prouerb.10. Desiderium suum iustis dabitur.

Deus libenter exaudit

2 Docemur viros iustos ac timoratos qui in charitate sunt fundati, non tantùm esse solicitos de sua salute, verùm etiam de salute aliorum. Ita Moses orat pro populo, Exod.32. Ita Dauid, ita Paulus,ita hodiernus senex Simeon solicitus erat pro salute totius populi Israëlitici: ita & nos esse debemus.

Charitas non tãtùm de sua, sed & aliorũ salute solicita est.

Hic Simeon responso tam læto accepto à spiritu sancto, venit in eodem spiritu in templum. Quo docemur spiritum sanctum neminem dehortari à publicis & ecclesiasticis conuentibus, sed maximè delectari siquando filij Dei conuenientes in vnum sic solent vno ore glorificare Deum & patrem domini nostri Iesu Christi. In cuius rei signum, Apostolis, quibus erat cor vnum & anima vna in domino,apparuit & venit spiritus sanctus. Satanæ igitur inuentum est,quòd Anabaptistæ publicos Ecclesiæ conuentus contemnentes, aut in siluas, aut in priuatas domos se recipiunt, sic declarantes opera sua indigna esse quæ proferantur in lucem, Ioan.3.

Spiritus s. neminẽ dehortatur à publicis cõuentibus ecclesiasticis, sed delectatur maximè.

Satanæ inuẽtum est quòd Anabaptistæ publicos Ecclesias cõuentus cõtemnũt.

Et cùm inducerent puerũ Iesum parentes eius vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo:& ipse accepit eum in vlnas suas,& benedixit Deũ. Sic solet fieri iis qui ductum spiritus sancti sequuntur. Neq; enim potest mentiri qui dixit

Deus vult inueniri ab iis, qui ipsum ex animo quærunt.

dixit se inueniri ab illis qui ipsum ex animo quærunt, Ierem. 29. Ingressus templum, plura accipit quàm petere ausus fuit. petebat eum oculis cernere, & ecce præter omnem opinionem datur vt in vlnas recipiat & foueat. Non potuit maior gloria in hoc mundo Simeoni contingere, quàm saluatorem non tantùm videre, verùm etiam gestare, contingere, amplecti, & osculari. Gestabat in manibus pretium mundi, redemptionem Israëlis.

Gaudium Simeonis ineffabile.

O quàm fœlix & ineffabile gaudium, pium illud sensit pectusculum, quum puerum illum tot millibus annorum expectatum, tam libera licentia pro voluntatis beneplacito amplexatur, deosculatur! Verisimile est dixisse hoc Canticorum 3. Inueni quem diligit anima mea: tenebo eum, nec dimittam. Quis enim ignem consumentem in sinu portet sine combustione? fonti se immergat sine madefactione? Nouit se contactu sancti sanctorum indignum, sed vicit amor vehemens rationem, & ad vnionem & amplexum impulit senem. Hinc erupit mox defectura vox in laudem Dei, veluti cygneam quandam cantionem promens. Nam suscepto Simeon Christo in vlnas cecinit, dicens:

Simeonis canticum continet tria.

Nunc dimittis seruum tuum domine secundum verbum tuum in pace: Quia viderũt oculi mei salutare tuum, Quod parasti ante faciẽ omnium populorũ: Lumẽ ad reuelationem gentiũ & gloriã plebis tuæ Israël. In hoc cãtico facit tria.

Qui bonorum operũ viaticũ hîc sibi comparauerũt libenter ex hoc seculo proficiscuntur.

1 Cõmittit sese voluntati Dei, dicẽs, Nunc dimittis, &c. Quasi dicat, Nunc lubens moriar, nunc mihi mors desiderata atque expectata aderit: nunc quod diu optaui, adeptus sum. Idem dicebat Dauid Psal. 4. In pace in idipsum dormiam & requiescam. Qui enim viaticum bonorum operum hîc sibi comparauerunt, libenter ex hoc seculo proficiscuntur, scientes quòd Beati mortui qui in domino moriũtur, Apoc. 14. & illud Sap. 4. Iustus si more præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Vnde & sancti pro carcere hunc mundum habent. Heu me, inquit Dauid, quia incolatus meus prolongatus est. Et Apostolus Rom. 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit, &c.

Sancti pro carcere hũc mundũ habent.

2 Subdit rationem cur paratus sit mori. *Quia*, inquit, *viderunt oculi mei salutare tuũ*, Hoc est saluatorem mundi, qui satanam deuicit, mortem aboleuit, tartara confregit,

fregit, peccata tulit, & toti humano generi opem vitámque præstitit de quo Isa. 52. Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. vnde postmodum Lucæ 9. ait, Filius hominis non venit animas perdere, sed seruare.

Christus saluare Dei.

3 Ostendit quis sit saluator ille. *Quem* tu Deus, inquit, *parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* In primo aduentu omnibus paratus est, vt credant, diligant & sanentur: & omnibus pateat accessus. Non est acceptio personarum apud Deum, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi, Act. 10. Differenter tamen, Rom. 15. Dico Iesum Christum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem dei, ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum sicut scriptum est, &c.

Primus Christi aduẽtus omnibus placidus & paratus, Iudæis ex promissione, gẽtibus ex gratia.

Ex hoc vero lumine Christo instituit Catholica Ecclesia vt festo hoc Christiani omnes celebrantes processionem Mariæ, Ioseph, Christi, Simeonis, ferrent cereos consecratos: quos aduersus magorum præstigias & machinationes diabolicas, plurimùm experimur habere virtutis.

Originem institutionis luminarium ex Christo vero lumine instituit Ecclesia.

EPILOGVS.

1 *Sistitur puer Iesus domino & deo Patri, vt doceat præsentare in lege gratia nosipsos deo. Rom. 12. Obsecro vos fratres vt exhibeatis corpora vestra, &c.*

2 *Exemplum Christiani hominis in Simeone, qui pius ac iustus, & in quo Spiritus sanctus erat*

3 *Cum pace recedit ex hoc mundo, qui intellexit quòd Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians. 2. Cor. 5.*

DE BAPTISMO CHRISTI

Euangelium.

In illo tempore. Venit Iesus à Galilæa in Iordanem, &c. Finis Euangelij: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui,

Matth 3. Marc 1. Luc. 3. 2. Pet. 1.

DE baptismo Christi nobis tria veniunt obseruanda.

Anno ætatis suæ trigesimo Christo

1 Primò circunstãtię. 1. Quãdo Christus sit baptizatus. nempe, tricesimo suę ætatis anno, decimoquinto anno Tyberij sub Pi

Eus baptizatus est.

lato & Herode. Tum enim cœpit Ioannes prædicare baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Isa.40. Baptizabat autem Pharisæos & Sadducæos, quibus dixit, Genimina viperarum, quis vos docuit fugere iram dei? &c. Turbas populi quibus dixit: Qui habet

Luc. 3.

duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Publicanos, quibus dixit, Nihil amplius quàm

Ioannes quos baptizauit.

constitutum est vobis faciatis. Baptizabat & milites, quibus dixit, Neminem concutiatis, neque calumniã faciatis & contenti estote stipendiis vestris.

Luc. 3.

Baptismus Christi in Iordane factus respondet facto Naaman Syri.

2 Vbi Christus sit baptizatus: nempe, in Iordane flumine: vt responderet facto Naaman Syri, qui ex præcepto Elisei in illo flumine lotus, sanitatem plenissimã recuperauit. 4. Reg. 5. Ita si nos ex præcepto Christi lauerimus nos aquis baptismi, liberabuntur animæ & corpora à turpissima lepra peccati, qua commaculati nascimur.

3 A quo Christus sit baptizatus, nempe, à Ioanne qui primus mandatum habuit baptizandi homines ad pœnitentiam, sicut scriptum est Lucæ 3. Factum est verbum Domini super Ioannem, &c. & Ioan. 1. Qui misit me baptizare in aqua, &c. Doctrina est, sacramentum baptismi suscipiendum esse omnibus Christianis: quia legitima Christi authoritate est institutum: qui potuit & voluit sub illis elementis tantam virtutem collocare.

4 Quomodo Christus sit baptizatus: Nempe, vt Euangelista ait, cùm definitum tempus à Patre iam adesset, & Ioannis testimonio satis esset annuntiatus, venit Iesus

Matth. 3.

à Nazareth ad Iordanem, vt baptizaretur. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari:

Admiranda Christi & Ioãnis humilitas.

& tu venis ad me? Admiranda vtriusque humilitas, vbi alter alterum in honore præuenit. Honore inuicem sitis præuenientes, ait Apostolus Rom. 12. 1. Pet. 9. Iesus respondit: Sine modò, sic enim decet nos implere omnem

Iustitiam omnẽ quis impleat.

iustitiam. Implet omnem iustitiam, qui se peccatorem verè agnoscit, sacramentum suscipit, & mandata dei prorsus seruat. Implet verò omnem malitiam qui cùm

Malitiam omnẽ quis impleat.

sit impius & peccator, hoc non cognoscit, quin iustum se reputat, & vt talis in se gloriatur: & qui negat per mãdata dei nos iustificari.

Christus dicit: Sic nos decet implere omnem iustitiã,

1 Per humilitatem. Ita Christus humiliauit se. Nam formam serui accepit: & cùm in forma dei esset, semetipsum exinaniuit, Philip. 2. *Christus quomodo impleuerit omnem iustitiam.*

2 Per cognitionem peccati seu pœnitentiam. Ita Christus accessit ad baptismum cum cognitione peccati, non ab ipso, qui peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius, commissi, sed ob nostrum peccatum: cuius causa venit in similitudine carnis peccati, Rom. 8. *1. Pet. 2.*

3 Per susceptionem sacramenti. Ita Christus suscepit sacramentum, non vt peccata sua tolleret, sed vt sacramento virtutem & efficaciã auferẽdi peccata conferret. *Per Baptismi Sacramentũ cur iustitiam Christus adimplere elegerit.*

4 Per obedientiam. Ita Christus per omnia obsequentem se præstitit Patri æterno, adeò vt ipse dicat de se, quòd nõ venerit soluere legem, sed adimplere, Matth. 5. Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me patris, Ioan. 6.

Adimpleamus ergo & nos omnẽ iustitiã. Nisi, inquit Christus Matth. 5. iustitia vestra abundauerit plusquam scribarũ & Pharisæorum, nõ intrabitis in regnũ cælorũ.

5 Obseruandum quare Christus sit baptizatus: nempe, ob duas causas: vt se se omnes in Christo baptizatos receperturum ostendat in filios adoptionis, iisque peccata remissurum, & in fratres admissurum, spiritũ sanctum collaturum, & vitæ æternæ hæredes effecturum: & vt suo exemplo ad baptismum nos incitet, ne sacramenta contemnamus. Postquã enim sacramenta diuinitus sunt instituta, debemus illis libenter & reuerẽter vti. Idcirco enim Pater cœlestis voce delapsa dixit, Hic est filius meus dilectus. Primò, vt Christum filium suum mundo deum esse, quãuis verus esset homo, declaret. Secundò vox illa omnibus Christianis acclamat, & affirmat quòd per baptismum sint facti filij Dei. Aperiũtur cæli, vt intelligamus quòd per sacramentum baptismi cæli reserentur iis quibus antea ob peccatũ claudebãtur. Venit spiritus sanctus in specie columbæ super Christũ, nõ quasi prius non haberet, sed vt mundo testaretur Christũ esse filiũ Dei: & etiã nobis persuadeat, spiritum sanctum per illud sacramentum iis qui in Ecclesia baptizantur conferri. *Duas ob causas Christus baptizatus est.*

Et hîc obseruandum, quòd Christus voluit anno suæ ætatis tricesimo baptizari, propter quinq; causas. 1. Quia *Anno ætatis tricesimo baptizatus.*

Remouerias ob causas baptizari uoluit.

tunc, & non antè, solidum fundamentum baptismi sua morte, passione, ac prædicatione iacere instituebat.

Baptismus Ioānis inefficax.

2 Vt baptismum Ioannis, qui virtutem remittendi peccata & efficaciam non habebat, perficeret: eiusdémque Ioannis fundamentum & doctrinam confirmaret.

3 Quia sua doctrina hoc sacramentum decreuerat stabilire, sine quo nulli salus contingeret: vt maiorem authoritatem illi conciliaret: & vr eius institutionem magnificè commendaret, suo ipsius corpore ipsum voluit sanctificare, & vt tactu sui corporis aquas mundaret ac sanctificaret.

Neminem debet pudere ab inferioribus baptizari.

4 Vt illo actu nos instrueret, ne vnquam pudeat nos ab inferioribus baptizari, vel in conspectu populi in suscēptione huius tam sancti sacramenti nos vestibus expoliare, Ansel. in Matth.

Baptismus suā virtutem & authoritatem non ab homine, sed à tota Trinitate habet.

5 Vt operationem Trinitatis per descēdentem columbam, per Patrem clamātem, per filiū ipsum suscipientē, in hoc sacramento esse conuinceret: vt planè Christiani intelligant sanctam atque diuinā illam actionem à tota Trinitate & Christi passione virtutem authoritatémque habere, non ab homine administrante. 1. Cor. 3.

Caluini turpis error.

Est autem considerandum ex hac doctrina, sacramēta quæ Christus instituit, nō casu, aut fortuito successu esse instituta: sed eo tempore, hora atque momento, quo ab æterno tota Trinitas hoc statuerat. Item errare turpiter Caluinum, qui nullum discrimen agnoscat inter baptismum Ioannis, & Christi: cùm ille baptizauerit tantùm in aqua, Christus verò simul etiam in spiritu. Baptismus efficaciam suam non nisi à Christo habere potuit, atque is tunc temporis nondū erat institutus in sacramentum. Act. 18. 19. apertè constat discrimen baptismi Ioannis & Christi. Deinde considerandū virtutem Christi non esse alligatam sacramentis. Nam sine baptismo remisit Christus quamplurimis peccata, ipsisq; spiritum sanctum dedit: quod & modò facere potest. Verùm hoc fit ex singulari Christi dispensatione, & gratia. Et quanuis ita contingat mirabili aliqua ratione peccatorum remissionem obtineri, & spiritus sancti gratiam tribui, nihilominus baptisma minimè negligendum, dicente Petro, Act. 10. Nunquid aquā quis prohibere potest, vt non baptizentur hi

Virtus christi nō est alligata sacramentis.

tur hi qui spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine domini Iesu Christi. Infantes autem in baptismo possunt iustificari & sanctificari sine rationis auxilio: quod testimoniū Ioannis probat, qui nondum natus sensit præsentiam Christi, idque non motu rationis, sed virtute spiritus sancti, Luc. 1.

Infantes iustificari & sanctificari in baptismo possunt sine rationis auxilio.

2 Obseruanda sunt miracula quæ in baptismo Christi contigerunt. Christus baptizatus orabat, vt deus suo spiritu sancto perfundat animas & corpora eorum qui baptizantur, satanam inde exturbet: peccata baptizatis indulgeat: gratiam qua præcepta seruent, carnem mortificent, interiorem hominem renouent, ac vitam æternam promereri possint, conferat. Nam tempus aderat quo Christus debebat inchoare suum officium ad redimendum genus humanum, à diabolo tētari in deserto, & assumere sibi apostolos atque discipulos, quos doceret ea quæ à Patre in mandatis acceperat: per quos etiam vniuerso mundo remissio peccatorū, & redemptio generis humani annuntiaretur per Christum facta. Vt hæc tam grandia sacramenta fœliciter cedant, Christus Patrem orat: docens nobis semper, priusquam aliquid incipiamus, esse orandum. *Cæli aperti sunt.* Hæc cælorū apertio significat, propter Christū, cælū quod hactenus propter peccata fuerat clausum, iā rursus esse apertū omnibus baptizatis, qui bonis operib⁹ studuerūt ipsum promereri.

Miracula in baptismo Christi facta.

Baptizatus Christus quid orabat.

Oratio Christi qd nos doceat.

Cæli apertio quid significet.

Apparēt tres distinctæ personæ individuę deitatis: nempe, Pater, qui de cælo clamat: *Hic est filius meus dilectus, &c.* Filius, qui in Iordane baptizatur. Et spiritus sanctus, qui in specie columbæ apparet. Hæc omnia nostrum in vsum contigerunt, vt baptismi sacramentū magnificiamus, quod Christus suo sancto corpore instituit & sanctificauit. Nec dubitemus totā Trinitatem tum adesse, quotienscunque infans aliquis apud nos baptizatur. Et sit vnica & maxima hæc consolatio nostra, quòd propter dilectum filiū dei & nos omnes in baptismo iustificamur, cōsequimur remissionem peccatorum, recuperamus iustitiam & innocentiam perditam, donamur spiritu sancto, reconciliamur deo, adoptamur in filios Dei, & datur actio ad vitam æternam, tanquam hæreditatem filiis assignatā, piis studiis sanctisq; actionibus promerēdam.

Baptismus magnificiendus à nobis, quē Christus suo corpore instituit et sanctificauit.

Baptismus vnica & maxima consolatio nostra.

Materia baptismi aqua naturalis, nō artificiosa.

3 Obseruandum, qua materia constet baptismus: scilicet, aqua naturali, siue calida sit aut frigida, vel aliis qualitatibus affecta, non aqua artificio aliquo expressa, vt rosacea, vel alia similis. Est enim baptismus, nō aqua vulgaris tantùm, sed aqua vitæ diuino verbo sanctificata & præceptis dei diuinâque virtute communita: vt sit aqua salutaris animæ & corporis fidelium, quæ occidat peccatum & viuificet animam. Et vt intelligas baptismum esse aquâ viuam, considerabis illius originem. non enim ab homine, sed à deo est institutus. Considerabis illius per Christi corpus sanctificationem, quo facto indicat sibi placere baptismum. Considerabis Dei mandatum: Ite & baptizate omnes gentes, &c. Matth. 28 & dei promissionem: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Marc. 16.

Baptismus aqua vitæ

Baptismus summus noster thesaurus cælestis.

Baptismus igitur est summus thesaurus noster cælestis. Si vis ingredi regnum cælorum, duo sunt tibi facienda. 1. Credas Christum pro te passum, mortuum, &c. vt eius morte tu viueres, & Patri reconciliareris. 2. Suscipe baptismum, sinas aqua hac sanctissima ablui tua peccata, & serua mandata. Qui hæc duo contemnit, proculdubio peribit, Qui autem crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, modò mandata seruet: eritque hæres vitæ æternæ, Amen.

Marc. 16.

Religio Catholica, & Apostolica traditio docent pueros omni ætate baptizādos.

Quanuis Christus tricesimo anno sit baptizatus, religio tamen Catholica & traditio Apostolica docent pueros omni ætate baptizandos, 1 Mandato Christi dicentis, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. 2 Promissione vniuersali, qua omnibus hominibus dei gratia promittitur. huius gratiæ sacramētum est baptisma: ergo ad omnes homines pertinet. Paruulos autem homines esse nemo sanus negabit.

3 Natura regni dei. Nam regnum siue gratia dei non venit cum obseruatione ætatis, neque ad hanc circunstātiam temporis ligari debet: cùm baptismus sit gratiæ dei sacramentum.

4 Clementia Christi, qui nemini suam gratiam negat, quare nec baptismum paruulis.

5 Exemplo circuncisionis. Infantes enim Iudæorum portabantur ad circuncisionem, nescientes verbum dei, neque

neque valentes audire de fœdere gratiæ: quare & nostri paruuli etsi non audiant aut intelligant verbum, deferri tamen ad baptismum debent. Nam nos vniuersale mandatum habemus de baptizandis omnibus gentibus, sicut Iudæi de circuncidēdis paruulis: & sicut insciria non obfuit eorum paruulis, ita neque nostris.

6 Exemplo Apostolorum, præsertim Pauli, qui scribit se baptizasse totam domum Stephanæ. i. adultos & paruulos. 1. Corinth. 1.

Patres testantur in Ecclesia sē per paruulos fuisse baptizatos.

Testimonio Patrum, qui testantur in Ecclesia semper paruulos fuisse baptizatos. Origenes cap. 6. ad Roman. Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismū dare. Cyprianus scribit, in concilio quodam damnatā opinionem cuiusdam, qui ante octauum diem nolebat baptizari infantes, lib. 3. epist. 8. Augustinus contra Donatistas, lib. 4. item in Gen. &c. Hieronymus contra Pelagianos, satis arduas causas recensēt, cur paruuli sint baptizandi.

Anno Christi. 195.

Anno Christi. 252.

Anno Christi. 387.

EPILOGVS.

1 *Quemadmodum Christus occidi voluit, vt nos à morte redimeret: sic & baptizari elegit, vt suo baptismo animas nostras purgaret, tactúque sui sanctissimi corporis aquis vim regenerationem præstaret.*

2 *Exemplum salutare hic in Christo modestiæ, in Ioanne autem obedientiæ.*

3 *Baptismi Christiani affectus pulchrè declaratur, Aperti sunt cæli, visus est spiritus Dei descendere, vox audita est. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

IN FERIIS CATHEDRÆ B. Petri, Epistola.

Petrus Apostolus Iesu Christi, electis aduenis sparsim incolentibus Pontum, &c. Finis Epist. In reuelatione Iesu Christi domini nostri.

1. Petr. 1. c.

BEatus Petrus sicut & Iacobus Iudæis scribit sparsim incolentibus gētium regiones, Epistolam profectò dignam Apostolorum principe, plenam authoritatis ac maiestatis Apostolicæ, verbis parcam, sententiis refertam: hortatúrque principio ad tolerantiam malorum, quæ ob Euangelij

inuidiam perpetiebantur spe præmiorum. Quod & B. Iacobus facit cap. 1. Pro summo gaudio ducite fratres, inquit, quoties in tentationes varias incideritis, illud scientes quod exploratio fidei vestræ parit patientiam. Cæterùm patientia opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri, nullâque in parte diminuti. Vnde d. Petrus ad maiorem eorum cõsolationem nomen suum proprium exprimit, quod à Christo sibi aptatũ accepit (siquidem antè Symon appellabatur, adiecto etiã nomine sui muneris seu ministerij, cùm dicit, *Apostolus*, id est legatus & nuntius à Christo Deo & homine Dei filio missus, olim eidem conuictor, nunc autem, destinatus Apostolus Non enim veretur nomen suum proprium & officij præfigere: quin nihil præter cælestia, deifica & sancta omnia & ædificatoria tractat. Econtrà autem, illi qui libellos famosos epistolásq; blasphemiis & contumeliis plenas intervulgus Christianũ spargũt, nomen propriũ, conscientia vrgente, subticent, Ioan. 3. Qui facit veritatem, venit ad lucem. Qui verò malè agit, odit lucem, &c.

Scriptores Catholici nomina sua propria non subticent more pseudographorum.

In hac vrique lectione breuiter & dilucidè d. Petrus totam salutis nostræ rationem vt pote principiũ, medium, & finem, nobis proponit: & facit potissimùm septem.

Exhortatio ad laudẽ Dei.

Primò, laudat Deũ, nósq; peculiariter ad collaudandum Deum suo exemplo hortatur & excitat. Et quò laudatio huiusmodi & perfectior sit & promptior, in mediũ adfert, quis sit ille Deus quẽ laudare debeamus, cùm dicit: *Benedictus Deus & Pater domini nostri Iesu Christi, &c.* Confitentur & Iudæi ac Turcæ vnum Deum, Deúmque laudant: verum imaginarium incertúmq; & confitentur & laudant Deum. Quem enim confitentur & laudant illi hunc Patrem esse, hoc est, naturalem habere filium negant. At Petrus hîc eum Deum à nobis agnosci & laudari vult, qui est pater domini nostri Iesu Christi, hoc est, qui naturalem habet filium. Imò vniuersa etiam sacra scriptura hunc solum Deum nobis vnicè commendat. Ergo pater domini nostri Iesu Christi verus Deus est, quem nos & confiteri & laudare debemus. Qui verò negat Deum esse domini nostri Iesu Christi patrem, is Deum non nouit, etiam si omnia alia pertinacissimè credat, quæ ipsi sacra tribuit scriptura. Sumus igitur hîc certi

Iudæi ac Turcæ veram vnius Dei notitiã non habent.

Scriptura hũc solum deũ nobis cõmendat. qui habet naturalẽ filium.

Qui deum

certi, quis verus Deus sit. Hunc itaque vnum & verum Deum semper agnoscamus, & vt verum Deum dignè laudemus. Credamus, inquam, verum Deum esse patrem naturalem domini nostri Iesu Christi, & Iesum Christum naturalem esse veri Dei filium, Matt. 16. & Ioan. 6. Ita verum Deum rectè nouerimus, vt salui simus.

negat esse domini nostri Iesu Christi patrẽ, is Deũ non nouit.

2 Secundò, declarat à quo salus æterna detur: & dicit eam contingere à Deo & Patre domini nostri Iesu Christi. Quòd autem eam Deo tribuit, per hoc excludit omnes creaturas in vniuersum, docétque à nullo eam expectãdam, nisi à solo Deo: quẽadmodum & Deus ipse apud Isaiam. 43. cap. inquit, Ante me non est factus aliquis Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum dominus, & non est absque me saluator. Et cap. 45. Deus iustus & saluans non est præter me. Porrò quod addit Apostolus, patrem domini nostri Iesu Christi, per hoc omnes alios Deos excludit, docétque hunc solum esse verum illum Deum saluantem. quemadmodum & d. Paulus. 1. Cor. 8. eleganter testatur: Et si (inquiens) sint qui dicantur dij, siue in cælo, siue in terra (siquidem sunt dij multi & domini multi) nobis tamẽ vnus Deus pater, ex quo omnia & nos in illum.

Salus à nullo alio expectãda, nisi à solo Deo patre Iesu Christi.

3 Tertio declarat qua caussa mouente salus detur, cùm dicit Petrus eam dari secundum misericordiã Dei. Quo sanè elogio omnia merita humana excludit, ac docet, salutem contingere à Deo, non propter præcedẽtia opera aut merita, sed gratis, ex mera benignitate, quemadmodum & Deus ipse apud Isaiam cap. 48. inquit, Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer: & gloriam meam alteri non dabo. Et B. Paulus. 2. Timoth. 1. Deus, inquiens, liberauit nos, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundũ propositũ suum, & gratiã. Et ad Tit. 3. Nõ ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundũ suã misericordiã saluos nos fecit Deus.

Salus dãtur à Deo patre non propter opera aut merita præcedentia sed ex mera benignitate.

4 Quartò declarat per quem salus à Deo detur, cùm d. Petrus subdit, eam dari per resurrectionẽ Iesu Christi. Per resurrectionẽ verò, & incarnationem & passionem; adeóque ascensionem intelligi vult. Nam per hasce singulas salus impetrata est, hoc nimirũ confirmãte Paulo, Rom. 4. Traditus est, inquit, propter delicta nostra, & re-

Salus à Deo datur per Christi resurrectionem.

Incarnatio Christi salutis paratæ indicũ.

surrexit propter iustificationem nostrã: incarnatio enim Christi, indicium fuit, quòd salus ipsa esset propè ac parata. Passio autem ipsius peccata totius mundi expiauit, mortísque per mortem aboleuit sententiã, Ose. 13. 1. Cor. 15. adeóque mortis authorem enerauit. Resurrectio verò, certum argumentum dedit, ablatum esse peccatum, deglutitam mortem, deuictũ satanam, profligatam damnationem, & contrà æternam redditam iustitiam, donatam vitam, recuperatam æternam fœlicitatem. Ascensio denique præparatio fuit donatę cælestis hæreditatis, & certum signum eò venturos saluatos, quo Christus præcesserit, Ioan. 14. Summa igitur est, per vnum Iesum Christum dari salutem à Deo: & hac præcipuè de caussa nobis laudandus est Deus. Audiamus Petrum, quid nobis fecerit laude dignũ, quidque præstiterit. *Iuxta copiosam suam misericordiam*, inquit, *regenuit nos in spem viuã, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hæreditatẽ immortalem & incontaminabilẽ atque immarcessibilem, conseruatã in cælu erga nos qui virtute Dei custodimini per fidẽ ad salutẽ quæ in hoc parata est, vt pateſiat in tẽpore supremo.* Ac si dicat, laudandus ob id à nobis est Deus Pater, non tantùm quòd noster pater sit sola creatione, sed quòd in regeneratione omnium maximè pater noster factus est. Quod ille in nobis creauerat rectè & absolutè, id protho parens noster Adam sua transgressione in nobis corruperat rursum: nã peccato & morti nos infœliciter genuit. Misertus igitur nostri Deus, bis pater noster factus est. Nam regenuit nos iustitiæ & vitæ, quos semel iustitiæ & vitæ creauerat: regenuit autẽ per mortem & resurrectionem filij sui Iesu Christi. Hũc enim fuit mori, vt peccata nostra tollerentur: hunc & resurgere fecit, vt æternum iustificaremur & viuificaremur. Et regenuit nos sic, vt & in filios adoptauerit, & hęredes vitæ æternæ instituerit: ac quãdo in terris adhuc agimus, custodit nos virtute sua per fidem ad salutem. Et si cælestem hæreditatem nondum realiter possidemus, certissimò tamen erga nos in cælis conseruata est, vt etiam Apostolus 2. Tim. 1. confidenter dicat, Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem.

Passio Christi peccati mortísque expiatio, &c.

Resurrectio certum argumentum ablati peccati mortis destructæ, &c.

Ascẽsio est præparatio donatæ cælestis hæreditatis, & rectũ venturæ salutis signum.

Deus bis pater noster factus.

5. Quinto, ostendit Petrus quid ipsa salus sit, cùm dicit esse

esse illam hæreditatem incorruptibilem, & incontaminabilem & immarcessibilem, conseruatam in cælis, paratam reuelari in tẽpore nouissimo. Quibus vtique verbis declarat, salutem non esse rem leuiculam, sed talem, quæ æternas diuitias, æternas voluptates, æterna gaudia, æternam vitã complectatur. Si iam cui placent opes, voluptates, gaudia, fœlicitas, vita: ei sanè multò magis arridebit salus, vt quæ (modò diximus) has omnes, non ad tempus, nõ mixtim, sed perpetim, sed sincerissimè adferat, vt non immeritò ex Isa. ca. 64. Paulus 1. Cor. 2. dicat, Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.

Salus quid sit.

6 Sextò, ostendit quibus cõtingat salus, cùm dicit dari eam illis, qui in virtute Dei custodiãtur per fidem. Quibus nimirum verbis innuit, non quoslibet salute donari, sed eos duntaxat, qui ab æterno ad eam prędestinati sint, quíque iam vocati prædicatione verbi & per Spiritum sanctum solidam in Deum patrem & Iesum Christum fidem habeant: quemadmodũ & d. Paulus pulchrè Rom. 8. inquit, Quos præscierat Deus, hos prædestinauit conformes fieri imagini filij Dei, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit, hos & vocauit: quos autem vocauit, eos & iustificauit, eos & glorificauit, hoc est, æterna salute donauit. Summa itaque est, solos electos ab æterno saluari.

Soli electi ab æterno, salute donantur.

7 Septimò, ostendit S. Petrus, quæ sors, qualísque vita saluandorũ in hoc mundo sit, cùm dicit eos nunc contristari oportere variis tẽtationibus, & vitã agere cedẽtem in laudẽ & gloriam & honorẽ Dei. His autẽ verbis certa dat signa, quibus electi dinosci possint. Nam tametsi prædestinatio & salutis donatio inuisibiles sint, tamen his notis deprehẽdi clarè queunt saluandi, nẽpe, ex afflictione & vitæ innocẽtia. Iuxta illud, in mundo pressuram habebitis, &c. Quicunque igitur hic affliguntur ob iustitiã, & piam interim vitam agunt, ij certissimi sunt electi, Heb 12. Quẽ enim diligit dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit, Prouerb. 3. Apoc. 3.

Sors & vita saluandorũ in hoc mundo.

Notæ & signa, quibus deprehenduntur saluãdi, & electi.

Quare si & nos huius salutis verè participes & haberi & esse volumus, patienter afflictiones toleremus, & piam

agamus

Finis fidei salus animarum.

agamus vitam. Sic futurum est, vt nos quoque hæreditas illa immarcesibilis maneat, finis, inquã, fidei nostræ salus animarum nostrarum. Hinc enim beatus vir esse asseritur qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronã vitæ, Iac. 1. (*In hoc* (inquit Petrus) *exultate, nunc ad breue tẽpus afflicti in variis experimentis, si opus sit, quò exploratio fidei vestræ multò pretiosior auro, quod perit, & tamen per ignem probatur, repertatur in laudem & gloriam & honorẽ in reuelatione Iesu Christi.* Quibus etiam verbis innuit quo pacto laudari Deus à nobis debeat, & ostendit laudationem Dei & in exultatione & in afflictionibus consistere debere, sic ergo laudare debemus Deum, vt exultemus in conscientia pura & fide non ficta, vtque afflictiones in Dei gratiam patiamur. Exultare iure optimo debemus, quòd sciamus hæreditatem immarcesibilem in nos in cælis esse cõseruatam. Gaudete & exultate, ait Saluator, quoniã merces vestra copiosa est in cælis, Matth. 5. Affligi verò patienter feremus, & quòd non diu affligemur, & quòd fides per afflictiones tum probetur, tum reddatur illustrior, & quòd æternam laudem, gloriam & honorem inde simus habituri in reuelatione Iesu Christi. Hinc & Apostolus ait, Rom. 5. Sed & gloriamur in tribulationibus, sciẽtes quoniam tribulatio patiẽtiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Et 2. Corinth. 4. Id quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, &c.

Laudatio Dei in exultatione & in afflictionibus cõsistere debet.

Iure optimo electi exultandum.

EPILOGVS.

1 *Spes viua Christiani est, per hoc quòd resurrexit Iesus Christus ex mortuis, in hæreditatem immortalem, incontaminabilem & immarcesibilem conseruatam in cælis.*

2 *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Act. 14. Si compatimur & conregnabimus, si commorimur & conuiuemus. Rom. 8. 2. Timoth. 2.*

3 *Christus nobis datus est in donũ, vt sit sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio nostra. 1. Cor. 1. & in exemplũ, vt passo in carne Christo, nos eadẽ cogitatione armemur. 1. Petr. 4.*

Ratio institutionis solẽnitatis hodiernæ quæratur ex sermone S. Augustini Episcopi, qui sic incipit. Institutio solemnitatis

tatis hodiernæ à senioribus nostris cathedræ nomen accepit, &c.

Euangelium huius diei inuenietur in feriis Apostolorum Petri & Pauli.

IN FERIIS MATHIÆ APOstoli, Epistola.

Act. 1. cap. Petri hortatu noui Apostoli electio instituta.

In diebus illis, exurgens Petrus in medio fratrum dixit, &c. Finis Epistolæ. Et annumeratus est cum vndecim Apostolis.

Psal. 40. Ioan. 18. Sceleris Iudæ grauitas.

HAbes hîc de noui Apostoli electione. Primò, quo hortãte instituta sit, videlicet Petro, qui orationẽ habuit, idq; non tam singularis potestatis, quàm & ordinis, & diuini instinctus caussa. Loquitur autem. 1. de Iudæ defectione, cuius sceleris grauitatẽ notat tũ ab ipso facto, ꝙ fuerit dux cõprehendentiũ Iesum: tum ab antegressio munere, quòd à Iesu in numerũ apostolicũ cooptatus fuerit. facit autem D. Petrus id nõ tam ob Iudæ insectationẽ (nã proculdubio tristis acerbáq; fuit inter discipulos eius rei commoratio) quàm ob cæterorũ exhortationẽ, vt tantò cautiores sint, cùm in perseuerando, tũ in collega eligendo. Deinde caussam eius sceleris refert, nõ ad Iudæ malitia, quæ verisima tamen proximáq; caussa fuit, sed ad scripturæ impletionẽ, licet ea caussa sit remota, & quæ præuisionem nõ impulsionẽ arguat. Placuit autẽ Petro hanc omittere, vt quę nihil ad ędificationẽ faceret: & hãc proponere, ne quẽ grauius perturbaret tam horribilis Iudæ casus. Atq; idem nobis quoque faciendũ vt ab hominum cogitatione nos ad scripturam & cõsilium Dei conuertamus. Porrò quòd spiritum sanctũ ait prædixisse quę scriptura memorat: discis quantum deferendũ sit scripturæ. 2 Loquitur de alterius subrogatione. 1. Quòd alius sit eligendus. Nam erat planè necessarium, ne vel Apostolorum functio, si in primo suo numero claudicasset, minus ponderis obtineret: vel Israëlitarum tribubus, quibus colligendis & Christus venerat, & discipulos emissurus erat, minus respondaret Apostolicus numerus: vel ne Iudæ vanitas & defectio, Christi veritatem & de

Defectiõis Iudæ cur meminerit Petrus.

Matth. 27. Caussa sceleris Iudæ proxima eius malitia, remota verò scripturæ impletio.

Psal. 108. Scripturæ sacræ defendũ quã eloquitur Spiritus sanctus.

Alterius apostoli sub rogatio per quam necessaria.

& decretũ superasse videretur. Nam vt plurimi sanè nolint, aut deficiant, tamen nouit Deus vnde suum agmen compleat. 2 Quòd confestim eligendus: id quod Petrus colligit ex priori. Nam si cõstet eligẽdum, quidni protinus exequãtur. Nos similiter cogitemus, cùm de Dei volũtate, déq; munere nostro facti sumus certiores, nullas faciendas esse moras. 3 Quo è numero seligendus sit, ex eo nempe, qui cũ Christo vixerint à baptismo vsque ad Ascensionem: idq; quòd Apostolum decuit occultum ac solidum esse operum & verborum Christi testem. Cœperat autẽ Christus publicè operari ac docere, cùm inauguratus esset in Baptismo. 4 Quod ad opus seligendus, videlicet ad testandũ, id est, passim publicéque prædicandum, & testandam maximè resurrectionem.

Quo è numero seligendus noster Apostolus.

Act. 4.

Opus Apostolicum est prædicare.

Prædicationis scopus resurrectio Christi.

Discimus ergo Apostolicum esse prædicare. Viderint ergo successores num vocationi suæ rectè responderint. discimus præterea prædicandum solum Christum cuius summum ad salutẽ opus resurrectio: cętera enim Christi opera vel ad eam tendunt, vel ex ea suam vim accipiunt. Viderint ergo nugatores, de quibus Psalm. 118. ait: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.

Electionis modus.

Functio Apostolica pẽdet à solius Dei calculo.

2 Habes hìc quomodo peracta sit hæc electio, nimirum isto modo. 1. duorum segregatione. vbi obseruandum, in Iudæ locum fuit vnus tantùm subrogandus, duos tamen sistunt. Quòd non vnum sistunt, id fit propter Dei electionem, vt penes ipsum esset. Nam apostolica functio pendet à solius Dei calculo: & quòd non plures sistunt,

Documentum egregiũ in quo casu Dei indicatio & auxiliũ imploradum.

id fit propter apostolorum inquisitionem, quæ omnino debuit esse exactissima. Descenderunt ergo seligendo vsque ad binarium. 2 Inuocatione: egregio scilicet documento, vt in aliis, sic in electionibus, & cum primis ministrorum, Dei simul indicationem & auxilium implorandum. 3 Sorte, vt qua neque miraculum peteretur, nec humanum tamen quicquã vltra primam inquisitionem, & duorum segregationem ab Apostolis interponeretur.

Deus plerunque humiliora magis probat.

3 Hic habes in quem sors inciderit, in Mathiam nempe, licet alter videretur fermè potior. è quo vides quàm plerunque Deus humiliora magis probet. Item hìc locum habet dictum Salomonis Prouerb. 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à domino temperantur.

Obser

Apostolorũ studiũ. Dei iudiciũ & Mathiæ ob sequiũ hic nobis obseruabile.

Obseruabile igitur cùm Apostolorum studium, qui pro teste & præcone Christi adeò sunt soliciti (dormitantibus interim aut persequentibus nostris prælatis & episcopis) tum & Dei iudicium, qui vt plurimùm viliora respicit: & Matthiæ obsequium, qui vocanti domino obtemperat. Feruearnus quæso nos similiter, & humiliemus nos, & talem segregationem, si & nos vocemur, celeberrimam beatissimámque iudicemus, strenuè laboremus domino, cui sit omnis honos.

EPILOGVS.

Numerus Apostolicus, variè in Vet. lege præfiguratus.

1 *Petrus instaurari vult numerũ Apostolorum, compertũ habens eundẽ variè præfiguratũ verbi gratia. In 12. filiis Iacob patriarchis Gen. 42. Rursum in 12. fontibus, è quibus Dei populus ab Aegypti seruitute liberatus, ad promissam per desertum tendens hæreditatem, bibẽs refocillatus est, Num 33. Item in 12. lapidibus pretiosis inuestimẽto summi sacerdotis. Exod 28. In 12. quoque exploratoribus terrã promissæ hæreditatis à Mose ad explorandã destinatis, Num 13. Nimirũ hoc etiam satagẽs, ne numerus apostolicus maneret imminutus, quem dominus instituit, vt suorũ & factorũ & dictorũ testes essent per orbem terrarũ, qui fuerant ei assidui, domestici, & conuictores. Siquidem hoc ipsis prædixerat de resurrectione sua loquens, Act 1. Vos eritis mihi testes in Ierusalem, &c.*

2 *Iudas non electione æterna sed nomine solo Apostolus, vn de impius in magistrum & apostata extra collegium apostolicum fuisse narratur.*

3 *Laudabilis hic electionis modus in Ecclesia obseruãdus: qui est supplicare domino, precari, vt ipse quem elegerit, eligere dignetur, item nihil tribuere affectibus humanis in similibus electionibus.*

IN FERIIS EIVSDEM APOstoli Euangelium.

In illo tempore. Respondens Iesus dixit, Confiteor tibi Pater, &c. Finis Euangelij: & onus meũ leue. *Mat. 11. Luc. 10.*

IN hoc Euangelio Christus facit quatuor. Primò exultat in spiritu sancto: vt doceat præter lætitiam carnis aliam esse multò excellentiorem, scilicet, lætitiam spiritus. de *Luc. 10.*

illa

illa ait Christus, Luc.6. Væ vobis qui nunc ridetis. Et Ioan.16. Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Hæc lætitia est vana, & plerúnque Deo inuisa, quam omnes Christiani, quantum possint, debent vitare. Est lætitia spiritus, qua Christiani exultant in domino. hac Christus exultauit, hac exultauit Maria, Luc.1. quum diceret, Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. non in mundo, non carne, sed in Deo Ita sunt gauisi magi inuento puero, Matth.2. & discipuli viso domino, Ioan.20. Hac & nos exultemus, Philip. 4. Hoc exemplo etiam nos instruit, si quid fœliciter cesserit nobis conantibus, exultemus non humano affectu, sed gaudio spirituali: non nobis arrogantes vllam gloriam, sed gaudentes illustrari gloriam Dei, gaudentes de profectu proximi. Fructus enim spiritus, gaudium, pax, charitas.3. Ioan.1. Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare. & Apost.2. Corin.9. Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius. Charitas siquidem congaudet veritati. 1. Corinth.13.

Lætitia carnis vana.

Lætitia spiritus Christianos decet.

Gaudendum de illustratione gloriæ Dei, & de profectis proximi.

2 Gratias agit Patri, quòd sacramenta sua absconderit à mundi sapientibus & prudentibus, & reuelarit ea paruulis. Sapientes & prudẽtes tum erant Pharisæi, Scribæ, Sacerdotes, Leuitæ, Seniores populi & principes. Hi adeò tumebãt, vt sola cognitione legis omnia sacramenta tam diuina quàm humana cõprehendere se posse arbitrarentur. Hi quoq; viribus suis freti censebant hanc legis cognitionem sibi abundè sufficere ad implenda præcepta Dei, & ad salutem consequendam, etiam sine auxilio gratiæ Christi, quod eis cum superioribus illis commune erat. Sunt & hoc nostro seculo tales, qui sapientia sua adeò nituntur & fidunt, vt non vereantur reliquos omnes tanquam pecudes impudenter præ se contemnere, & somnia sua velut cælestia oracula pro Dei verbo adoranda proponere: qui, inquam, solenne habent inter pocula, vbi mero incaluerint, disputare de verbo Dei, de Euangelio, de Ecclesia, déque sacramentis Christi. Iis tantùm acquiescunt quæ ipsorum iudicio recipienda sunt: at sancti spiritus per Ecclesiã suam dictantis sententiam petulanter contemnunt, quibus dicitur, Isa.

Sapientia & prudentia Pharisæorum & scribarum arrogãs & vana.

Prudentia nostrorum hominũ seculi huius tumida.

Isa.5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. de quibus Iob. 5. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat. Quos pater reiicit. Nam hi sunt prudentes sapientésque apud semetipsos, sicut ostẽsum est ex Isaia, de quibus 1. Corinth.1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

Paruuli tum erant, beata virgo, apostoli, ac reliqui discipuli. Hi nihil se scire, nihil præstare posse agnoscebant, nisi quæ Deus per Christũ ipsis daret, vt scirent ac possent. Sunt & hoc nostro seculo tales, qui de se non ita sublimiter sentiunt, sed humiliter: suámque prudentiam & sapientiam non magnificiunt. Nec nouam confingunt doctrinam, sed eam quam spiritus sanctus Ecclesiæ suæ humili reuelauit, retinent & sequuntur. Solum Deum plenè perfectéque iudicant sapientem atque prudentem, qui sapientiam prẽstat paruulis. Psalm. 18 Quos pater acceptat. Nam hi sunt paruuli pauperes, simplices, qui nihil sciunt, nec sapere præsumunt, nisi ea quæ pater reuauit suæ Ecclesiæ. Isa.66. Ad quem respiciam, &c. Item Iac.4. & 1. Petr.5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Paruuli qui fuere & sunt.

Sicut Christus tũc exultauit in spiritu, & gratias egit patri, quòd mysteria suæ incarnationis reuelasset paruulis, scilicet, Mariæ virgini sanctissimæ, Ioseph, Simeoni, Annæ, Apostolis, discipulis qui erãt pauperes spiritu, & abscondisset à sapientibus ac prudentibus Ierosolymitanis, ac Philosophis Athenienſibus: ita & modò multò perfectius lætatur, quòd eadem ratione sacramenta suæ religionis quibusdam pauperculis, neglectis superbis, reuelet. Quod sic accipi non debet, quòd gaudeat Christus & gratias agat de sapientium exceçatione, de qua contristabatur Marci.3. sed de paruulorum illuminatione. Sic apostolus Rom.6. Gratias Deo, quia fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis.

Gratias non agit, nec gaudet Christus, de sapientium excæcatione, sed de paruulorũ illuminatione.

Si igitur volumus deum in dies magis ac magis sua mysteria nobis reuelare, ponamus supercilium: & nos nihil scire nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, nobis habeamus persuasum. 1. Corinth.2.

Beneplacitū diuini cōsilij.

Facti huius æquitatem dominus paternæ voluntatis iudicio confirmat, vt qui dedignantur paruuli in Deo fieri, stulti deinceps in sua sapientia fiant. Sic enim diuino placuit consilio, humanam damnare sapientiam, & per humilitatem Euangelicæ doctrinæ bonos ad se trahere. *Ita pater, inquit, quoniã sic placitũ fuit ante te.* Quibus etiam verbis Christi exemplum humilitatis accipimus, ne temerè discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorúmve repulsione præsumamus. Iniustũ esse non potest, quod placuit iusto. In cunctis ergo quæ exterius disponuntur, aperta cauſſa rationis est occultæ iustitiæ voluntatis. Hinc Augustinus: Quem trahat: quẽ non trahat, quur istem trahat, & illum non, noli diiudicare, si non vis errare. Nunquam ab hominibus discutienda consilia Dei in operibus eius, qui fecit, qua ratione sic fecit: sed quomodocunque rem suam voluit ordinare, gratias agẽs, sufficiat tibi ad testimonium ipsa Dei natura: quia Deus sine ratione sine iustitia nihil facit. Non enim iudicem te esse voluit actuum suorum, sed seruum præceptorum suorum. Boni enim domini est, omnia prouidere quæ ad vtilitatem pertinent serui: boni autem serui est, fideliter operari, & non discutere domini sui actus. Ecclesiastici 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Nã Prouer. 25. dicitur: Sicut qui mellis multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.

Consilia Dei in operibus eius nunquam ab hominibus discutienda. Deus sine ratione & sine iustitia nihil facit.

3 Loquitur de seipso, & ostẽdit quis sit: & quid de ipso sit nobis sentiendum, cùm ait, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Nemo nouit filium, nisi pater: neque patrẽ quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Ex his verbis Christi habemus duplicẽ cõsolationem. Alteram, quòd agnoscamus dominum nostrum Iesum Christum esse verè omnipotentem, qui omnia habeat in sua potestate, tam cælestia quàm mundana. De quo dicebant duo illi discipuli qui ibant in Emaus: quòd esset vir potens in opere & sermone, Luc. 24. Hic poterit nos ab omnibus inimicis nostris liberare. Sic enim ait dominus Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Sic etiam

Consolatio duplex. Christus est verè omnipotẽs omnia habẽs in sua potestate tã cælestia quã

etiam dicebant homines, Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Matth. 8. Alteram quòd agnoscamus dominum nostrum Iesum Christum summum doctorem, qui nihil ignorat, qui poterit nos omnia quæ ad salutem sunt necessaria, docere: atque patrem, qui est principium, fons, & scaturigo nostræ salutis, nobis monstrare. Qui non foris tantùm docet, vt reliqui magistri: sed intus corda instruit, tanquam verus author vtriusque hominis. Qui solus in notitiam patris nos perducere potest. Sic enim Pharisæi loquebantur de eo: Quis est hic qui peccata dimittit? Luc. 7. Et Christus ipse sic ait, Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Iesum Christum.

mũdana. Iesus Christus summus doctor qui nihil ignorat qui potest nos omnia ad salutẽ necessaria docere.

His consolationibus longè suauissimis confirmantur Catholici in obsequio fidei, & accenduntur in amore mandatorum Dei. Nihil enim ita corda fidelium confirmabit in variis tentationibus, nec suauius consolabitur in cũctis calamitatibus, quàm scire se in eum Deum credere, qui potens sit nos liberare. Omnia, inquit, mihi tradita sunt à patre meo, &c. Nam ipse pater dedit eum caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, Ephes. 1. Hinc influit mẽbris vitam, Ioan. 5. Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat.

Consolatio fideliũ in tribulationibus.

Nosse patrem, est metuere vt Deum: diligere vt patrem, & affici. Malach. 1. Et tali modo reuelat filius patrem. Ioann. 17. Pater iuste, &c. notum feci eis nomen tuum, &c. Item, Pater, manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Et Ioann. decimoquinto. Vos autem dixi amicos, quia omnia quę audiui à patre meo, nota feci vobis, &c. Filiũ nosse, est in eum credere, & imitari. Nam vt filius imago est patris, sic & nos imaginem filij debemus portare. Roma. 8. & 1. Corinth. 15. Et hoc opus est patris. Ioann. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum. Et Matth. 16. Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis, &c.

Nosse patrem quid sit.

4 Loquitur Christus cũ peccatoribus, & vocat ad se omnes afflictas cõscientias, vt ipsas consoletur, & ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Sunt autem laborantes & onerati, qui peccata sua

Laborãtes & onerati qui sint.

sentiũt & agnoscũt, sibíque ab ira Dei, morte & inferis timent, & ob id turbatam habent conscientiam, summis tamen votis auxilium à Deo expetunt. His qui ita laborãt, & onerati sunt, dicit Christus, *Venite ad me omnes*: ne curratis ad alios, non ad Pharisæos, nec ad Leuitas, non ad reliquam turbam Iudæorum, qui imponunt vobis opera grauia & importabilia, quíque vos tristiores quàm accessistis, dimittunt. Ad me festinate, ego solus (non Moses) sum vester saluator, pater, frater, dominus, magister. Clementior ero quàm Dauid erga Absalon, aut Ioseph erga fratres suos. Ad me venite omnes: non hic vel ille, sed omnes qui curis, doloribus, peccatis laboratis: non quia glorificari me à vobis opus est mihi, sed quia salutem omnium sitio, omnes suscipiã. Summatim indicat se venisse propriè, vt leuet quotquot ex ipso sperant peccati vel cõscientiæ vel cuiuscũque mali remedium.

2. Reg. 14. & 18. Genes. 45. & 50.

Indicat Christus cur propriè venerit.

Tollite iugum meum super vos. Est autem duplex iugũ. Alterum spiritus seruitutis peccati, & afflictę conscientiæ, de quo Psal. 37. agitur: Inquietates meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me. Hoc iugum, ait Christus, à vobis tollam, tollam spiritum seruitutis in timore, tollam cæremonialia illa præcepta grauia & importabilia, tollam maledictionem transgressoribus legis positam. Quod etiam apostolus testatur, Galat. 3. dicens: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. De onere aut iugo peccatorũ quod venit Christus auferre, dictum est Isa. 10. Et erit in die illa, aufertur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei. Hoc in Christo impletum testatus est Petrus. 1. eiusdem 2. cap. Qui peccata nostra, inquit, ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Alterum autem iugum est Euangelij & gratiæ. De hoc ait Christus, Dabo vobis iugum Euangelij, spiritum adoptionis & gratiæ, qua impleatis mandata, & sit suaue, quod fuerat in lege durum & acerbum. Hinc 1. Ioann. 5. dicitur, mandata eius grauia non sunt, imò dulciora super mel & fauum, Psal. 118.

Iugum duplex.

Deut. 7. Hebr. 10.

Iugum Euangelij & gratia.

Iugum primũ fuit Mosis, de quo dicit Petrus, Act. 15. Vt

Vt quid tentatis Deum, ponentes iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Dicit quoque de eodem Paulus, Galat. 5. Nolite iterum iugo seruitutis contineri. Illud iugum Christus disrupit, nostrísque ceruicibus excussit. Gala. 3. & 4. Secundum fuit Christi, & de illo dicit Christus, Matth. 11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Hoc nobis ipse imposuit, & vt facilius ipsum feramus, nobiscum & ipse collum submittit ac gestat. Exemplũ, inquit, dedi vobis: vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, Ioan. 13.

Iugum Mõsis Christus disrupit, nostrísque ceruicibus excussit & suũ nobis imposuit.

Quid commodi accessurum sit iis qui iugum Christi portauerint, docet dominus quum ait: Et inuenietis requiem animabus vestris. Nam Christianus non debet requiem animæ aut in hac vita aut in rebus temporalibus quærere, quum hîc permixta sit multis curis & anxietatibus. Nam risus dolore miscetur, & extremũ gaudij luctus occupat. Nec est quærenda requies carnis, quæ est voluptuosa. Miseros iudicemus eos qui in hac vita requiem suam quærunt, dicentes, Comedamus & bibamus, eras enim moriemur. Sed vt ait Paulus. 1. Corinth. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Commodũ Christi iugũ portantium.

Et discite à me quòd mitis sum, & humilis corde. Si quis roget, quomodo iugũ hoc Euangelij sit ferendum, Christus respondet, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Iugũ enim Christi his duabus virtutibus se finit gestari, mansuetudine, & humilitate. Ita Moses incredibili suauitate pondus huius iugi sustinuit. Nume. 12. Ita Dauid eximiã mãsuetudinem erga Saul & alios inimicos suos ostendit, quando nec in spelunca, nec in castris dormientem, cùm in manu haberet, ipsum confundere voluit. Item erga Absalõ, quem sibi asseruari iusserat in prælio. Ita Christus singulari mansuetudine tulit crucẽ, iniurias, passionem ac mortem: adeò vt pro crucifixoribus orauerit. Ita Paulus erga Iudæos capitales hostes, Roma. 9. Idcirco scriptura de Mose ait: Erat Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabãtur super terram, Nume. 12. De Dauide ait, Memẽto domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius, Psalm. 131. De Christo ait: Tanquam ouis ad occisionem ductus, & sicut agnus

Iugũ Christi duabus virtutibus se finit gestari, mansuetudine & humilitate. 1. Reg. 24. 2. Reg. 18.

coram tondente obmutescet, Isa.53. Paulus quoque ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? &, Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. 2. Corinth. 11. & 1. Corinth. 9.

Ratio cur iugũ Mosi Iudæis durũ Christi verò nobis sit suaue, datur ab Apostolo.

Quæ sit ratio quare iugum Mosi Iudæis durũ, Christi verò sit suaue nobis: respondet Paulus. 2. Timoth. 1. Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis. Quia Iudęi non habebant spiritum virtutis atque dilectionis, sed tantùm spiritũ seruitutis & timoris: ideò erat illis durum iugum Mosi. Nos verò quia habemus spiritum virtutis, dilectionis & gratiæ, qua possimus implere præcepta, ideò iugum est suaue.

Amor omnia saua & immania prorsus facilia, & prope nulla facit.

Nos igitur qui sumus vocati, qui Christum sequimur, & ipsi nomen dedimus, imitemur eundem Christũ, heroicis ipsius virtutibus animas nostras exornãtes. Quòd si hoc arduum videtur, imitemur Mosen, Dauid, Paulũ, qui homines fuerunt miseri ac peccatores, sicut nos. Quòd si omnia sæua & immania prorsus facilia & propè nulla facit amor, quemadmodum patuit in Iacob, Gen. 29. cui videbantur in seruiendo & aliis septem annis pro Rachel, dies pauci præ amoris magnitudine: quid non molle & commodum & leue ipsis videbitur, qui toto pectore fidunt bonitati diuinæ, quíq; conceperunt ignem charitatis Euangelicæ, Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Dei, &c. Quemcunque enim verè gustus ille cælestium occupauerit, huic nausea erit omnis trãsitoria voluptas, huic facile ferre iugum domini. Simus quoque mites & humiles corde, vt benedictio mitibus à Christo promissa. Matth. 5. nobis contingat.

EPILOGVS.

1 *Christus gratias agit, & exultat in patre, quòd Apostolis sui aduentus aperuerit sacramenta, quæ ignorauerũt scribæ & Pharisæi, qui sibi sapiẽtes videntur, & in conspectu suo prudentes. Scriptum est, ait Apostolus 1. Corinth. 1. Perdã sapientiam sapientium, & prudentiam prudentiũ reprobabo.*

Isa. 29. Abd. 1.

2 *Aequalitate naturæ nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius: sed reuelantis dignatione nobis filius per patrem, & pater per filium reuelatur & innotescit, vt cognoscamus ex parte 1. Corinth. 13.*

3 *Clementia & comitas benignissimi Iesu erga fideles omnes,*

nes inuitantis vt ad se veniamus. Non vult autem mortem peccatoris sed magis vt, &c. Ezech. 32. Qui locus hic nõ de oratione aut intercessione sanctorum est intelligendus sed de onere legis, in qua nulla quies aut consolatio est, & de labore ethnicæ tenebrositatis est accipiendus. Locus quẽ elegit Christus vt ibi inueniatur, est Ecclesia. in hac iugum domini suaue: quoniam (vt Theophylactus ait) omnia propter futuram retributionem leuia. Item Ecclesia non vrget nolentes, quemadmodum Moses, sed ducit vltrò sequentes, hoc est, volentes. Sancta libertatis dicta primitiua Ecclesia (vt exemplis agam) gaudens verbera sustinuit synagoga, Act. 5.

IN FESTO CONCEPTIONIS CHRISTI, siue annuntiationis Mariæ, Epistola.

Locutus est dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à domino, &c. Finis Epistolæ: Et eligere bonum. Isaiæ 7.

VAticinij huius occasio ita habet: Cùm reges Syriæ & Israëlis altera vice cõtra Achaz profiscerẽtur, & qui prius vicerãt, etiã tunc victuri viderẽtur, ac proinde populus trepidaret, & rex. Assyriũ vocaturus esset, missus est Propheta, q populũ atq; regẽ solaret. Ordo ergo vaticinij ita habet.

Promissio liberationis ab hostibus Achaz facta.

1 Primò promittitur liberatio ab vtroque hoste, indicata, & hostium eorundem leuitate, quòd non nisi tiones sint: & interitu, quòd perbreui nihil sint futuri: indicato etiam vincendi modo, vt externæ opi valediant, neque confidant, & diuinæ opi placidè acquiescãt.

Promissionis reiectio.

Sed hanc promissionem reiicit Achaz metu hominum. obstat enim ei prior sua clades, hostilis vis, ciuilis ratio defendendi, & mala sua conscientia, Pergit igitur Propheta ad secundum membrum, id est signum.

Signũ offertur regi Achaz.

2 Offert signum: idque partim solito Dei more, quo cum verbo iungitur. Ita enim solet Deus propter fidem nostram confirmandam, ne vacillet, aut succumbat: coercendam ne vagetur, & vana speculatione euanescat: & eandem exercendam, ne torpescat, vtque sensibus repugnare discat. Partim singulari modo offert signum, quod regi libertas eligendi qualecunque vellet, seu cæ-

leste seu terrestre relinquitur. Id quod miræ fuit bonitatis, cùm per se, (nam propriè vt promissa, sic & signa pertinēt ad solius Dei arbitrium) tum propter impium regem, quo vix vllus fuit superstitiosior.

Vt promissa sic & signa propriè pertinent ad solius Dei arbitrium.

Sed mutatur istud signum. Nam & Achaz æquè illud respuit vt promissionem, licet alio (vt prætendit) metu, Dei nēpe, ne quid Deum tentet. Mouebatur igitur prius rationis ductu, hic scriptura quasi impeditur. Adeò prudens atque sanctus est hypocrita: interea tamen multipliciter peccat. Nam & Deum repugnando tentat, minimè tentaturus obsequendo: & prophetam quoque falsitatis ac impietatis propè arguit.

Deuter. 6. Achaz æquè signum reputit vt promissionem.

Vnde Isaias propter impiam regis recusationem variare illud cogitur: idque eo pacto. Primò taxat regem & coniunctos propter incredulitatem, eos nec Dauidico sanguini respondere, nec prophetis, vt quos homines solùm non ministros putent credere, neque ipsi Deo fidem adhibere.

Secundò subiicit aliud multò maius signum, idque his de caussis. 1 Vt cùm impij nolint piis tamen liberationis signū proferat. 2 Vt eius liberationis caussam eorundem meritis detrahat. 3 Vt caussam omnium Dei beneficiorum erga populum indicet. 4. Vt maximū beneficium, quódque maximè prædicandum, demonstret.

Promittitur messias ex virgine nasciturus, cuius incarnatio signum profundū & excelsum fuit.

Ista serie subiicit aliud multò maius signum. Refert nanque de venturo Christo quę ad hodiernum festum spectant. 1 Miram eius natiuitatem, quòd è virgine nasciturus sit. Nam vocem Haalmah, virginem denotare constat. 1 Ex vocabuli etymologia, & communi vsu. Dicitur enim à cælando & claudendo: & pro virgine manifestè sumitur, Gen. 24. Exod. 2. 2 Ex prophetæ cō silio, qui miraculosi, non consueti partus meminit.

Partus immanuelis miraculosus.

3 Ex imposito nomine. Patrum enim erat dare liberis nomina. hîc cùm mater det, Indicium est quòd proles sit terreno patre caritura, húcque Angelus, Luc. 1. spectat.

4 Ex vetustis promissionibus, vt quę factę sunt Adamo de mulieris semine, Gen. 3. Abrahamo de benedicto, id est, separato seu virgineo semine, Gen. 12. & 22. Nam coniuncta semina mox reatum quòque conferunt.

Refert

2 Refert mirā naturarū vnionē. Vox Immanuēl docet ipsum Deum fore atq; hominē, licet hoc non tantùm ad naturam, sed officiū quoque pertinet, quòd & Deum nobis patefaciat atq; reconciliet, & nos suo merito, spiritu, patrocinio, tandē etiam gloria seu fœlicitate sua donet.

Vox Immanuel quid doceat.

3 Refert educationem, qua & victu & progressu intelligentiæ quantum ad humanitatem nobis similis sit futurus, Luc. 2.

His expositis, ne languescant tamen pij propter moram temporis, addit etiam de præsentis temporis mitigatione, antequam puer (indefinitè loquens) ad discretionis annos veniat, perituros ambos reges. Idque sic factum est. Nam Assyrius eo ipso anno Syrum sustulit, Israëlis verò rex intra octo annos obiit.

Educatio Emanuelis.

DOCTRINA.

Nos hypocrisi profligata hinc discamus, Dei promissionibus fidere & signa vt adminicula magnifacere: vtq; pij veteris Testamenti, primi Christi aduentus cogitatione se in omnibus discriminibus erexerunt, ita nos eiusdem fructu, & postremi expectatione consolemur.

EPILOGVS.

1 *Rasin rex Syriæ, & Phacee rex Israel, excitantur contra Achaz & Ierusalem. Erat diuersa religio, tamen conuenerunt in hoc vt regem persequerentur Iudæ. Sic nanque solet malo contra malum vti Deus, tyrannum impium tyranno impio puniendo: sed electorum paucorū amore pepercit Deus regi Achaz & multitudini.*

2 *Admonetur Achaz credere in promissum à Deo auxilium, & huius promissionis signum quærere: sed impiis neque excusatio, neque, scriptura deest.*

3 *Promittitur Christus Messias ex virgine nasciturus citra viri operam: cuius incarnatio signum profundū & excelsum fuit. Eius quoque natura seu substantia describitur, quòd nempe futurus esset duplicis naturæ, humanæ & diuinæ. Iuxta humanam quidem, Immanu, hoc est, nobiscum, seu nostræ substantiæ: iuxta verò diuinam El, hoc est, Deus verus. Iuxta humanitatem comesturus erat butyrum & mel, hoc est, futurus non homo phantasticus, sed verus, naturalis, essentialis, corporalis, certus, humanis necessitatibus obnoxius per omnia. Iuxta diuinitatem verò, & in humo verissimum arbitrium.*

Immanuel duplicē in Christo naturam denotat.

gumentum, sciturus erat (in ipsa statim infantia) bonum & malum: quod certè nemo hominum (præter hunc) vel cunquam potuit, vel etiamnum potest, contra Iudæorum & hæreticorum peruersitatem.

IN FESTO EODEM

Euangelium.

Luc. 1. *In mense sexto missus est angelus Gabriel, &c. Finis Euangelij, Et discessit ab illo angelus.*

HIstoria huius Euangelij complectitur tria, Primò, initium salutis humanæ, nempe, incarnationis Christi. Vbi considerandæ sunt septem. 1 Tempus annuntiationis, cùm ait: *In mense sexto*, à conceptione Ioannis Baptistæ. Nam de Messia vaticinatum erat, venturum illum tempore ablati à Iudæis sceptri, & venturum quidem statim post Angelum præcursorem, Gen. 49. Malach. 3.

Tẽpus Annuntiationis, mensis sextus à Ioannis conceptione.

2 Nomen angeli, cùm ait, *Missus est angelus Gabriel.* qui fortitudo Dei dicitur: quia illum annuntiabat, de quo Psalm. 23. Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio: illo nimirum prælio, quo potestates aëreas debellare, & ab earum tyrannide mundum veniebat eripere. Luc. 11. Ioan. 12. 3 A quo missus sit angelus, cùm ait. *A Deo.* immediatè, non ab alio angelo, quemadmodum Zach. 2. Curre inquit angelus alteri angelo, loquere ad puerum istum. Sic Daniel. 8. Audiui vocem viri in via: Gabriel, fac istum intelligere visionem. Author nanque huius negotij fuit Deus. is enim angelum misit è cælo, qui & conceptionem ipsam & conceptionis modum annuntiaret, sicque impleretur quod dominus promiserat, nempe, domui Dauid daturum signum, Isa. 7. 4 Ad quam prouinciam & ciuitatem, cùm ait, *In ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth.* Non ad Romã vrbem primariam, totiúsque orbis dominam: in qua erant principes potentissimi: non ad Athenas, vbi erant viri sapientissimi, ac philosophi clarissimi: non ad Ierusalem, vbi erant viri religiosissimi, sed ad Nazareth ciuitatem Galilææ paruam & despectam, Ioan. 7. vt conuincat dominus se non quærere, sed contemnere mundana: vtque doceat se semper requiescere super humilem & pauperculum,

Gabriel fortitudo dei.

Author incarnationis Christi Deus.

Locus conceptionis Christi humilis & despectus.

culum, & trementẽ sermones eius, Ignobilia enim mundi & contemptibilia elegit Deus. 1. Corinth. 1. Isa. 66. Quod etiam sine altera caussa factum non est. nam & inde certum est, conceptum illum fœtum Messiam esse: quòd, scilicet, prædictum sit, in Galilæa omnium primò lucem magnã (hoc est Messiam) exoriturã, & Messiam vocandum esse Nazaræum, Isa. 11. 5 Ad quam personam, cùm ait, *Ad virginem desponsatam.* Virginem carne, virginem mente & professione, virginem qualem describit Apostolus. 1. Corinth. 7. Mulier innupta & virgo cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Virginem, inquam, quæ non regi alicui magnifico, nec sacerdoti summo nupserat, sed fabro lignario. 6 Ad quem virum, cùm ait, *Viro desponsatam, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid.* Quod non sic debet accipi, quòd matrimoniali actu vsa sit, sicut reliqui coniuges: Sed oportebat Mariam habere virum, qui testis esset integritatis ipsius certissimus, & nati ex ea domini & Saluatoris nostri esset nutritius fidelissimus, quique pro eo paruulo secundum legem hostias ad templum deferret, & eum instãte persequutionis articulo, quãdo scilicet Herodes quæreret hœdum paruulum Christum cõtra legem, Exod. 34. in lacte matris suæ coquere, in Aegyptum cum matre deferret ac referret, aliáque illi plura, quæ assumptæ humanitatis fragilitas poscebat, necessaria ministraret, & contra legis transgressionem testimonium ferret. Non decuit, inquit Ambrosius, virginibus sinistra opinione viuentibus velamẽ excusationis relinqui, quòd infamata mater domini fuisset. Oportebat hoc etiam, vt per Ioseph generationis Christi series texeretur (vt vult Hieronymus) qui fuit de domo Dauid, quemadmodũ virgo. Nam viri suæ tribus fœminis iungebantur, præsertim in hæreditate paterna succedẽtibus, Num. 36. Et ne res non congrueret prophetiæ, quæ Messiam promiserat ex genere Dauid regis. Rom. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. 7 Nomen virginis, cùm ait, *Mariæ*: quæ maris stella dicitur, quia luce à se prodeunte mundum illustrauit. Dicitur & amarum mare, quia suam ipsius animam gladius doloris pertransiuit, Luc. 2. Sic & domina, quia regem regum, & dominum dominantium

Christum oraculo Isaiæ messias esse cõcinitur, quòd prædixerit eũ eo candũ esse Nazaræũ.

Maria triplici ratione virgo fuit.

Maria virgo cur desponsata viro.

Mariæ quid interpretetur.

nantium nobis peperit, Apoc. 19. Item exaltata, quia respiciens humilitatem ancillæ suæ, eam exaltauit supra omnes mulieres. Quam delegit Deus, ne quid in hoc cælesti negotio sibi mundus vindicaret.

Quòd autem Lucas hanc historiam tot verbis ac circunstantiis describat, non temerè facit. Si enim in ciuilibus causis tam seriò agitur, vt notarij adhibeantur, qui locum, tempus, & personas literis mandant, traduntur libelli, & appenduntur sigilla, vt fides habeatur: quantò magis hoc debuit fieri in causa tam ardua, nempe, in incarnatione Christi, vt nos de promissionibus Dei certos redderet, & hæreticorum subsequentium hæreses, ac Iudæorum obstinationem conuinceret?

2 Secundò complectitur præsens historia nuntium angeli, quo aggreditur virginem Mariã, & eam comiter salutat, cùm dicit: *Ingressus angelus ad eam.* Vbi secretò patrem orabat, clauso (vt dicit Bernardus) ostio, quémadmodum postea filius docuit, Matth. 6. Quibus verbis Lucas voluit nobis commendare virginis mores castissimos, vt quæ non, vti vulgus virginum solet (sicut de Dina legimus Gen. 34.) per cõpita & theatra vagata sit, fractóque gradu discurrerit, sed in ædibus paternis occlusa fuerit, imò sese vltrò incluserit, ibique rebus sacris & honestis exercuerit sese, propheticásque lectiones euoluerit. Et taliter orantibus solent astare angeli, & delectari in iis quos videt puras manus leuare in oratione. Patet in Zacharia, cui angelus apparuit stans à dextris altaris incẽsi, Luc 1. & in Cornelio Centurione, Act. 10. Quantùm autem Mariæ placuerint orationes domino, angelus indicat, qui tam reuerenter eam salutauit dicens, *Aue gratia plena.* Aue, hoc est, salue, seu gaude Maria. Mox addit, *Gratia plena*, hoc est, dilecta, gratiosa, fauorabilis, plurimum consequuta gratiæ, vnicéque à Deo in gratiam recepta. Aptissimum quippe erat, vt gaudij vocabulo salutaretur, quæ veræ voluptatis author erat conceptura: & gratiæ vocabulo compellaretur, quæ Iesum erat paritura salutaris gratiæ principem & authorẽ. Nec dubium quin pater cælestis filio suo vnigenito eximium & splendidissimum præparauerit tabernaculum. Sanctificauit tanque tabernaculum suum altissimus. Magnificè ac splendidè præparata fuerat arca illa vet. test. in qua manna reponebatur: quantò splendidius pretiosiúsque oportebat esse tabernaculum in quo panis ille verè cælestis reponendus fuerat? Neque tamen ipsa habebat plenitudinem gratiæ quam filius eius Christus, sed sufficientem habuit ad illum statum ad quem fuit electa, scilicet vt esset mater Dei. Sic Stephanus (Act. 6.) plenus dicitur gratia, quam sufficientem habuit vt esset testis idoneus Christi. Sic & Apostoli, Act. 2. Christus autem super omnes, quia de plenitudine eius omnes nos accepimus, Ioan. 1. Cæteris ergo datur gratia per partes, Mariæ autem tota se plenitudo gratiæ infundit.

Dominus tecum. Hoc est, non tantùm potentia, sed etiam clemẽtia, gratia, fauore, & aliis donis spiritualibus. Non tantùm filius tecum quem concipis, sed & dominus spiritus sanctus de quo cõcipis, & dominus pater tecum qui genuit quem concipis. Et ideò gratiosam te appello, quia dominus tecum est, Dominus tibi fauet, Dominus te elegit. Prouerb. 31. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.

Benedicta tu in mulieribus. Hoc est, laudabilis præ omnibus mulieribus. q. d. Ideò dominus tecum est, & tibi fauet, quia fauorem suum erga te in eo & per hoc declarat, quòd tu es illa fortunata, beata, & laudata præ omnibus mulieribus virgo, de qua præcinuerunt prophetæ, quæ paritura est semen illud benedictum, quod conterat caput serpentis, Genes. 3. quæ conceptura & paritura sit Immanüelem Christum domini, Isa. 7. Bernard. Benedicta tu inter mulieres, quę sola illam generalem maledictionem euasisti (Gen. 3.) In tristitia paries filios tuos. & nihilominus illam (Exod. 23.) Non erit infœcunda nec sterilis in Israël, ac consecuta es benedictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Verè benedicta, quæ sine exemplo muliebris conditionis, cum decore virginitatis gauisa est honore parentis: quódque virginem matrem decebat, Deum filium procreauit. Facta est enim mater benedicti seminis, veri Messiæ. At quæ maior benedictio poterat illi cõtingere? Laudamus veteris & noui testamenti mulieres sanctitate claras, sed vt huic aliquam illarum quis conferat, non patiemur.

Mariam moribus castissima, et secretiorũ locorũ amatrix.

Angeli delectãtur astare orantibus, & iis qui puras manus eleuant ad Deum.

Maria gratiosa.

Dominus non tãtùm potẽtia, sed etiã gratiæ & aliis donis spiritualibus cum Maria.

Maria quo modo gratia plena.

Maria quibus rationibus præ aliis mulieribus benedicta.

Salutatione angelica quadrifariam vti licet.

Hac salutatione licet quadrifariam vti: vt, scilicet 1 inde discamus nostræ salutis & redemptionis initium: cuius memoria tantò magis in gratiarum actionem nos excitabit, quantò minus beneficium hoc operum nostrorum merito præstitum nobis fuit. 2 Vt videamus quantam gratiam Deus Mariæ largitus sit, vt qui ipsam in matrem elegerit. 3 Vt tam gratuitis Dei beneficiis & operibus accendamur ad orandum Deum, vt & nobis vel scintillam diuinæ gratiæ impertiat. 4 Vt per mysteria quæ hac salutatione angelica continentur, ipsam oremus vt pro nobis apud Iesum fructum ventris sui ad dominum Deum nostrum intercedere dignetur.

Nihil in tota scriptura scitu magis necessariũ, quam incarnationis dominicæ mysterium.

Ista quatuor valde sunt necessaria quæ intelligantur ab omnibus Christianis. Nam 1 Nihil est in tota scriptura scitu magis necessarium Christiano, quàm mysterium incarnationis dominicæ. 2 Videntes hanc gratiam virgini concessam propter humilitatem, eandem in spiritu sperabimus, si modò humiles fuerimus. 3 Qui tantam gratiam dedit virgini, aliquam dabit petentibus & inuocantibus in veritate, Psalm. 144. 4 Nihil est quod magis Mariam delectet, quàm pia angelicæ huius salutationis recitatio.

Encomij Mariæ excellentia.

Nemo ergo inuideat B. Mariæ hanc laudẽ, nemo minuat. A cælo venit, per angelum venit, imò à Deo ipso venit hoc encomion, vt Maria virgo Nazarena benedicta dicatur inter & super omnes mulieres. Hanc laudem auxit sancta Elizabetha, Luc. 1. Hoc encomio nobilitauit eam illa mulier de turba, dicens, (Luc. 11.) Beatus venter qui te, ô Iesu Christe, portauit: beata vbera quæ suxisti. Si enim nunc sancta trinitas virginem Mariam hac salutatione dignata est alloqui: cur nos detrectemus eam iisdem verbis salutare? Canit enim ipsa, Respexit humilitatem ancillæ suæ. ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Si hæc verba sint implenda, oportet profectò esse qui eam laudibus euehant & ornent. Sed Iudæi, Turcæ, Gentiles, Lutherani, & alij hæretici id non faciunt, quin iniuriis afficiunt. quomodo ergo erit verum, quod spiritum sanctum affirmat Lucas dixisse per os Mariæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes? Quare nostri erit officij, vt nos

nos qui catholicam religionem veram & antiquam retinemus, eam summis laudibus euehamus: inuocando eius fauorem, petendo subsidium nostris calamitatibus leuandis, intercessionem eius ardentius implorando: quódque ipsius animum mirificè in nos propensum reddet, diuinas eius virtutes imitando.

Catholicorum officiũ est, Mariã summis laudibus euehere, &c.

3 Tertiò complectitur dialogissimum angeli Gabrielis, & virginis Marię. Nam audito nuntio angeli, turbata est Maria à salutatione insolita, *& cogitabat qualis esset ista salutatio*, tam excellẽs, inopinata, & nusquam audita. In quibus verbis rursum commendãtur nobis castissimi & nunquam satis laudati mores virginis benedictæ. Primùm, verecũdia. Nam trepidare (vt Ambrosius inquit) virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, & omnes viri affatus vereri. Solent nanque virgines, quæ verè virgines sunt, semper pauidæ, & nunquam esse securæ, & vt caueant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & (vt rectè hoc in loco Bernardus ait) nimis arduum esse, viuere angelicè inter homines, & in terris more cælestium conuersari, & in carne cælibem agere vitam. Duplici ergo nomine turbata est Maria, & quòd videret angelum viri specie ingredientem, & quòd eius insolitam audiret salutationem. Deinde, modestia, quia nihil respondit, sed tacuit, & audiuit. Nam ornat virgines silentium. Nimis loquacula, credula, & curiosula erat Eua, quare locum præbuit diabolo. Maria contrà non temerè credidit, sed cogitanit & expendit apud sese, qualisnam esset ea salutatio. Intelligebat enim salutationem singularem esse, & aliquid continentem mysterij cæterùm quídnam illud esset, ignorabat. Siluit ergo, nec respondit quicquam: ea re etiam omnibus virginibus atque matronis exemplum præferens prudentiæ singularis, & custodiæ virginitatis accuratissimæ. Prudentia quippe erat, quia cogitabat quanta esset salutatio, spiritu discretionis ruminans quid prætenderet, quò tenderet, & cui esset exhibita. Sciebat etiam prudens virgo, quòd sæpe angelus satanæ transfiguret se in angelum lucis: ideóque vehementer anxia cogitabat qualis esset salutatio.

Dialogissimus Gabrielis & Mariæ.

Verecũdia Mariæ.

Virgines verecundia decet.

Modestia Mariæ.

Virgines ornat silentium.

Prudentia Mariæ.

Et quum minima esset in oculis suis, ac laudabiliter pudo

pudorata, vehementissimè de tanto suo præconio mirabatur: séque laudari ac cunctis præferri mulieribus erubuit atque obstupuit, eò vtique amplius, quò minus tale quid suspicabatur aut sentiebat. Sanctæ enim mentes quantò magis laudibus extolluntur, tantò magis timent, & humilius de se sentiunt, iuxta illud Ecclesiastici 3. Quantò maior es, humilia te in omnibus, &c. Sic Apostolus. 1. Corinth. 15. Non sum dignus vocari apostolus.

Mentes sanctæ quantò magis laudibus extolluntur, tantò magis timent, & humilius de se sentiunt

Sed angelus Mariam consolatur, vt moris est bonorum angelorum, vocans eam ex nomine:

Mos bonorum angelorũ est consolari meticulosas mentes.

Ne timeas (inquit) *Maria, inuenisti gratiã apud Deum.* Quasi diceret, Nuntius Dei sum, non diaboli. de salute generis humani, non perditione (vt serpens) venio tecum deliberaturus. nil est periculi.

Quòd appareo tibi, diuinum mandatum est. quod ago, diuinum negotium est. quod nuntio, diuina legatio est: nihil hîc doli, nihil fallaciæ. non sum qui venio suffurari tibi adamatum thesaurum. non sum homo, sed spiritus. Inuenisti gratiam apud Deum. Præ omnibus aliis te elegit ad negotium, quod omnia alia ipsius miracula excedit. Tu es amica illa singularis, speciosa & vnica columba cælestis sponsi, cuius rex concupiuit speciem. Tu arca noui testamenti, quæ alteram columbam emissura es, ramum oliuæ toti mundo adferentem, (Bernardus) Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hæc est, inquit, gratia quam inuenisti, sed apud Deum. nam apud mũdum gratia fallax, Prouerb. 31. Fallax gratia, & vana est pulchritudo. mulier timens Deum, ipsa laudabitur.

Gratia, quã Maria reperit quasit.

Prodit mox angelus omnia prophetarum oracula, maximè Isaiæ prophetæ. & ait. *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* q.d. Haud nescis Maria prædixisse prophetã, futurum vt singularis aliqua & fœlix virgo conceptura parituráque sit Immanüelem Messiam. Ea ipsa virgo tu es, ideóque tu cõcipies in vtero, non à viro, nam Matt. 1. inuenta est in vtero habens de spiritu sancto: & paries Messiam, verum Deum & hominem, atque saluatorem orbis. Quia enim homo ad Deum nõ valuit peruenire, per te decreuit ad homines descẽdere. Ne igitur timeas, sed bono sis animo, ac gratulare tibi ob tantam gratiam.

Maria illa singularis virgo, de qua vaticinatus est Isaias.

Et

Et vocabis nomẽ eius Iesum. Luc. 2. Matt. 1. Non impones dixit: quia Isa. 49. ait, Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Quod nomen interpretatur saluator. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hæc nouitas concipiendi & pariendi prædicta fuit etiam Ierem. 31. Nouum faciet dominus super terram: fœmina circundabit virũ. Verè nouũ. Olim homo fieri voluit Deus (Gen. 3.) nunc Deus factus est homo. Olim de viro facta est mulier (Gen. 2.) nunc de sola muliere factus est vir. Olim virga floruit sicca & arida (Nu. 17.) nũc virgo intacta peperit. *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur*, Dan. 7. Quã quã ex humili loco, ex humili puella natus, tamen diuinis virtutibus erit maximus, adeò vt posteaquã innotuerit mundo, vocãdus sit, non propheta, sed filius altissimi. Nihil enim maius, quàm esse filium omnipotentis Dei, non per adoptionis gratiam, sicut alij, sed per naturam: vt vna in duabus naturis persona esset redemptoris & mediatoris nostri. Et quia vna erat hypostasis, re vera filius altissimi erat filius virginis. Qui ergo perpetuò est magnus Deus, futurus erat magnus homo: & qui iuxta diuinitatẽ est filius altissimi, etiã iuxta humanitatẽ filius altissimi vocandus erat. q.d. angelus: Quis erit magnus, quíssve vocabitur filius altissimi? Ille, inquã, quẽ in vtero cõcipies, quẽ paries, quem vocabis Iesum. Quando verò talis vocabitur? Non statim à natiuitate, sed aliquantò pòst. Multi enim multis & variis illum vocabunt nominibus, sed postquam in crucẽ exaltatus fuerit, satanã & peccatũ deuicerit, tunc tandẽ apparebit quis qualísve sit. Hæc vera esse nos Christiani scimus. Cui non notæ sunt voces illæ, Verè hic homo iust⁹ filius dei erat? Et Paulus Philip. 2. scribit Christũ filiũ Dei. Deo Patri cælesti obedientẽ fuisse vsq; ad mortẽ: & addit, Propter quod exaltauit illũ, & dedit illi nomẽ quod est super omne nomẽ.

Iesus interpretatur saluator.

Et dabit illi dominꝰ Deus sedẽ Dauid patris eius. Psal. 13. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis.*

Maius nihil est, quã omnipotentis Dei esse filium, nõ per adoptionis gratiã, sed per naturam.

Filius Virginis, res vera etiã est filius altissimi, quia vna hypostasis.

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Micheæ 4. Daniel 7.

Hæc non sunt intelligẽda Iudaicè, hoc est, carnaliter, sed spiritualiter. Quũ enim prophetæ dicant messiã in æternum regnaturum, mũdus verò æternus nõ sit, facilè

I iij

Regnum Christi nō mūdanū, sed spirituale & æternum.

appareat Christi regnū nō fore mundanū: quinimo turbis eū volētibus regem facere, aufugit. Ioan. 5. Spirituale itaq; intelligit regnū, quod hīc in electis auspicatur, & in futuro seculo in perpetuū durabit. dedit enim Deꝰ Christo suum regnū, non typicum, sed verū: non tēporale, sed æternum: non terrenū, sed cœleste. In Isaia legimus cap. 9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Super solium Dauid, & super regnū eius sedebit, vt cōfirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia amodo & vsque in sempiternū. Dedit enim redēptori sedem Dauid, quando hunc de genere Dauid incarnari disposuit. Ro. 1. vt populū quem Dauid tēporali rexit imperio, ipse gratia spirituali ad æternū produceret regnum. Coloss. 1. Qui eripuit nos, &c. Summa: Angelus suis ad Mariam verbis apertissimè testatur filiū eius fore immanuelem illum regémque æternū domus Iacob.

Redemptori quādo sedes Dauid data sit.

Domus Iacob qui sint.

Domus autem Iacob sunt, qui ex Iudæis & gentibus crediderunt. Rom. 9 Nō enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israëlitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, hi filij; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

Hæc concio est illustrissima. nam quanuis sit breuis, tamen est efficacissima. Indicat enim Iesum filium Mariæ vere esse verum Deum & hominē, admirabilem in conceptione, in natiuitate, vita, & morte. Ac præter illa quę de regno eius prædicti prophetæ sunt vaticinati, & alia quàm amplissima reperire est quę Dauid Regem nostrū habiturum affirmant. Dicit enim Psal. 71. illum futurum regem, scilicet iustum. Iudicabit, inquit, pauperes populi, & humiliabit calumniatorē. Multi dominij, cùm ait, Et dominabitur à mari vsque ad mare. Adorandum: Adorabunt eum omnes reges terræ. Liberatorem: Liberabit pauperem à potente. Clementem: Parcet, inquit, pauperi & inopi. Dicit præterea illum futurum regem æternæ vitæ, cùm addit, Et viuet. Qui aurum habebit Arabicum, non quoduis: cùm ait, Et dabitur ei de auro Arabiæ. Quòd timebunt eum inimici eius. cùm ait, Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius in terram concident. Tandem æternum, cùm ait: Et permanebit cum sole & ante lunā, in generatione & generationem.

Iesus filius Mariæ vere Deus & homo.

Tituli de messia vaticinati sunt rex, iustus, liberator, clemēs, vita, æternus, &c.

Item tertiò complectitur dialogismum virginis Mariæ

riæ & angeli Gabrielis. Nā consolata paululū Maria respondet angelo. *Quomodo fiet istud? Quoniam virum non cognosco.* Non dubitat de verbo diuino: non ignorans nihil esse tam arduum, quod nutu non possit Deus. Credit vera esse omnia illa prophetarum oracula & vaticinia quæ frequenter legerat, in quibus contemplandis non parū temporis insumpserat. Credit iuxta verbū angeli se matrem Iesu futuram, sed qualitatem ipsius & modū inquirit, quem non legerat, qui nec prophetæ reuelatus fuerat. q. d. Credo promissionibus Dei. Scio cælū & terram transitura, verbū autem Dei non trāsiturum. Noui quid per Isaiam dictū sit. Si ergo ego illa sum, per quam Deus velit hunc filiū mundo exhibere, obsecro te paulò apertius rei futuræ modum declares. Discamus ex Maria, verbis diuinis Ecclesiæ catholicę acquiescere, atque obsequentes nos præstare, vt quæ à Christo nobis sint allata. Verba Christi sunt omnes doctrinæ quas catholica (quæ est Romana) tenet Ecclesia. Si aliqua videātur obscuriora: Christus qui Ecclesiæ dedit scripturas, idem illi reliquit spiritum sanctum, qui ipsi interpretaretur & doceret omnem veritatem. Ad hanc confugiamus, vt quæ columna & firmamentum sit veritatis. 1. Timoth. 3.

Modus quo virgo illæsa virginali pudicitia fieret mater Mariæ absconditus, nec propheta reuelatus.

Dixit Maria ad angelum. Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco id est, voui virginitatē: quomodo salua & illæsa mea virginali pudicitia potero esse mater? Vnicè nanque virginitatis amabat curabátque thesaurū: non signū rei (vt Zacharias) sed modum (vt diximus) requirens. Nec debet cuiquam hoc mirum videri: siquidem Maria nec sua ætate viderat, nec superioribus legerat aliquid tale quòd virgo aliqua esset, & stante atque illibata virginitate mater esseti non habuerat exemplum tale ab orbe condito.

Angelus respōdit, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obūbrabit tibi. Ideóque & quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius Dei.* Quasi dicat, Sicuti illa quæ ex me audisti, diuina sunt & non humana, ita & modus architecti diuinus erit, & nō humanus. Spiritus sanctus erit architectus, in te perficiet opus dei priusquā sentias. Is qui in tua cōceptione ab omni prauitate te expurgauit, idem te ornabit cumulatissimè cælestibus donis in

Architectus incarnationis Christi Spiritus S.

corpore & anima: atque eius virtute cõcipies. Est autem hæc summa responsionis angelicæ. q. d. non periclitabitur hîc tua virginitas, neque quisquam virorum te accedet aut continget: sed Deus ipse per virtutem spiritus sancti sui ex te excitabit filiũ, sine virili semine te spiritus sanctus fœcũdabit: ideóq; cõcipiens ac pariens, nihil detrimenti sentiet tua integritas & virginitas: & sic fœtus tuus sanctus erit: atque vocabitur ob id, nõ Ioseph aut alterius cuiusquam viri filius, sed filius vnius Dei.

Mariæ fœtus sanctus.

Obseruatione hîc dignum quod ait, nasci sanctum ex diua virgine. Hoc enim præter naturam, (quatenus, scilicet, corrupta est) humani generis fit. Omnes enim in genere nascimur filij iræ, & (vt Iob ait) immundi de immũdo cõcepti semine. Maria verò, ipsa nimirũ sancta & mũda per Dei gratiã, ex se sanctũ genuit, nõ in peccatis conceptũ, sed mundũ & sanctum illud, per quod omnes electi & mundantur & sanctificãtur, Exod. 31. Ego dominus, qui sanctifico vos. & Heb. 3. Propter quod Iesus, vt sanctificaret populũ per suum sanguinem, extra portam passus est. Angelus cõfirmat Mariam signo & exemplo. *Ecce*, inquit, *Elizabeth cognata tua.* Ecce, id est, cõsidera, expẽde eius cõditiones: attamẽ *Concepit filiũ in senectute sua. Et hic mẽsis est sextus illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deũ omne verbũ. q. d.* Elizabeth semper sterilis fuit, éstque iam grandæua insuper, & tamen cõcepit in effœta sua senectute filium, filij tui præcursorem, qui & etiámnum viuit ac mouetur in tumido matris vtero. Is igitur qui illam fœcundauit contra naturam, & te contra naturam fœcundare potest, imò & certò fœcundabit. Hæc ab angelo dicuntur non ad confirmandam fidem Mariæ, sed ad augmentum gaudij.

Signis cõsuluit Deus infirmitati Iudaicæ.

Virgo sanctissima erat Iudæa, & Iudæos (ita Deo volente ipsorum infirmitati consulere) quando aliquod magnum sacramentum futurum illis prædicebat, signo confirmabat. Ita legimus admiranda & tremenda illa signa quæ fecit Deus per Mosen & Aaron in liberatione populi ex Ægypto de manu Pharaonis, Exod. 8. 9. 10. &c. Moses vt confirmaretur in fide, vidit rubum ardentem, & nõ exustum, Ibid. 3. Gedeõ vellus rore coopertũ in medio areæ siccæ, & iterum siccũ in medio areæ rore perfusæ,

perfusæ, Iudic. 6. Sic Isaias dicebat Achaz, capit. 7. Pete tibi signum à domino. Sic Iudæi petebant signũ à Christo, Matth. 12. Luc. 11. Cùm populus Israëliticus fuisset huiusmodi signis à Deo assuefactus, virgoque sanctissima in his scripturis tractandis fuisset exercitatissima: voluit illam Deus confirmare signo illo de Elizabeth.

Voluit Angelus ita inferre: Si potuit Deus vuluam Saræ, ob ætatis senium concipiendæ proli ineptam, conceptioni aptã facere: poterit & nunc sua admiranda potentia, inscrutabilique sapientia perficere, vt tu quæ virginitatem voluisti, incontaminata concipias & parias. Esto obediens diuino mãdato: reliqua omnia, téque ipsam ipsius potentiæ ac bonitati committe: quia non est impossibile apud Deum omne verbũ. Quale enim verbum illi impossibile, qui per verbum fecit omnia? Psal. 148. Gen. 1. Nihil enim potest à Deo promitti tam nouũ aut magnũ, quod ipse non queat præstare. Ierc. 32. Nunquid mihi difficile erit omne verbum? Vtinã Caluinus atque alij plerique sententiam hanc dei potentiam declarantem, pro sua dignitate expendissent: nunquam eò dementiæ prorupissent, vt contra verba Trinitatis per angelum prolata, affirmarent Christum corpore glorificato post resurrectionem nõ potuisse ianuis clausis ingredi cœnaculum discipulorum: indéque negarẽt verum corpus Christi, quod de virgine fuit natũ, & in cruce passum, sub speciebus panis & vini in sacramẽto subsistere. Qui cùm hoc negant, necesse est eradant particulam illam symboli, qua confitentur Dei omnipotẽtiam, dicentes, Credo in Deum omnipotentem, tollant omnipotentem, & substituant, aliquid potentem. Secundò necessario sequitur, ipsos negare virginitatem Mariæ. Nã si glorificatus & impassibilis non potuit ianuis clausis ad discipulos ingredi, multò minus potuit passibilis nõdúmque glorificatus intemerata virginali matris pudicitia ex sanctissimo eius vtero nasci. Hoc quàm sit impium, quámque sacrilegum, facilè iudicauerit is quem vel minimus religionis Catholicæ amor afficit. Nos credentes Deum omnipotentem, credimus id quod Angelus, vel ipsa potius sancta Trinitas docuit: Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.

Nihil tam nouũ aut magnũ potest à Deo promitti, quod ipse non queat præstare. Caluini cæcitas.

Confirmata in fide Maria verbis & exēplis respondit angelo. *Ecce ancilla domini, Fiat mihi secundū verbū tuū.* Laudatur Maria ab humilitate & prudentia in respōso. Mater Dei eligitur, & ancillā se nominat. Nō mediocris re vera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria obliuiſci humilitatē. Non magnū est esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Prima mulier audiens, Eritis sicut dij, statim in superbiam elata, contra creatoris imperium manū extendit ad ligni prohibiti fructū. Hæc audiēs se matrē filij Dei regnantis in domo Iacob in æternū, paucis, sed quę sum mam animi modestiam cum summa fiducia pietatéque coniunctam testarentur, respondit: *Ecce ancilla domini*, cui semel dicata sum, parata ad omne obsequium. *Fiat mihi secundū verbum tuum*, vt de spiritu sancto cōcipiā.

Mariæ humilitas.

Magna & rara virtus humilitas honorata.

Simul atque Maria respondit, spiritu sancto repletur & concipit non hominem tantùm, sed Deum, verum filium Dei saluatorem mundi. Et reparauit Maria, quod Eua perdiderat. Discessit quoque angelus à Maria: nimirum cum reuerentia valedicens, peracto negotio rediens ad eum qui miserat, lætum cæli ciuibus referens nuntiū, ruinam in proximo fore restaurādam: & accessit Dei filius dominus noster Iesus Christus qui est benedictus in secula seculorum. Concepit virgo sanctissima hominem Deū factum, & Deū factum hominem. Vnde fideles rectè eam Dei genitricem & matrem vocamus, cuius intercessione vitam etiam speramus eternā. Amē.

Maria reparauit, quod Eua perdidit.

Maria Theotocos rectè vocatur.

EPILOGVS.

1 *A sancto virginis cum angelo colloquio deus auspicari voluit restituēdi generis humani negotium, quādo primū illud pestiferū virginis cū serpēte colloquiū, exitij seminariū inuexerat mūdo. Ad lapsum quippe hominis cōcurrebat angelus malū suggerēs, mulier incōsultè suggestioni consentiens, & vir trāsgressionē diuini præcepti perficies. Sic in reparatione angelus nuntians, virgo consentiens, & Christus perficiens. Bernardus: Redditur fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigit vitæ: & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem parit fructus æterni.*

2 *Tota huc tendit Euangelica historia, vt ostendat Mariā illam*

illam Nazarenā Ioseph sponsam, verè esse Halmah, ac Messiæ matrem: & huius filium Iesum seruatorem nostrum verè Immanuelem messiámque esse, ex Isaiæ vaticinio. In cuius humana natura assumptione tria singularia mirabilia facta narrat Bernardus. Coniuncta sunt, inquit simul Deus & homo: mater & virgo: fides, & cor humanum.

3 *Modus quomodo virgo cōceperit filium Dei, describitur, nimirum per fidem. credidisti enim, Deo omnia esse possibilia, & angeli Verbum Dei Verbum esse. Ex hac fide (vt & Sua olim) accepit vim cōcipiendi ex seipsa, citra viri operam, persolum spiritum sanctum. Habemus igitur hîc absolutissimum verę fidei exemplum quod imitemur. Quod fiet, si itidem audito verbo Dei credamus ex animo, nos & omnia nostra permittamus Deo, inque eius fidelia obsequia nos totos præbeamus, facientes ipsius voluntatem summa cum fidelitatē & humilitate. nam sic & ipsi Christum concipiemus, pariemúsque in vitam æternam.*

DE SANCTIS QVORVM FESta inter pascha & Pentecosten occurrunt, Epistola.

Iam non estis hospites & aduenæ, &c. Finis Epheſ. 2. Epistolæ, In habitaculum Dei in spiritu sancto.

PAuli mēs atque ordo hic expendendus occurrit. Vt Ephesij magnitudinem beneficiorum Dei, euangelicique ministerij gratiam probè apud se expēderent, debitáque laude celebrarent: narrat eis Paulus, sicut in prioribus, sic in hisce quoque verbis, primò quales antè fuerint, nempe, hospites siue peregrini, quos superiùs hospites tabularū promissionis dixerat. Porrò peregrinitas illa cerneba tur tū, ac etiámnū cernitur in incredulis. Partim in nomine seu professione, quā omnino variabant à peculiū populóque Dei. Partim in noticia, quòd nec scirent, neque scire cuperent quæ ad sanctæ vrbis ciues pertinent, vt est notio capitis siue magistratus. Nam essentiam dei neque vnam neque tres personas continentem norant. Voluntatem Dei quantum ad Ecclesiæ seu præsentem seu futuram gubernationem plānè ignorabant. Et quātùm ad mundi gubernationem aut similiter ignorabāt,

Ephesij quales ante fidē suam erant.

Ephesij quotuplici ratione peregrini.

aut si norant, tamen dubitanter aut corruptè norant. Item vt est notio legum seu sacrarum literarum, quarum nullus inter eos erat vsus, vt est notio præsidiorum ac munitionum quibus Dei filius atque angeli eius nos pios tegunt, quarum nulla fuit inter eos cura. Vt est notio opum, id est, gratiæ, adoptionis, ac æternæ vitę, quos thesauros illi prorsus nesciebant. Vtque postremò est notio fœderum quę inter nos & Deum sunt per Christi sanguinem facta atque obsignata, quorum illi erant inscij, & quę inter nos & fratres sunt per Christi inter nos communionem spiritúmque institutá, quorum æquè erat tum ignari.

Partim peregrinitas illa cernebatur in affectu, quòd amore nunquam vero: puro, firmo, ceu fideles solèt, neque inter se nec cum Dei ciuibus cohærebant.

Partim in habitu siue moribus. Nam si res vel prosperas vel aduersas spectes, nunquam inter eos fuit talis gratitudo ac modestia, item inuocatio tolerantiáque, sicut in electis solet. Si officia studiáq; spectes, nulla erat ibi talis vel mortificatio vel sanctificatio.

Ephesij in quilini siue incolæ. Dicit prętera quòd fuerint inquilini siue incolę, quos superiùs alienos à Republ. Israëlis dixerat. Cernebatur autem iste inquilinatus partim in iure, quod in cælesti bus bonis nullum, in terrenis nullum nisi mutuatum penes ipsos erat. Nam & terra proprie est fidelium, & fidelium caussa tolerátur illi in presenti vita. Partim cernebatur in societate quam cum sanctis tantùm obtinebant ratione onerum, sicut inquilini simul pugnát, sed non regunt. Porro onera illa sunt calamitates quibus æquè tum affligebantur vt electi. Nam & mundus ipse se cupiditate & mutua insectatione torquet. Satan omnium tum piorum tum & impiorum malis gaudet: Deus semper suæ iustitiæ documenta edit, non autem ratione honorum. Nam nec Deo grati erant, neque Dei grata organa, neque Ecclesiæ membra, aut consortes ministerij. Et talis quidem etiámnum est conditio quorumcunque Ethnicorum.

2 Secundò narrat Apostolus Ephesiis quales pòst in Christo esse cœperint: quod & nostri caussa obseruemus. Nam & nos in eum statum euecti sumus. *Ephesij* Ephesiorum igitur & fidelium quorumcunque statum, quem per Euangelij apprehensionem consequuntur, notat diuus Paulus triplici hac figura, quòd facti sint ciues sanctorum: domestici Dei: & lapides structuræ Dei, id est, membra Ecclesiæ Dei. nam Ecclesia dicitur ciuitas Dei, Esa. 60. Hierem. 13 dicitur domus Dei. 1. Timoth. 3. Heb. 3. dicitur & templum Dei. 1. Corinth. 3. Porrò hisce verbis inest incremẽtum. Magnũ beneficiũ est donari peregrinũ, exulem, hostem, ciuitate, & sanctorum quidem ciuitate:

quales facti sint post acceptam fidem.

Ecclesia ciuitas, domus & tẽplũ Dei est.

In qua hæc cernuntur:

Ordines omniũ decentissimi, vt sunt inuisibiles præsidentis Christi moderantis spiritus ascendentium descendentiúmque angelorum, & visibilis docentium prophetarum, apostolorum, pastorum, auditorum confitentium, inuocantium, celebrantium.

Ordines ciuitatis Dei inuisibiles et visibiles.

In qua etiam cernuntur leges credendarum atque agendarum rerum in scripturis exactissimæ.

Leges.

Immunitates contra legem, mortem, satanam amplissimæ.

Immunitates.

Conuentus verbi precum, sacramentorum honestissimi atque vtilissimi.

Conuẽtus.

Commercia charitatis iucundissima.

Cõmercia.

Mœnia & præsidia contra omnes hostes validissima.

Mœnia.

Quæ & hinc amplificantur, quòd & istius ciuitatis constitutio maximo cõstitit, nempe, Christi sanguine: quòd assecutio est facillima, vt quę omnibus sit exposita, atque vera fide impetretur. Quòd & inhabitatio est perpetua, quam ne moriens quidem deserat, sed commutet solùm, migrans, nempe, in beatiorem vrbis locum. At obserua simul quòd sanctorum ciuitas dicitur. neque enim quicquam fert pollutũ, vt nec castra Israëlis, Apoc. 21. & 22.

Ecclesia sanctorum ciuitas.

Maius verò beneficium est, in familiã quoque recipi, vbi est arctior communitas, maior notitia, diligentior cura, amplior communicatio. Atque eò quidem nos recipimur qui re vera prius fugitiui, prodigi, scelerati, imò iræ filij fueramus. Et recipimur vt cælesti potiamur mensa, victu, aspectu, colloquio, fide, cõsuetudine, facultatum omnium iure ac quiete, idque Deo patre, Christo fratre, angelis seruis, sanctis familiaribus. Sed & hîc obserua quòd domestici Dei non honoris tantùm vel vtilitatis,

sed obedientiæ quoque causſa appellamur. Deum igitur vereamur, Deo laboremus & negotiemur.

Beneficiũ maximum est habitaculum Dei fieri.

Maximum autem beneficium est, & habitaculum Dei fieri, in quo ipse Deus gratia & omnigenis suis donis resideat. Nemo autem fit eiusmodi templum Dei, nisi pars & magni templi sit, de quo Apostolus hic & postea 4. cap. loquitur, in quo breuiter hæc cernuntur.

Ecclesia fundamentum imũ, angelus, apex & supremũ caput, Christus.

Fundamentum imum, angulus siue nexus circunquaque vniuersi ædificij, item apex & supremum caput, solus dominus noster Christus.

Architecti.

Architecti: Summus dici potest Spiritus sanctus, quẽ Ecclesia solùm pro magistro summo habet. Nec diuersum est, quod Christus se magistrum solùm vocat. Medici ac ἐνεργοὶ sunt Prophetæ, Apostoli, Pastores, & ministri omnes, quorum opera spiritus sanctus vtitur.

Materia ex qua.

Materia ex qua ædificium fit, sunt lapides seu credentes omnes, qui de petra Petri fiunt, solidíq; soli manent, cæteri vt in limo hærent, & arenæ innituntur, sic & ipsi nihil sunt quàm limus, quàm arena, puluis, pluma.

Materia per quam.

Materia per quam ædificium fit, est verbum quod ab aliis rectius atque purius, à nonnullis pejus & impurius adhibetur. Item sacramenta, quæ iam melius, iam corruptius applicantur. Quoad probè vsurpantur, faciunt ad structuram: quoad secus, igni tandem quasi tempestate diruuntur. 1. Corinth 3.

Opera.

Opera quæ insumitur in secando siue poliendo, est prædicatio pœnitentiæ, qua ad basin siue Christum homines adducuntur. Opera verò quæ insumitur in collocando siue extruendo, est prædicatio reconciliationis, qua vt perdita ouis humeris, ita ipsi basi suæ Christo imponuntur.

Forma.

Forma collocationis, si spectemus basin, est cuiusque fides qua incumbit Christo. Surgens ædificium est conformitas nostræ fidei, qua cum omnibus sanctis qui nos præcesserunt, maximè verò cum prophetis & apostolis (qui non operarij tantùm, sed & pars sunt ædificij) consentimus. Propriissimus noster situs, est cuiusque singularis labor & vocatio, qua pro fidei ac donationis Dei modo stationem suam seruat atque obit. Forma symmetriæ, hoc est, commensurationis, partim est & æquatio

Situs.

quatio & consensio fidei & amoris, partim splendor inde proficiscens innocentiæ seu bonorum operum.

Finis.

Finis quo ad exædificationem nullus erit ante extremum diem. Semper enim surgit ædificium quoad prorsus absoluatur: quo momento simul aderunt & extremus dies, & æterna gloria. Finis verò quo ad vsum, est inhabitatio Dei, qui in tali templo residere, & complere donis vniuersam suam domum ceu in festiuissima Pentecoste cupit. Contra illud ædificium frustra parant suam turrim Babyloniam, frustra struunt aduersarij. Portæ inferi non præualebunt aduersus illud, Matth. 16.

Turris Babylonia frustra parantur contra Dei templum.

DOCTRINA.

Contemplemur igitur etiam nos in eo speculo, veterémque sortem cum donata conferamus, vt illius deploratione in huius prædicationẽ accẽdamur. & hîc vt ciues sanctorum, domestici & templum Dei credamus & viuamus, quoad plenè in altera vita honores consequamur.

EPILOGVS.

1 *Apostolus proponit bona per Christũ (ipsissimum fundamentum apostolorũ ac prophetarum) nobis Gentibus communicata & parta: qua nempe sunt, quòd nos qui olim eramus hospites & aduenæ, hoc est, à gratia ac salute alieni excluſiq;, iam sumus conciues sanctorũ & domestici Dei per Christum facti, hoc est, vocati, reconciliati & saluati.*

2 *Lapis angularis & fundamentũ primariũ Christus, qui nos superstruxit super fundamẽtũ apostolorũ ac prophetarũ, hoc est super semetipsum, à prophetis prædictũ & apostolis prædicatum: quo omnes sancti, vnicè nitũtur, & in quo omnium spes recũbit. Is, inquã, superstruxit nos super semetipsũ, hoc est, infirmitates, iniquitatésq; nostras portauit & dependit suorũmq; meritorũ nos per fidẽ ac sacramenta fecit participes, Isa. 53. 1. Pet. 2. Tit. 3. Est igitur, vnde gratias ei agamus perpetes, est quoq; vnde ex animo exultemus & lætemur semper.*

3 *Finis in quem tantis bonis nos Christus cumulauit, est, vt tanquam lapides viui illi superstructi, succrescamus in ædificium spirituale, hoc est, in templum sanctum domini. Summus igitur & nos in finem hunc Christo superstructi, & per inhabitantem in nobis spiritum sanctũ, templum ac domicilium Dei simus, hoc est, corpora & corda nostra ipsi sanctificemus, ipsumq; in nobis per fidẽ & charitatẽ habeamus habitantẽ.*

IN

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epistola altera.

Prouer.10. & Ecclesiastici 44.

Benedictio domini super caput iusti, &c. Finis Epistolæ: Et induit eum dominus coronam gloriæ.

IN præsenti Epistola tria occurrunt diligenter obseruanda. Primò ostendit Sapiens cuique nostrum benedictionẽ esse necessariam ad salutem, cùm dicit, *Benedictio Domini super caput iusti.* Hæc domini benedictio quosdam ditat bonis temporalibus, quosdam verò spiritualibus. Siquidem benedictio domini diuites facit. ditauit enim bonis temporalibus Laban apud quem Iacob seruiuit 14. annos. dicebat enim illi Iacob, Antequàm venirem ad te, parum habuisti, & ecce diues effectus es, benedixítque tibi Deus ad introitum meum, Genes. 31. Et hęc est benedictio à sinistris: in sinistra enim illius diuitiæ & gloria. Sed quid profuit nobis superbia, inquiunt, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia sicut vmbra, Sap. 5. Piscantes ad hanc sinistram, casso labore spe sua persæpe frustrantur, Ioan. 21. vnde & ardenti diuiti in inferno dicitur: Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, &c. Luc. 16. Benedictio tamen ista plerunque cedit his quos mundus vbique cæteris præfert ad dextram. Sed quia futurum est, (nimirum sic disponente Deo) quòd primi nouissimi, & nouissimi primi erunt, cancellatis quodammodo manibus, minori Deus dextra, maiori verò sinistra benedicit. Aperit quippe manum suam, & implet omne animal benedictione, Psal. 144. Diligit enim omnia, & nihil odit eorum quæ ipse fecit, Sap. 11. ideóque & iumẽtis dat escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Pascit & potat ingratos, & pluit super iustos & iniustos, Matth. 5. Istis ergo à sinistris benedicit, quemadmodũ & patriarcham Iacob feciſſe legimus. Is enim interpellatus à Ioseph filio suo, vt suis filiis Manasse, videlicet, maiori à dextris constituto, & Ephraïm minori à sinistris, priusquam ipse moreretur benediceret: cancellatis brachiis maiori filio sinistra, minori autem dextera benedixit, Gen. 49.

Benedictio à sinistra.

Quosdam

Quosdam verò Dei benedictio, bonis ditat spiritualibus. Sunt enim, vt ait Sap. Eccles. 44. homines diuites in virtute, quos pretiosis Deus diuitiis locupletat, vt requiescat super eos (vt Isaias ait cap. 11.) spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleat eos spiritus timoris domini. Et hæc est benedictio à dextris Dei, apud quam longitudo dierum consistit, Prouerb. 3.

Benedictio Domini à dextra.

Siquidem hæc dona pretiosæ & veræ diuitiæ sunt. Opes autem huius seculi diuitiæ non sunt, quæ nostræ mentis inopiam non depellunt. Nec nostræ sunt quæ nobiscum remanere non possunt. Ergo verę diuitię non sunt opes, sed virtutes. Huiusceemodi benedictionem, nequaquam Testamenti veteris legislator Moses dare potuit, sed summo duntaxat legislatori Christo, id muneris seruabatur. Quod Propheta præuidens ait Psal. 83. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Hæc est benedictio Ephraïm minoris, videlicet, & ad sinistrã collocati, cui tamen per manuum cancellationem benedictio potior à dextra cessit: humilibus enim dat gratiam qui superbis resistit, 1. Petr. 5. Et mysteria sua quæ à sapientibus & prudentibus abscondit, paruulis reuelat cælestis Pater, Matth. 11.

2 Secundò ostendit sapiens Sirachus quòd hæc benedictio duo confert, hæreditatem, scilicet, & gratiam. Vnde consequenter de primo subdit: *Ideò dedit illi dominus hæreditatem, & diuisit ei partem in tribubus duodecim.* Si hæc ad beatum Apostolum N. referas, vtique palàm est Dei benedictionem abundè collatam ei fuisse, per quam & cælestem hæreditatem, & in sacro electorum Apostolorum numero duodenario consecutus est partem & Apostolicam dignitatem. Cui etiam non mediocrem mundi partem in sortem prędicationis Deus ipse diuisit, hoc pulchrè deducente Apostolo. Roman. 10. ex Psalm. 18.

Verùm si id quod dictum est, de quouis iusto accipias, tunc aduertendum est, quemadmodum per diuinam benedictionem, hæreditatem & gratiam ipse consequatur. Vnde notandum est, quòd sicut hæreditatis

conse

Hereditatis cõsequutionẽ quid præcedat.

consecutionem præcedit benedictio, ita etiam benedictionem præcedit palpatio: vt per eam innotescat num filius sit, & dignus benedictione & hæreditate, necne. Isaac patriarcha filium suum benedictione consecraturus: accede, inquit, huc primùm vt tangam te fili mi, & probem vtrùm tu sis filius meus Esau, an non, Genes. 27. Tactus iste per aduersitatum & tribulationum immissionem correctionis paternæ censura est. Corripies me, inquit Ezechias, & viuificabis me. in talibus enim vita spiritus mei. Isa. 38. Et Iob 5. Increpationem domini ne reprobes, quia ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt. Hinc etiam per Salomonem dicitur Prouerb. 3. Disciplinam domini ne abiicias fili mi, nec deficias cùm ab eo corriperis. Quem enim diligit dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Quam sententiam sequutus Apostolus Hebr. 12. scribens ait, Fili mi noli negligere disciplinam domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate, tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem nõ corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, adulteri & non filij estis. Quisquis ergo exceptus est à participatione flagellorum, exceptus est etiam à numero filiorum. Quisquis etiam huius patris attrectationem seu palpationem hanc sustinere rebellione superba recusat, nec agnoscetur pro filio, nec cælestem vllatenus consequetur hæreditatem, Salomone hoc attestante cùm ait Prouerb. 1. Eo quòd exosam habuerunt disciplinam, & timorem domini non susceperunt, inuocabunt dominum, & non exaudiet eos, mane consurgent, & non inuenient eum. Quibus etiam per Ezechielem cap. 16. à domino dicitur: Recessit zelus meus à te, iam non irascar tibi.

Tribulatio vtilis.

Quòd autem per hanc benedictionem, non modò æterni Patris hæreditatem, sed etiã apud omnes vbique gratiam consequamur ostendit consequenter dicens: *Et inuenit gratiã in conspectu omnis carnis.* Quod duobus modis potest exponi. Primò sic, Dei munere gratus acceptúsq; extitit vniuersis, iuxta ꝙ per Salomonẽ dicitur Prou 16.

Cùm

Cùm placuerint vię hominis Deo, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Deinde hoc modo potest exponi: *Inuenit gratiam in conspectu omnis carnis*, id est, palam est omni carni, quòd inuenit gratiã apud Deum, iuxta quod ex persona damnatorum de iustis loquentium scriptum est Sap. 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

Porrò non solùm diuinæ benedictionis effectus est hæreditatis adeptio & gratiæ consecutio, sed insuper, etiam magnificatio & glorificatio, de quo subditur. *Magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit eum in conspectu regum, & ostendit illi gloriam suam, Ecclesiastici* 45. Profectò magnus est cui succumbunt inimici, præsertim inuisibiles, & nihilominus visibiles, scilicet, homines maligni. Tam enim dæmones ipsi, quàm mali homines, iustorum timent & verentur sanctitatem. Porrò monstra quæ verbis suis iusti placant seu perdomant, vel ipsas brutales carnis concupiscentias accipere possumus, vel alia quæcunque indomiti vitia animi, quæ sancti rationis imperio frænant subiiciũntque: vel certè prauos homines & impios, quos sancti doctrina & animi mansuetudine, plerunque perdomitos ad rectos mores perducunt.

Magnus in veritate quis sit.

Deniq; diuinæ benedictionis effectus est glorificatio, *Glorificauit eum in conspectu regum.* Nimirum reges sunt, qui acceperunt regnum decoris, & diadema speciei de manu domini: sed & regum nomine non immeritò censentur, qui carnis appetitui, & inferioribus animæ viribus, rationis imperio principantur, quibus dicitur, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. In horum ergo conspectu regum, iustos suos Deus glorificat, cùm illos similes facit in gloria sanctorum: laus enim erit vnicuique à Deo. 1. Cor. 4. laus vtique à laudatore magno, vnde & ambienda vehementer.

Reges moraliter qui sint.

Possumus etiam regum nomine huius seculi mortales principes intelligere, coram quibus sanctos suos plerunque Deus vsqueadeo glorificat, vt vestigia pedum ipsorum osculari se exultent, & sacras eorum reliquias vel magnificis extructis templis, vel margaritis aut auro argentóque contendant honorare. Qui etiam sanctorum

Sancti regibus seculi sunt materes.

gloriam

gloriam longè suis præferre sceptris & sedibus non dubitant. Et verè glorioſi & à Deo glorificati ſunt, quorum longè latéque, cum illuſtri laude clara notitia eſt. Venerandum quippe ſeculo nomen & meritis & morte pretioſa ſibi comparauerunt. Proinde quis non glorioſos confiteatur eos qui vident Deum, & quibus oſtendit gloriam ſuam? Ex quorum perſona Apoſt. ait. 2. Corinth. 3. Nos autem reuelata facie gloriam domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à domini ſpiritu. Nam cum videbimus eum ſicuti eſt, inquit B. Ioannes 1. cano. 3. cap. Scimus quia ſimiles ei erimus. Nec mirum, cùm iam nunc beati ſic Deo ſint inhabitante pleni, & ita in Dei ſimilitudinem transformati, vt à ſe defeciſſe & in eum, quo ineffabiliter fruuntur tranſiſſe putentur, quemadmodum ferrum totaliter ignitum in naturam ignis, & aquæ gutta mero infuſa in illius ſpeciem & naturam tranſiſſe omnino videntur, & à ſeſe ac ſua ſpecie deciſſe.

3 Tertiò hîc notanda occurrit conueniens ad ſalutem in homine diſpoſitio, cùm dicitur: *In fide et lenitate ipſius ſanctum fecit illum, &c.* Non enim ſufficit homini ad ſalutem diuina præuentio, quòd videlicet Deus hominem iuſtificandum præuenit in benedictionibus dulcedinis, niſi etiam & ipſe cooperetur. Vnde per Salomonem dicitur, Prouerb. 17. Hominis eſt animum præparare, & domini gubernare linguam. Et poſt pauca: Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed domini eſt dirigere greſſus eius. Debet autem homo à Deo ſanctificandus animum præparare per hoc præſertim, quòd Deo perfectè ſubiicitur, tam quo ad intellectum, quàm quo ad affectum. quòd vtique per hæc duo fit, quæ ſunt fides & lenitas. Fides enim Deo ſubiicit intellectum, lenitas autem voluntatem ſeu affectum. Accipitur autem hoc loco lenitas pro manſuetudine, ſeu animi tractabilitate. Hinc enim per ſapientem dictum eſt, Eccleſiaſtici 11. Beneplacitum eſt Deo fides & manſuetudo. Siquidem per hæc duo animum ſuum homo præparat, ac ſeſe torum ſubiectum reddit Deo, vt in ipſo ſecundum arbitrium ſuæ bonitatis operetur. Contrà verò & ſine fide

Per duo diſponitur homo ad ſalutem.

fide impoſsibile eſt placere Deo, & his, qui manſueſcere recuſantes obdurauere corda: Deus in ira ſua iurauit, quòd non intrabunt in requiem ſuam, Hebr. 11. Pſal. 94. Exẽplo eſt tam angelorum ruina quàm prothoplaſtorum. Qui quoniam per obedientiam manſueſcere & ſe Deo ſubiicere noluerunt, in perditionem delapſi ſunt. Hinc etiam in Euãgelio veritas loquitur, d. Math. 7. Nom omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, &c. Quod etiam ratione aſtruitur. Cùm enim æterna beatitudo maius bonum ſit eo, quod vel ſenſu corporeo cognoſci, vel humana poſsit ratione comprehendi (dicente Apoſtolo 1. Corinth. 2. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod prẽparauit Deus his qui diligunt illum) idcirco niſi ſe homo ſubiiciat quo ad intellectum credendo aſſertioni diuinæ de his rebus, quæ non valet intellectu comprehendere, ad bonum illud pertingere non meretur. fides enim eſt de his quæ rationem humanam excedunt. Vnde cùm interrogaretur à diſcipulis ſuis Dominus quis poſſet ſaluus fieri, reſpondit, Apud homines impoſsibile eſt, omnia autem poſsibilia ſunt Deo, Matth. 19. Et alio loco cuidam ait: Si credis, omnia poſsibilia ſunt credenti, Marc. 9

Conſequenter ponit ſapiens profectum virtuoſum hominis ſancti & ſaluandi per Dei gratiam, cùm ſubdit: *Et elegit eum ex omni carne.* Illa videlicet carne, de qua ipſe ait, Gen. 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternũ, quia caro eſt. Ideò elegit eum ex omni carne, ne periret ipſe cum omni carne. Omnis quippe caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni, Iſa. 40. Fœnum autem hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Mat. 6. Hoc eſt, in gehennæ incendium. Hoc eſt fœnum tectorum in alto vanitatis naſcens, in arido figẽs radices, quod priuſquam per mortem euellatur, per defectum gratiæ cæleſtis exaruit, Pſal.

Ex omni carne à Deo eligi.

Elegit etiam eum ex omni carne, id eſt, ex contagioſa carnalium hominum ſocietate, ne & ipſe ſimul vnà cum ipſis periret, ſicut & ad Loth in Sodomis habitantem ab angelis dictum eſt, Egredere, ne & tu pereas

in scelere ciuitatis huius Gen.19. Ab omni denique rẽrum mũdanarum & carnalium voluptatum amore peruerso, Deus iustum & sanctum suum exemit & elegit: quemadmodum egregij fructus planta in deserto nata eligitur, atque horto concluso planratur. Ita elegi, inquit, vos, & posui vos vt eatis & fructũ afferatis, & fructus vester maneat, Ioann.15. Nisi enim ab inconcessa carnis voluptate segregentur, sancti spiritus habitaculum effici nequaquam possunt. Scriptum quippe est, Sap.1. In maleuolam animam non introibit spiritus sapientiæ, nec habitabit in corpore subdito peccatis: Sequitur:

Et dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ & disciplinæ

Augustinus. Dedit illi cor, hoc est, inclinationẽ ad ea quę bona & recta sunt, donũ hoc à deo petiit, qui ait. Inclina cor meũ deus in testimonia tua, Psal. Et alius quidam vir sanctus precatus est dicens, da domine quod iubes, & iube quod vis. Et dominus ipse per prophetam Ezechiel.26. Auferam, inquit, cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneũ, & faciam vt in præceptis meis ambuletis & operemini. Siquidem cor regis in manu domini, quocunque voluerit inclinabit illud, Prouer.21. Lex autem vitæ, doctrina Christi est, sicut ipse ait, Ioann.6. Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. Et rursum, Ioann.5. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij dei, & qui audierint viuent. Vnde quoque Petrus ad Christum loquens ait: Domine verba vitæ æternæ habes, & quò ibimus? Ioan.6. Et rursus per sapientem, Prouerb.13. dicitur: Lex domini fons vitę, vt declinet à ruina mortis.

Lex Vitæ quæ sit.

Porrò quoniam plerique pigrorum animalium more stimulis & virgis agi quodammodo debent, idcirco ad legem vitæ, etiam lex disciplinæ superadditur. Quibusdam enim sola vexatio dat intellectum, erudiet illum, inquit, in iudicio, deus suus docebit illum, Isa.28. Vnde etiam per Ieremiam dominus loquitur cap.6. dicẽs, erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te desertam. Et iterũ, Per omne flagellum, inquit, erudieris. Et rursus ca.31. de his qui nec per disciplinam resipiscunt ait, verterunt ad me terga, & nõ facies

Lex disciplinæ.

facies suas cùm docerem eos & erudirem diluculo, & nollent audire vt acciperent disciplinam. Sed quid eis cõminetur sermo diuinus aduerte. Ait enim Leuit.26. Quòd si nolueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contrà aduersus vos incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra, inducámque super vos gladium vltorem fœderis mei. Itaque prout. s. suadet apostolus, in disciplina perseuerate, tanquam filiis vobis offert se deus, Hebr.12. Omnis enim disciplina & si in presenti quidem videatur nõ esse gaudij, sed mœroris: Postea tamen fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Igitur nõ irę dei, sed misericordiæ est indicium, aberrantes à recto, disciplinæ flagello in viam dei reuocare. Vnde & confitentes iustos dixisse legimus. 2. Machab.7. Non finere peccatoribus ex sentẽtia agere, sed statim iustã vltionẽ adhibere, magni diuini beneficij indiciũ hoc esse.

Proinde quia magnus est cui deus dat cor ad præcepta, & quem per legem vitæ & disciplinæ gubernat, rectè subiũgitur: *Et excelsum fecit illum*, Hinc enim ait vir secundum cor dei, quem disciplina domini correxit in finem. Perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me. Et rursus per Isaiam dicitur cap.33. Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem: qui proicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas ne audiat sanguinẽ, & claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitauit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, regem in decore videbit, oculi eius cernent terram de longe, &c. Sequitur, *Statuit illi testamentum æternum*, Hoc est testamentũ pacis quod morte sua nobis dominus confirmauit; pacem meam, inquiens, do vobis, Ioann.14. Et alibi ait: Testamentum meum fidele ipsi. Testamentum hoc disposuit electis suis. Longè tamen est testamentum hoc à quibusdam: Sed is cuius cor & voluntas recta est cum domino vt ambulet in lege eius, veram habet pacem, non modò cum domino deo, sed etiam cum proximo, & cũ semetipso, iuxta quod ait propheta, Pax multa diligentibus legem tuam. Sequitur.

Magnus est qui fit legi Vitæ & disciplinæ acquiescit.

Testamentum pacis.

Et circuncinxit eum zona iustitiæ. Iustitia nõ incõgruè zona appellatur. Nã, sicut se zona prẽcingit, vel qui vult operari, vel qui ambulare, vel qui pugnare debet, ita nimirum iustitiæ virtus necessaria est meritoriè operanti, spiritualiter proficienti, & quasi ad repromissam viuentium terram proficiscenti, & contra hostem antiquum, & cunctas huius mundi & carnis illecebras viriliter decertanti. Iustitia indutus sum, inquit vir sanctus, & vestiui me ficut vestimento. Iob 29. Porrò de homine iniusto & iniquo quid sermo diuinus pronuntiet animaduerte. *Induit*, inquit, *maledictionẽ sicut vestimentũ, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.* Psal. Fiat ei sicut vestimẽtum, quo operitur, & sicut zona qua semper prẽcingitur. *Sequitur: Et induit eum Dominus coronam gloriæ.* De hac corona per Isaiam, 29. dicitur, Erit dominus exercituũ corona gloriẽ, & sertum exultationis residuo populi sui. Et rursum in persona redemptoris nostri de seipso loquentis idem propheta ait: Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me, Ad annuntiandum mansuetis misit me, &c. Currũt amatores huius seculi & certant vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem, inquit Apostolus, incorruptam. 1. Corinth. 9. De hoc B. Petrus ait. 1. cap. 5. Cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilẽ gloriæ coronam. Sed ad hanc coronam non nisi per labores, tẽtationes, & certamina peruenitur, sicut B. Iacobus ait cap. 1. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniã cùm probatus fuerit, accipiet coronã vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, & perseuerantibus in dilectione vsque ad mortem, iuxta quod vnumquemque dominus admonet, dicens Apo. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Si regni alicuius terreni & corruptibilis corona proponeretur labore & humana industria promerenda, quanti se certatim ingererent, huius coronæ lucrifaciendæ gratia nullum laborem non subeuntes, nulla pericula formidantes. Rursus si mille aut eò amplius annorum vitã mortalibus in hoc mundo quantumuis magnis laboribus obtinenda proponeretur, quàm multi hanc desiderarent, quantóque pretio non segniter eandem si fieri posset emerent, quam tamen variis aduersitatum casibus plenam, & innumeris respersam amaritudinibus, tediis, & ærumnis esse constat. Quantò igitur maiori studio ad illam coronam, & regnum illud sine fine beatum, cunctis est credentibus properandum? Non sunt enim condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, Rom. 8.

Ad tria præcinctũ esse oportet.

Corona vitæ qualiter obtinetur.

Similia.

EPILOGVS.

1 *Laus virorum sanctorum depingitur, quæ Deus gratuitis eos præuenit benedictionibus, nec non bonis ditat spiritualibus, iuxta illud Prouerb. 10. Benedictio domini diuites facit.*

2 *Benedictionis diuinæ effectus est non solùm hæreditatis adeptio & cõsequutio gratiæ, sed insuper etiam magnificatio & glorificatio, Rom. 8.*

3 *Quicquid nos quum ad virtutis perseuerantiam tum perennis gloriæ securam fœlicitatẽ promouet, potissimùm Dei gratiæ attribuendum est. Nam gratiam & gloriam dabit dominus, ait Psal.*

IN IISDEM FERIIS SANCTORVM
Euangelium.

In illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis. Ego sum vitis vera, &c. Finis Euangelij: Et gaudium vestrum impleatur. Ioan. 15.

IN hoc Euangelio depingit Christus Ecclesiam: & ostendit tria: Primò, quis sit vinitor, siue agricola, nempe, Deus pater. Sicut enim agricola de agris suis solicitus est, & vinitor vineam suam semper habet in memoria, siue dormiat, siue vigilet, quanquam aliquando extrinsecus videatur (præsertim in hyeme) planè nullam curã vineæ habere, non tamen eius obliuiscitur: sic pater cælestis etsi aliquando dissimulet se vineam suã respicere hoc est electos. nũquam tamẽ ipsos relinquit, aut eorum obliuiscitur, nunquam non pro ipsis solicitus est, atque adeò tunc maximè curat, quum minimè videtur curare. Hinc in Isaia 54. dicit, Ad punctum in modico reliqui te, & in miserationibus magnis colligam te. Sẽper enim respicit & curat vehemẽter suos. Non tantùm eos creat, *Deus.*

Agricolæ siue vinitor Deus pater.

Semper respicit & curat vehemẽter suos

verùm etiam pascit, nutrit, gubernat, atque ad ætatem adultam deducit. Testatur hoc iterum scriptura. nam quotidie orantes dicimus diuina institutione formati, Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, &c. In qua oratione fatemur edocti à fratre nostro Christo, Deum patrem nostri curam gerere, eúmque esse, qui omnia quæ ad victum & amictum, quæ ad corpus & animam pertinẽt, nobis conferat. Hos etiam docet illud Isaiæ 49. Nunquid obliuiscì potest mater infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen nõ obliuiscar tui, &c. Ecce in manibus meis descripsi te, &c.

Vitis Christus.

Deinde ostendit quæ sit vitis, nempe, Christus. Sicut enim vitis etsi in hieme sola & sine palmitibus videatur, tamen æstate superueniente in plures palmites erũpit, sic Christus etsi tempore peregrinationis suæ pauci in eum crederent, & in passionis hyeme solus & ab omnibus relictus videretur, transacta tamen hyeme, & appropinquante æstate resurrectionis, statim priores eius palmites refloruerunt, & alij accreuerunt, adeò vt tempore ascensionis iam essent centum viginti palmites, Act. 1. In ipso autem die Pentecostes accrescerent tria millia, Act. 2. Denique adeò copiosè hæc vitis in palmites erupit, vt breui totam terram occuparit. Nam vnus Paulus palmites eius extendit vsque ad Illiricum. Rom. 15. Deinde sicut vitis succum suum in palmites transfundit, & frugiferos facit, omnémque suam naturam & nobilitatem in palmites emittit: sic Christus de suis bonis transfundit in eos qui sacramenta suscipiunt, & in charitate perseuerant. Omnia quæ habet, fidelibus communicat, succum gratiæ, vinum illud verè lętificans cor hominis, spiritum scilicet sanctum: communicat illis nomen suum, hæreditatem suam, denique quantum fieri potest, etiam naturam suam, vt & nos dicamur & simus filij Dei, si non natura, certè adoptione. Testatur hoc scriptura. Nam Ioann. 1. dicitur quòd nos omnes de plenitudine eius acceperimus gratiam pro gratia. Et Paulus Ephes. 4. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, Rom. 12. 1. Corinth. 12. 2. Cor. 10. Hebr. 13. Participes enim Christi effecti

Omnia quæ habet Christus suis communicat. Psal. 103.

fecti sumus. Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturę. *2. Pet. 1.*

Præterea ostẽdit qui sint palmites, nẽpe, omnes Christi fideles. Sicut enim palmites à vite resecti arescunt, & collecti in ignem mittuntur: sic Christiani à Christo deficientes, nisi resipiscant, gehennæ traduntur. Testatur hoc scriptura. Nam Mat. 3. dicitur: Omnis arbor quæ nõ facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Palmites omnes christi fideles.*

Similitudo hæc rustica quid nos doceat.

Docet autẽ hæc rustica similitudo, quòd Pater in creatione nos fecit, in regeneratiõe sanctificauit, & virtutibus atq; studiis quotidianis excolẽdo facit in horas meliores. Non enim cessat: nisi nos cessemus, sua virtute interna, & suo sancto verbo externo, extirpare mala semina ex veteri Adam nobis relicta, charitate corda purificare, virtutum semina in nostris cordibus seminare, quotidiana gratia ipsa, vt ad luculentam frugem perueniant irrigare: non cessat expectare fructus bonos. Vtinam nõ dicat de nobis illud Isa. 5. Quid vltrà facere debui vineæ meæ, & non feci? Expectaui vt faceret vuas, &c. Item Iere. 2. Quomodo conuersa, &c.

Christus natus, circũcisus, passus, & mortuus, & quid meriti gratiæ, & dignitatis hæc nobis confert.

Docet item quòd Christus non sibi natus, nec circunciſus, non sibi passus, nec mortuus, nec sibi legem obseruauit: sed quicquid meriti, gratiæ & dignitatis habuit, hoc nobis pro nostra capacitate communicat, non in imputatione, sed interna spiritus communicatione.

Christiani quandiu manent in Christo sunt fœcundi, & palmites fructiferi.

1 Docet tertiò quòd Christiani quandiu manent in Christo sunt fœcundi, operáque pietatis digna gratia vitáque æterna fructificant.

Christiani quandiu manent in Christo sũt fœcundi.

2 Secũdò ostẽdit quid vinitor sit facturus palmitibus. infrugiferis, hoc est, ferẽtib⁹ fructũ: nẽpe, purgabit eos, vt copiosiorẽ fructũ ferant. Habẽti dabitur, inquit Mat. 25. Sic Noë quũ diluuij calamitatẽ videt (Gen. 7.) Ioseph quũ in carcerẽ adducitur (ibidem 39.) Dauid quum in exiliũ à filio pellitur. (2. Reg. 15.) Ezechias quũ Ierusalẽ obsidetur (4. Reg. 19.) Daniel quum in lacum leonum mittitur. (Dan. 6.) Paulus quum passim ab omnibus oppugnatur (2. Cor. 1. 11.) & Ignatius quũ leonibus ac bestiis obiicitur: purgantur. Tunc enim purgamur, quum aduersus Deum in tribulationibus non fremimus, non indignamur. sed retinemus fidem, charitatem, ac susten-

Palmites fructiferos vinitor purgat.

Quando purgamur.

tamur spiritu sancto,ne opprimamur dolore aut desperatione,sed cum tribus illis pueris Hebræis dicimus in medio ignis tribulationis, Benedictus es domine Deus patrum nostrorum,& laudabile & glorioſum nomen tuum in ſecula:quia iuſtus es in omnibus quæ feciſti nobis,& vniuerſa opera tua vera,&c. Peccauimus enim & iniquè egimus,&c. Danie.3.

Fidelesomnes opus habent quotidiana purgatione. Pſal.118.

Purgat igitur pater pios homines à reliquiis peccatorum. Nemo enim etiam ſi ſanctus ſit,immunis eſt à peccato quandiu viuit in hoc mundo. Opus igitur habent quotidiana purgatione. Hinc & Dauid ait,Pſal.50. Cor mundum crea in me Deus. Et iterum,Inclina cor meum in teſtimonia tua,& non in auaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Deinde purgat eos,hoc eſt, humiliat & deprimit. Sicut enim palmes ſi nõ putetur, in nimiam altitudinem creſcit,ac per hoc omnem ſuccum in ramos & folia inſumit,ſic quod fructum inferre nõ poteſt:ita caro ſi pro ſua libidine,etiã in ſanctiſsimis ferretur:Deus,ſi fieri poſſet,contumacia carnis è diuino maieſtatis ſuæ ſolio deturbaretur. Audi enim in quantã altitudinem & ſuperbiã excreuerit rex Babel,Iſaiæ 14. Aſcendam,inquit in cælum,& ero ſimilis altiſsimo. Itẽ: Quis eſt Deus in cælo,qui vos eruat de manu mea? Daniel.3. Non diſsimilia loquitur rex Tyri:Deus,inquit, ego ſum,& in cathedra Dei ſedeo,&c. Vſque adeò turgeſcit caro beneficiis ſaginata,& interim nõ putata aduerſitatibus & cruce. Sic piis hominibus nonnunquam ex virtutibus & donis creſcit ſuperbia. Natura enim noſtra ſemper alta expetit. Atqui ſuperbia omnia opera noſtra & fructus noſtros vitiat. Nihil enim gratum eſt niſi quod ex humili corde procedit,vt patet in Luca,18. Itaque pater agricola credentem purgat & humiliat. Primò,interdum id de quo gloriabatur homo, amputat & aufert,hoc eſt,dona ſua:& hominem cadere permittit. Sic Petrum cadere permiſit,vt non gloriaretur de viribus ſuis,Matthæi 26. Alioqui ſi Petrus non cecidiſſet, quantum tribuiſſet ſuæ fortitudini,qui ante caſum tanta præſumebat? Etiam,inquit,ſi omnes ſcandalizati fuerint in te,ego nunquam ſcandalizabor. Hic igitur opus habebat putatione,ne altius creſceret. Deinde etiam aduerſis

Natura humana ſemper alta expetit, Superbia omnes fructus bonos vitiat.

Petrus opus habuit putatione.

uerſis & cruce ſuos purgat,& humiliat Deus,ne nimium inſoleſcant. Hęc igitur eſt ſpiritualis illa circũciſio,quam toties commemorat Paulus, quæ non conſiſtit in litera, ſed ſpiritu: quæ non ſemel tantùm fit, ſed per totam vitam. Et hæc quidem purgatio vel putatio citra dolorem non fit. Omnis enim diſciplina(dicit Apoſtolus Heb.12.) in præſenti nõ videtur eſſe gaudij,ſed mœroris:(quemadmodum in Iſaia 4.cap.dicitur, Purgabit dominus ſordes filiorum Iſraël in ſpiritu iudicij,& ſpiritu ardoris.) poſtea autem fructus pacatiſsimos adfert exercitatis per eam. Hinc & Dauid Pſalm.118. Bonum mihi,inquit,quòd humiliaſti me Et iterum Pſal.93. Beatus quem tu corripueris domine,&c. vt mitiges ei à diebus malis, quibus ſcilicet impij perdendi ſunt. Ideò ſubditur.

Putatio ſeu purgatio fructus pacatiſsimos adfert

Deus nõ affligit nos vt perdat, ſed vt ſanet.

Vt fructum plus afferat. Vbi manifeſtè vides quòd dominus non affligit vt perdat, ſed vt ſanet, quemadmodum agricola putat palmites, non vt totum abſcindat, ſed vt purget, ad copioſiorem fructum ferendum. Hinc Ieremias orat trigeſimo cap. Caſtiga me domine in iudicio: tamen non in furore. Et Sapiens Prouer. 3. Noli negligere diſciplinam domini. Quem enim diligit corripit, &c. Hoc idem ad longum docet Paulus Heb 12. Duplicem igitur ex hoc verbo poſſumus habere conſolationem,imò triplicem in aduerſis. Primò,quòd Chriſtus afflictiones nominat purgationem. per eas enim expurgantur reliquiæ peccati. Secundò,quod dicit afflictiones ideò immitti, vt plus fructificemus. Tertiò, quòd dicit omnem palmitem ſic purgari. Non enim ſolus es qui afligeris: idem contigit omnibus ſanctis: id quod Paulus diffuſè probat ad Heb.11. & 12.cap.

Triplex cõſolatio pro fidelibus.

2 Oſtendit quid vinitor ſit facturus palmitibus infrugiferis,hoc eſt,non ferentibus fructum: nempe,abiiciet eos,ne natiuum ſuccum aliis intercipiant. Sic Cain, Iſmaël,Eſau,Saul,Achaz, Herodes,Iudas,hæretici,quum in malitia ſua pergunt peruerſè viuentes,dum ſectas confingunt, falſam doctrinam docent, vt Lutherani, Caluiniſtæ,Anabaptiſtę,&c. abiiciuntur. Tũc enim abiicimur, quum aduerſus Deum in tribulationibus fremimus & indignamur,oppugnamus virtutes,ſtudia ſancta,blaſphemiis proſequimur Eccleſiam, ſacramenta, opera pia, &

Vinitor quid factu rus ſit palmitibus infrugiferis.

Argumentum euidēs abiectionis & desertionis diuinæ.

omnem creaturam diris vouemus. Hoc euidens est argumentum quòd à Deo simus abiecti & deserti: sed ipse neminem deserit, nisi desertus 2. Para. 12. Obseruandum ex terribili hac sententia maximè hoc est, quòd patrem dicit non tantū vepres excisurum, sed etiā quosdam palmites; hoc est, non tantùm ethnicos eiecturū, qui iam igni adiudicati sunt, quia non credūt, Ioan. 3. Itémq; manifestè malos, sed etiā otiosos. Huc pertinet ficus illa sterilis à domino maledicta, Matth. 21. Itémque parabola de alia ficu quam paterfamilias omni anno visitās, &c. semper infructuosam inueniens, tandem excindi iussit, Luc. 11. hinc & Paulus Heb. 6. Terra quæ sæpe imbrem suscipit, & tamen spinas germinat, maledictioni proxima est. Deinde terrorem auget quòd dicit omnem palmitem infrugiferum excindendum. Nullus enim latêre poterit, nec oculos huius agricolæ fallere. Existimasti, inquit, inique, quòd ero tui similis, &c. Arguam te, & statuam, &c. Psal. 49. Item Sopho. 1. Scrutabor Ierusalē in laternis. Maximè autem terret quod dicit, Tollet eum, hoc est, à Christo seiunget, vt nihil cōmune cum ipso habeat. quo quid grauius comminari potuisset? Hoc verbo suprà Petrum mirum in modum terruit, vt exclamaret, Domine non tantùm pedes, sed & manus & caput, Ioan. 13. Audierat enim à Christo, Si non lauero te, non habebis partem mecum. Deinde tollet, hoc est, auferet ei humorem gratiæ, vt dictum est, quem acceperat: quemadmodum & seruo infideli pecunia quam in terrā defoderat, aufertur, Matt. 25. Hoc modo Iudas amisit gratiam quam acceperat. Sic & Iudæi postea omnem Dei gratiam & fauorem amiserunt. Amissa autem gratia quantum malorum sequatur, in Iuda & Iudæis videmus. Demum tollet infructuosum palmitem à gloria & congregatione sanctorum & fœlicitate. Sic Isaias 26. ait, Tollatur impius ne videat gloriam Dei. In iudicio enim separabit omnino oues ab hœdis, Matth. 25. Quanquam igitur nihil adhuc de pœna sensibili, gehennæ dicat. (hanc enim infra quoque explicabit) tamen etiam hic satis pœnarum est, alienum esse à Christo, amittere gratiam, excludi à gloria. Videre igitur hìc licet, quòd non sine caussa ad Ecclesiam, quæ est vinea domini, vocati sumus. Videmus etiam

Formidolosa & terribilis sententia palmitem infrugiferū à vera vite abiici, excindi, & seiungi.

Pœna pœnarum est alienū esse à Christo, amittere gratiā, excludi à gloria.

pia opera necessaria esse ad salutem. Quòd si sic punitur qui bonum fructum non facit, quale iudicium eos manet, qui pessimos quosque fructus faciunt? Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Luc. 23. Summa: Palmes infructuosus, est fides sine operibus. Sequitur:

Palmes infructuosus, sine operibus.

Iam vos mundi estis. Ne apostoli ex eo quod dixerat, Omnem palmitem non ferentem fructum, tollet pater, terrerentur, quasi præter Iudam adhuc aliqui excindēdi essent, dicit ipsos esse mundos & sanos palmites. Solet enim pium cor ad omnia Dei iudicia contremiscere, & quò generalius proferuntur, cò magis timent ne in se recidant. Sic suprà cùm diceret Christus se ab vno ex ipsis tradendum, omnes exterriti fuerunt. Impius autem non timet Dei iudicia, nec credit, donec in ipsius caput recidant. Cæterùm quòd mundos eos dicit, non sic intelligendum est, quòd omnino sine peccato essent. Nemo enim in hoc mundo ad tantam munditiem peruenire potest, vt non necesse habeat dicere: Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. In multis enim peccamus omnes. Hinc & suprà dixit, etiam his qui loti sunt opus esse vt pedes lauent, Ioan. 13. Item quòd pater etiam fructuosos palmites purgat, &c. Mundi autē erant Apostoli, Primò, ab errore incredulitatis. Secundò, à peccatis mortalibus, licet non omnino à venialibus. Tertiò mundi erant, quia propter fidem in Christum non imputabantur eis peccata. Mundi erant in Christo, & si in seipsis adhuc essent peccatores. Solet enim scriptura credentes appellare sanctos, propter sanguinem Christi quo mundati sunt, & spiritum sanctum quem acceperunt. interim autem ipsi se non nisi peccatores iudicant. Hinc Paulus 1. Timoth. 1. Christus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Attendendus autem ordo verborum. Primò pronuntiat eos mundos esse: quòd proculdubiò summè lætificauit corda Apostolorum. Quis enim non optaret hanc vocem audire, remissa scilicet sibi peccata esse? Beati, inquit, (Psal. 31.) quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Pro hac enim remissione orat omnis sanctus in tēpore opportuno. Quanquam & nos hanc vocem si volumus, possumus audire in absolutione sacramentali, scilicet post confessionem, &c. Verùm ne

Cor pīū ad omnia Dei iudicia cōtremiscit.

Impius non timet Dei iudicia, do nec in caput ipsius recidant.

Apostoli quomodo mundi fuerint.

Credentes in sacra scriptura appellantur sancti.

Apo

Apostoli hoc vel sibi ipsis vel propriæ iustitiæ aut meritis adscriberent, addit: *Mundi estis propter sermonem*, demum addit, *quem loquutus sum vobis*. ne putemus quemlibet, aut cuiuslibet sermonem mundare. Solus enim sermo Christi mundat, non autem hominis sermo. *Propter mũdat, nõ sermonem*, inquit, *quem loquutus sum vobis*. Hunc autem sermonem possumus accipere vel eum quem de sua passione & resurrectione fecit; (per hæc enim mundamur) vel eum quo dixit (Ioan. 14.) Ego sum via, veritas & vita. Vel eum quo dixit, Pacem meam do vobis. Quid enim est pax Christi, nisi remissio peccatorum? Qui igitur pacem Christi habent, iustè audiũt. *Iam vos mundi estis propter sermonem*, &c. Potest etiam intelligi generaliter de quocunque verbo Dei. Verè enim verbũ Dei aut Christi mundat, Malac. 3. Est enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. vnde de Christo ibidem dicitur, sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Mundat autem verbum Christi, Primò, quia cor concutit peccatoris, vt etiam in medio cursu peccatorum quasi subsistat. Vnde in Ieremia 2. Verbum meum quasi ignis, & quasi malleus conterens petras. Et Paulus Hebr. 4. Sermo Dei viuus & efficax est, & penetrabilior gladio ancipiti. Secundò mundat verbum Christi, quia nos à mundo & ab impiis segregat. Sic verbum Dei Abrahamum eduxit & segregauit à terra & cognatione sua, & domo patris sui, Gen. 12. Hinc Christus Matth. 10. Non veni (inquit) pacem mittere, sed gladium, & separare hominem, &c. Tertiò mundat, quia omnia à nobis vitia amputat, & etiam ab omnibus membris. Neque enim verbum Dei aliquod vitium suffert, quod non reprehendat. Quartò mundat, quia ad omnia bona inducit & excitat. Vnde Dauid Psal. 118. Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Et iterum Psal. 18. Lex domini immaculata, conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Iustitiæ domini rectæ, lętificãtes corda: prȩceptũ domini lucidum, illuminans oculos. Quintò mundat, quia eum ostendit & ad eum dirigit, qui solus mũdare potest. Non ad lacunas turbidas, sed ad ipsum fontem vitæ & puritatis Christũ nos dirigit. Sextò mundat, quia est ipsum instrumentum & medium per quod spiritus sanctus nobis datur. sic loquente Petro (Act. 10.) Spiritus sanctus cecidisse legitur super omnes qui audiebant verbũ. Demum etiam ideò mundat verbum, quia sacramenris dat virtutem mundandi & sanctificandi. alioqui si verbum detrahatur, nihil faciunt sacramenta, imò non sunt sacramenta sine verbo. Accedit enim verbum ad elementum, & fit sacramentum. Detrahe verbum baptismo, & quid est aqua nisi aqua? Igitur etiam in aqua verbum mundat: Hæc Augustinus. Hinc Paulus dicit Ephes. 5. Quòd Christus Ecclesiam quidem mundat lauachro aquæ: sed addit, in verbo vitæ. Sic verbum Christi etiam aliis sacramentis vim & efficaciam tribuit, &c. Videmus igitur verè dictum esse, nos mundari propter sermonem Christi. Palàm item cõstat quantus thesaurus sit verbum Dei, & quàm cæci simus, qui hunc thesaurum tam nihili pendimus. Hoc itaque verbo & apostolos, omnésque Christianos ad maiora hortatur, cùm ostendit eos non frustra sibi inhæsisse, aut sermonem suum audiuisse. Quòd si iam tanta acceperunt, quis dubitat eos maiora accepturos si persistant in fide?

Solus sermo Christi mũdat, nõ sermonem hominis.

Verbũ Dei quotuplicíter nos mũdet.

Verbũ Dei instrumentũ & medium per quod Spiritus S. nobis datur.

Verbũ Dei dat virtutem sacramẽtis, sine quo nõ sunt sacramenta.

Thesaurus ingens verbum Dei.

3 Tertiò ostendit Christus qui sint præcipui cultus in vinea domini, id est, in Ecclesia Christi: nempe fides spes, charitas. Vult enim Deus vt ipsum colamus manentes radicati & fundati in fide & charitate in ipso: ita vt hæc charitas non tãtum Deum amet, sed etiam in Deo, & propter Deum, proximum diligat. Et qui hoc facit, manet in Christo, éstque verus eius palmes, & fructum expectatum adfert: ac Christus ei, tanquam viti palmes, per charitatem insertus, veritatem diuinam inspirat, inspirabitque quandiu à charitate non exciderit.

Cultus præcipui in Ecclesia Christi fides, spes, charitas.

2 Doctrina Ecclesiæ, & sacramentorum vsus. Vult Deus vt Ecclesiam sponsam suam, & matrem nostram, tanti faciamus, vt eius doctrinam & sacramenta veneremur ac suspiciamus, à Christo in nostram salutem instituta confiteamur. Et verba Christi in illis manent, qui Ecclesiæ filij sunt obedientes, qui doctrinam eius, præcepta, & sacramenta suscipiunt tanquam diuina, & ab ipso Christo mandata, instituta & ordinata.

Ecclesia tãti faciẽda, vt eius doctrinam et sacramẽta veneremur ac suscipiamus.

3 Animorum cõsensus in charitate, fide, doctrina, & moribus.

ribus. Vult item Deus, vt sciamus solam fidem nulli vnquam profuisse, nec profuturã ad salutẽ, nisi charitatem qua Deus nos diligit, & sui dilectores facit, habeamus: qua iustificamur, qua & Deum super omnia, & proximũ sicut nos ipsos amamus. Et qui charitate mutua se amãt, ac manent in Christo, nõ sunt seditiosi, nec tumultuãtur, nec odiis intestinis mutuò se prosequũtur. Sed cùm Deus charitas sit, & qui manet in charitate, in Deo manet: charitas quæ omnia fert, omnia illa mala à corde abiicit.

Charitas non est tumultuosa nec seditiosa.

Et vt ad hãc salutiferam doctrinã capessendã prõptiores reddat, pollicetur precũ exauditionẽ, fructuum abundantiam, scilicet gratiam, remissionem peccatorum & alias virtutes: gaudium perpetuum, iustitiam, pacem, ac tandem coronam immarcessibilem, quam reddet dominus vnicuiq; pro operibus suis. Hinc docemur insignem promissionem Deum facere iis qui in charitate & ex charitate orauerint: adeò vt ei qui ita orat, totũ se præbeat.

Sed est notandum quid Christus statim subiiciat, scilicet: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Hinc constat 1 Signum ex quo possimus considerare num in dilectione Christi simus, nécne. Nã quicunque seruauerit mandata Christi, (inquit ipse saluator) manebit in dilectione Christi. Ergo non ineptè inferimus, quicunque non seruauerit mandata Christi, non est discipulus Christi, etsi fidem habeat: sed manebit in ira & odio Christi. Est igitur fidelibus necessaria charitas, & obseruatio mandatorũ Dei, vt gratiam Dei & domini nostri Iesu Christi adipiscamur, & in ipsa maneamus, & vt veros discipulos Christi nos esse cognoscamus.

Signum ex quo cognosci queat, num in dilectiõe Dei simus, nécne.

2 Elicimus ex hac scriptura, solam fidem non sufficere ad conciliandum nobis Christum, nec ad promerendam eius gratiam, dilectionem & iustitiam: neque eius veros discipulos, neque amicos nos facere.

Fides sola nõ sufficit ad conciliandũ nobis Christũ.

3 Elicimus hinc, contra scripturas sacras facere atque docere, qui aliter quàm per dilectionem, & mãdatorum Dei obseruantiam, in Christo fideles manere posse dixerit. Nos igitur si in dilectione Christi & eius gratia manere volumus, seruemus eius mandata, maneamus in ipso, & ipsius verba maneant in cordibus nostris, quæ viuens

viuens dixit discipulis, & discipuli nobis tradiderunt, de Ecclesia & eius capite, & authoritate, & hierarchico ordine: vt seruatis hìc mandatis, vitam possimus consequi æternam. Amen.

EPILOGVS.

1 *Congrua valde & opportuna similitudine docet Christus se ea bona quæ in patre suo possidet, & quæ per crucem meruit, nempe, victoriã peccati, mortis, diaboli, &c. remissionem peccatorum, iustitiã, salutẽ, &c. non sibi soli retinere, sed credentibus velle cõmunicare, dicens, Ego sum vitis vera, &c. Quod (vt ait B. Augustinus) dicit secundum quod est caput Ecclesia, nósque membra eius, homo Christus Iesus. Vnius quippe naturæ sunt vitis & palmites. Propter quod cùm esset Deus, cuius natura non sumus, factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius et nos homines palmites esse possemus.*

2 *Verbo Christi mundamur, & obediendo veritati per Spiritum sanctum cum charitate fraterna, Malach. 3.*

3 *Sine operibus nemo potest esse in Christo, O fœlices eos qui Christi palmites sunt, & ipsi per fidem & charitatem se insertos cognoscunt, quique intelligunt, nihil gratiæ, nihil virtutis, nihil boni se habere, quod non à vite Christo proueniat. Recensentur item reprobatio & pœna auertentiũ se à Christo, cùm dicit mittetur foras, arescet, in ignem mittetur vt inutilis palmes, & ardet.*

In festo B. Marci Euangelistæ, Epistola & Euangelium reperientur in festis diuorum inter Paschа & Pentecosten occurrentibus.

Litaniæ duplex maior, & minor.

HOc festo celebratur Romæ Litania maior, vtpotè in maiori loco, scilicet Romæ & à maiori, puta Gregorio magno, necnon quia pro magno & grauissimo morbo pellendo pie instituta est. Alia quæ diebus rogationum fit, dicitur Litania minor, quia in minori loco scilicet Vienna & ab humiliori Episcopo, B. nempe, Mamerto tempore Clodouæi regis inuenta fuit, ad varia quum rerum, tum corporum & animarum pericula euadenda. Hæc Auitus archiepiscopus Viennensis, quem Gennadius nomi-

nat

nat inter viros illustres, & fuit B. Mamerti successor. Vtraque iam per totam Ecclesiam recolitur, & quod olim sanctè animo conceptum fuit, hodie Psalmis ac precibus sancta mater Ecclesia inclamat.

Litania quid interpretetur.

Litania græcè apud nos supplicatio seu rogatio est, & fundata, &c. Luc. 18. Vbi dicitur, Oportet semper orare, & non deficere. Item. 1. Thessal. 5. cùm Apostolus dicit, Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Nam si semper est orandum, certè etiam tum est Deo supplicandum cùm obedientiæ sacramento ad hoc obsequij genus inuitamur. Quod bonum est tenete, ait Apostolus. 1. The. 5. Pessimè ergo Apostolastri Litanias, Aduentum, Ieiunium quadragesimale, Parasceuem & hoc genus pias institutiones abrogant, Bacchanalia verò, martinalia conuiuia, Pentecostales compotationes, psitaci iocos, & arcus exercitia & plurima id genus pessima prorogantes. Præposteri hi planè reformatores abusuum sibi censuram vsurpant, noctem vertentes in diem, & tenebras in lucem. Vnde nec alios suos habent admiratores quàm tenebrarũ filios. At filij lucis norunt Litaniam esse maiorem quæ in die S. Marci peragitur, & est à S. Gregorio summo pontifice Romæ instituta: esse etiam minorem quæ certis diebus, rogationum dies, appellatis exigitur, & esse in Gallijs institutam à S. Mamerto Viennensi archiepiscopo. Perquàm necessarium esse arbitror vt catholici istis diebus exhortentur, vt Ecclesiæ hunc, scilicet, supplicandi ritum perpetuare studeant. Perpetuabunt tunc potissimùm cùm ipsum ab omni abusu vindicauerint. Abusus est, sine verbi Dei prædicatione vltrò citróq; cursitare garriendo, ridendo, vociferando, &c. Cantui qualicunque plurimùm, declamationi verbi nihil tribuere, Garrulitas leuis vulgi, & hoc genus abominationes nulla censura leuissimi cleri possunt cohiberi. Verbum Dei gladius est, etiam ipsas penetrans ossium medullas. Huius sedula denuntiatione possunt tam cleri, quàm plebis abusus corrigi, cùm etiam eo Antichristus denique sit conficiendus. Optimus supplicandi modus necnon impetrandi docetur Ioëlis 2. cap. Canite, inquit, tuba in Sion, sanctificate ieiu-

Præposteri reformatores hæretici.

nium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos & sugentes vbera. Egrediatur sponsus de cubili suo, & spõsa de thalamo suo. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri domini, & dicẽt, Parce domine, parce populo tuo, &c. Vide & lege etiam Ionæ 3. cap.

IN FERIIS PHILIPPI ET IACOBI Apostolorum Epistola.

Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, &c. Finis Epistolæ: Et inter sanctos sors illorum est. Sapien. 5

HAc lectione docemur duo. Primò, quod sit discrimẽ inter piorum & impiorum vitam. Pij in hoc mũdo variis circumaguntur exercentúrque tentationibus, molestiis, tristitiis, afflictionibus, miseriis. Spectacula sunt mundo & angelis, omnium peripsemata & reiectacula. 1. Cor. 4. Tota die morti destinantur, non secus atque oues abducuntur ad occisionem. Psal. 43. Exemplo sunt Lazarus, Luc. 16. Naboth. 3. Reg. 21. Impij contrà hîc summa fruuntur pace, tranquillitate, lætitia, voluptate, & omnium rerum breuiter abundantia. Hi adeò non affliguntur vnquam, vt ab omnibus etiam maxima vi defendantur. Imò vsque adeò rerum potiuntur passim, vt nemo illis, si maximè velit, possit vim inferre. Exemplo sunt, diues ille epulo. Achab, Iezabel, &c.

Vita piorũ & impiorũ in hoc seculo dispar.

2 Secundò docemur quis & qualis futurus sit finis piorum & impiorum, qualémque sortem accepturi sint post hanc vitam. Audiamus de vtrisque Paulum, 2. Thess. 1. sic differentem: Nosipsi (puta Apostolus & Syluanus) de vobis gloriamur in Ecclesiis dei de tolerantia vestra & fide, super omnibus persequutionibus vestris & afflictionibus quas sustinetis, documentum iusti iudicij dei, vt digni habeamini regno dei, pro quo & patimini. Si quidem iustum est apud Deum, reddere his qui affligũt vos, afflictionem: & vobis qui affligimini, relaxationem nobiscum, cùm reuelabitur dominus Iesus de cælo cum

Sors & finis piorum & impiorum.

angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, qui infligit vltionem his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luent interitum æternum à facie domini, & à gloria fortitudinis illius, cũ venerit vt glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus credentibus. Quemadmodum enim vtrorunque vita inæqualis est, sic dispar quoque exitus. Pij verò quum præsens vita transmissa fuerit, in die nimirum iræ, quãdo vnicuique retribuetur secundum sua facta, (Matthæi 25, Romanorum 14. 2. Corinth. 5.) stabũt in magna constãtia aduersus impios, connumerabuntur inter filios & sanctos Dei, donabuntur æterna pace, fruentur gaudiis cælestibus. In summa mœror illorum vertetur in lætitiam, inopia in diuitias, miseria in voluptatem, afflictio in gloriam, Ioan. 16. Apoc. 21. Qui, inquam, hîc angustiantur propter iustitiã, tunc (hoc est, vt diximus, in iudicio) in constantia seu fiducia consistent maxima. qui hîc suis immeritò exuuntur bonis, tunc æternis ditabũtur. qui hîc impiis habentur (pro ipsorum libidine) vel derisui, vel improperio, tunc summo in honore habebũtur. qui denique hîc censentur impij ac Dei hostes, computabuntur tunc inter filios Dei, intérque Dei sanctos piisimósque sors illorum erit. Dominus enim vindex est miserorum, qui etiã pauperum se assertorem futurũ promisit, Matth. 5. Luc. 6. Interim animæ occisorum iacent sub altari, voce magna clamitantes: Domine qui sanctus es & verax, quando tandem vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? An qui finxit aurem, non audiet? Qui finxit oculum, non cõsiderabit? Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte: & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum, Luc. 18.

Vita inæqualis dispar futurus est exitus.

Piorũ sors post hãc vitam.

Deus miserorum vindex, et pauperum assertor.

Sors impiorũ post hãc vitam.

At contrà diuersissima sors impios manebit. Ipsorum nanque pax momentanea vertetur in turbationem sempiternam, tranquillitas breuis in æternã destructionem, labilis lætitia in perennem tristitiam, voluptas fluxa in miseriam perpetuam. Et qui hîc angustiarunt pios, manus sanguine innocentum imbuerunt, oculósque suos cruore humano satiarunt atque oblectarunt, tum præ

angustia spiritus gement, timebúntque sibi admodum. qui hîc aliorum auferunt labores, tum bonis omnibus destituentur. qui & derident & opprobriis afficiũt pios, tum vicissim deridebuntur, ac confundentur æternùm. qui hîc denique sese venditãt pro sanctissimis, aliósque præ se condemnant, tum in numero filiorum Belial ac impiorum deprehendẽtur. Diffusè hæc docet Isaias cap. 65. Tum agnoscent pios, sed serò. Cuperent se eorũ gloriam non videre, sed videbunt, & dẽtibus frendent. Non est enim minimum impiorum supplicium, quòd vident beatitudinem eorum quos ipsi in hoc seculo infœlices sunt arbitrati, & nunquam non ludibrio habuerunt. O quàm horrẽda diuitis purpurati, etiam Lazaro & Abrahamo miseranda mendicitas, qua saltem guttulam rogans aquæ repulsam patiebatur. Luc. 16.

Supplicium non minimũ impiorum quòd vident piorum beatitudinem.

Tum pœnitebit eos impietatis, sed nimis serò. Sera pœnitentia, quæ in illum differtur diem. In die iræ frustra gratia petitur. Omnia suum habent tempus. Temporibus medicina prodest. Hîc prædicatur pœnitentia, sed ecce impij culpas culpis aggrauãt. Vnde qui sua peccata hîc confiteri & corrigere negligit, in futuro seculo hoc facere vellet, sed nõ poterit. Hîc spes: quam qui per bona opera certa sibi facere supersedet, per carnẽ suam mundi præstigiis seductus perit. Posthac confitebuntur impij, primò, vt alios præ se contempserint. Secundò, vt ipsi malè vixerint. Quos hîc damnauerunt tanquam iniustos, illic iustitiæ admirabũtur: se verò tunc culpabũt, quorum hîc sui ipsius accusator nullus esse voluit.

Pœnitentiæ impiorum sera.

Temporibus medici næ prodest.

Hoc iam discrimen probè obseruemus fratres. Expendamus vtrorunque vitam, vtrorunque mortem, finem ac præmium. Sed ita expendamus, vt meminerimus nos alterutram partem sequi oportere, velimus nolimus. Nihil enim tertium est. Si ergo consultum nos saluti nostræ cupimus, ne simus in impiorum tyrannorúmque sodalitio, quantumlibet hi hîc bene habeant. Nam si hîc coram mundo pacificè, tranquillè, lætè ac voluptuosè viuere animus sit, non est quod putemus nos coram Deo substituros in iustorum numero. Nam dicit apertè Psalmista Psal. 1. Non resurgent impij in iudicio, nec peccatores in concilio iustorum. Sed laboremus vt simus in

Sodalitiũ impiorũ fugiendum.

Commercium piorũ amplectendum.

piorum seu iustorum commercio, quantumlibet hi opprimantur, affligantúrque hic, si coram deo consistere velimus, inque iustorum referri catalogum. Nam qui ad beatorum sortem pertingere cupit, in mundo afflictiones, dolores, tristitias, morbos, paupertatem, miserias pătiatur necesse est. Necesse est, inquam. Quemadmodum enim lucem necessariò comitatur vmbra, sic quoque necessariò pietatem sequitur afflictio, Act. 14. 2. Timoth. 3. Eligamus ergo momentaneam afflictionem, vt consequamur gloriam æternam. Eligamus breuiusculam mœstitudinem, vt adipiscamur gaudium sempiternum. Eligamus miseriam temporaneam, vt voluptatem nanciscamur nunquã finiendã. Mosis exemplo. Heb. 11. Lõgè enim præstat, hoc in mundo ad tempus modicum angustiari, spoliari, derideri ac damnari, quàm illic torqueri æternũ. Nã id quod in prẽsenti est momentaneũ & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, &c. 2. Corinth. 4.

Vt lucẽ necessario comitatur vmbra, ita pietatẽ necessariò sequitur afflictio.

EPILOGVS.

1 *Sors iustorum & impiorũ in hoc mundo adumbratur varia. Hoc nimirum in mundo varia incommoda excipere oportet pios, impij econtrario omnẽ suam egregiè explent libidinẽ.*

2 *Constantia iustorum posthac ostenditur, quòd scilicet iusti iniustos vicissim reos agent. Hac Græcè vocatur parrhesia. Item impiorum conturbatio terrificia, & eam epestasin vocant. vnum saltem instanti horrori est remedium, nempe vt pœniteamus subitò, ne nos mox præueniat mors.*

3 *Dispar vitæ disparẽ sortitur exitũ. Nã gloria Christi manet miseros, quos mũdus hic videt idola aũt glorioſi huius mũdi, cruciatus æternus. Vlulatus, & stridor dentiũ. Matt. 22.*

IN FERIIS EORVNDEM
Apostolorum Euangelium.

Ioan. 14.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis. Non turbetur cor vestrum: Finis Euangelij: Vt glorificetur Pater in filio.

Consolatio contra crucẽ promiſſ.

IN hoc Euangelio Christus facit tria.

1 Consolatur suos discipulos contra imminentem crucẽ, promittítq; cælestem habitationem apud Patrem. In hac consolatione vtitur

vtitur valde familiaribꝰ verbis, vt facilè sit videre quãtò diuinum eius cor amore in discipulos flagrarit, necnon quàm solicitam eorum curam habuerit, vt etiam suæ passionis obliuiſceretur. Ait autẽ, *Nõ turbetur cor vestrũ, neque formidet.* Signãter dicit, Nõ turbetur cor: tũ quia impossibile est vt natura non turbetur & exhorreat crucem, id quod & in Christo videmus. tum vt doceat consolationes suas cor respicere, non corpus. Externo enim homini crucem imponit, internum consolatur. Sic enim vtrique conuenit: Crux externo, ne lasciuiat: quia qui delicatè nutrit seruũ suum, inueniet eum contumacem, Prouerb. 29. Cibaria ergo & virga & onus asino: panis & disciplina & opus seruo, Eccl. 33. Consolatio interno homini, ne deficiat. Psalm. Secundum dolorem in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Non igitur prohibet quancunque turbationem, (quomodo enim pater continuò moriturus tantam à pupillis suis exigeret fortitudinem, vt secum pariter ad mortem duci non vereantur?) sed inordinatam, quæ rationem præuenit, & impedit, pacíque & tranquillitati opponitur: quæ turbatio consurgit ex animi passione inordinata, tristitia scilicet, ira, aut dolore.

Sio cælestis habitatio nis apud patrem.

Matt. 26. Homini externo Deus crucem imposuit, internum consolatur.

Turbatio inordinata prohibetur.

Est autem hic verborum sensus: Quoniam satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, & tãta trituræ vis erit, vt dispergamini omnes, & me solũ relinquatis: hoc vnum restat persuadere, vt corporaliter dispersi, saltem corde imperturbato permaneatis mecum in tentationibus meis. Ne turbemini ergo, etiam si audiatis me mori turũ, neq; vllus metus vos opprimat. non enim ita abeo, vt omnino separer à vobis, sed vt abitu meo maiora vobis bona acquiram & parem. Deinde non formidet cor vestrũ de vestra persequutione. Nõ enim tanta ingruent mala quæ à deo vos separent: non derelinquemini in aduersis. Est autem hic locus ampliſsima consolatio in aduersis. Hinc enim discimus, quòd & si deus tempore aduersitatis videatur abire, abscondendo consolationes, gaudia, vitam, ac fœlicitatem, & relinquẽdo in nobis aduersa, tristitias, mortem, damnationem, interim tamen hoc abitu suo vera nobis bona parat, adeò vt absconſio Dei sub cruce, nõ sit perpetua piorum derelictio, sed ma

Luc. 22.

Consolatio ampliſsima in aduersis.

Absconſio Dei in cru

ce non est perpetua priorũ dere lictio, sed maiorũ bonorum officina.

iorum bonorum officina. Vnde non immeritò monet Iacob.1. Omne gaudium existimate fratres, si in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur,&c. Quis enim turbationi dabit locum in corde suo, cùm audiat Christum dicentem, Non turbetur cor vestrum,neque formidet? nobis dicuntur illa verba,nobis loquitur Christus,vt non turbemur, neque formidemus, quanuis hinc Turca,illinc Mauri,aliunde Lutherani & reliqui hæretici in nos insurgant. Summatim docens oportere certaturos omni abiecto terrore labores & pericula pro vera gloria libenter subire. Magnum enim fortitudinis fundamentum est mens & animus non turbatus.

Magnum fortitudinis fundamentum, mẽs et animu nõ turbatus.

Luc.24.

Creditis in Deum,& in me credite. Quẽadmodũ priori verbo eos consolatus est de suo discessu, & ipsorum persequutione, sic hoc verbo eos munit contra scandalũ crucis. Quia enim Christus crucifigitur,nõ creditur esse salutis author. Vnde & discipuli dicebant:Nos sperabamus quòd ipse redempturus esset Israël. Igitur hoc verbo indicat se Deum esse,& Deo æqualem, indicátque se resurrecturum.quasi dicat: Si in Deum creditis,id est,si ipsum iudicatis potentem, quem nulla vis aut potentia deprimere potest,bonum supremum, in ipsóque animi vestri fiduciam collocatis, sperantes quòd possit vos liberare:idem de me vobis pollicemini, certíque estote nec tãtillum maiestatis meæ quam habeo in patre,posse propter crucem futuram perire. Credite in me, qui sum æqualis patri. Sic alibi monet, Beatus qui nõ fuerit scãdalizatus in me.

Munitio contra scãdalum crucis.

Indicat Christus se Deũ esse, & Deo aqualẽ, vnde & animi fiducia in ipso collocanda.

Matth.11.

Docemur ergo hoc verbo ne alios iudicemus Deo contrarios,si videamus eos aduersa pati,dummodo non propter impietatem patiãtur. deinde ne putemus nos à Deo reiectos aut omnino perituros, si aduersis subdamur, quãdoquidem & Christus mala quidem perpessus est,nec tamen ideò minus à Deo dilectus,nec quicquam illi propter hoc decessit. Hoc tantùm quilibet curet,ne patiatur vt homicida,aut alioqui impius. Si autem patitur citra suum demeritum,beatus est. Si exprobramini in nomine Christi,beati eritis,ait Petrus.

1.Pet.4.

Matth.8.

1.Pet.3.

Græci legunt:Credite in Deum,& in me,&c. Secundum

dum hoc igitur decet quibus armis se præmunire debẽt aduersus omnia mala,nempe,fide in Deũ. Hoc enim est scutum illud in quo omnia tela nequissimi illius ignea extinguuntur. Hæc est victoria quæ vincit mundum,fides nostra. His armis gloriatur Dauid,cùm dicit:Dominus illuminatio mea & salus mea,quem timebo? Credamus ergo & nos Iesum Christũ Patri æqualem potẽtia, maiestate ac gloria. In eum credẽtes,speremus quòd nisi nostra peccata impediãt,nos liberatur? sit de ore leonis. Si Deus pro nobis,quis cõtra nos? Ro.8. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo,Psal.117.

Fides scutũ aduersus omnia mala.

Ephes.6.

1.Ioan.5.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Quasi dicat, Si satan & Iudæi impij tyranni vos ad suas sedes admittere noluerint, ne turbetur cor vestrũ. Nã in domo Patris mei mãsiones multæ sunt. Dulcissima cõsolatio ex hoc quoque verbo elicitur. Quid amicabilius nobis vel familiarissimus amicus promittere potuisset,quàm si dicat, si alibi non est tibi locus, si incerta sede vagaris,diuerte ad me, non in viciniam, non in hospitium, sed in domũ Patris mei:te gratissimo animo excipiam. Hãc habitationem optauit Dauid,quãdo dicebat (Psal.26.) Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meę. Item Paulus Philip.1. Cupio dissolui,& esse cum Christo.

Dulcissima consolatio, quòd incerta sede vagatibus promittuntur mãsiones stabiles.

Eandem verbũ hoc sententiam habet,vt illud Luc.12. Nolite timere pusillus grex,quia cõplacuit Patri vestro dare vobis regnum. Sic hic sensus est, Non est quod vel propter meum abscessum vel vestrum periculũ despondeatis animum. Iam enim vobis paratum est regnum patris mei ab exordio mundi, & electi estis antequã iacerentur fundamenta orbis. Proinde non est quod vobis possit incõmodare siue peccatũ,siue mors,siue mundus, siue diabolus. Nemo enim potest electos rapere de manu Patris mei. Domus autem Patris ipsum cælũ est, vbi sancti æternùm requiescunt,lętantur,& Deus in sua gloria conspicitur. Huius regni promissione & spe contemperunt sancti omnia regna mundi, & ornatum seculi, mortẽ,tyrãnos, &c. Hac fide Moses grãdis effectus est, & negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis,magis eligẽs cum populo Dei affligi,quàm temporalis peccati habere iu-

Ephes.1.

Domus Patris cælum est.

Heb.11.

cunditatē:maiores diuitias æstimās thesauris Ægyptiorum,improperiū Christi.respiciebat enim inremuneratorē.De hac promissione exultauit Dauid,dicēs:Lętatus sum in his quę dicta sunt mihi:in domū domini ibimus.

Psal.121.

In cælo sunt mansiones stabiles, certæ & perpetuæ.

Emphasim habet & illud quod dicit: In domo Patris sunt mansiones.Non tātùm habitationes ad tempus durantes, sed mansiones stabiles, certæ & perpetuæ. Hīc enim non habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus,&c.Item 2.Corinth.5.Cùm domus hæc nostra dissoluitur,scimus quòd ædificationem habemus ex Deo,domum non manu factam in cælis,&c.

Mansiones ab æterno paratæ sunt sed in solo Christo, per solum Christum, & propter solum Christum.

Verùm hīc quæstio oritur:nempe,si paratæ fuerint cę lestes mansiones ante Christi aduētum,quur ergo is venerit,& quomodo ipse suo abītu parauerit locū? Respondemus: Sunt quidem paratæ māsiones illæ electis,antequām etiam mundi fundamenta iacerentur, sed in solo Christo,per solum Christum, & propter solū Christum mediatorem & intercessorem:ideóque nō potuit aperiri ianua & aditus ad eas, nisi Christus easdē & sua doctrina ostenderet,& suo abitu reseraret.Heb.10. Non est enim viriū humanarū accedere ad Deū,ascēdere in cælum,iustificari & saluari. Ioan.3. Nemo enim ascendit in cælū, nisi qui descēdit,&c.sed solius Christi hoc opus est. tum deniq; obstabāt peccata & maledictio,iráq; Dei. Necessarius igitur erat Christus, vt nos à peccatis mūdaret, & spiritu suo ad mansiones suscipiendas prępararet & confirmaret, accessum nobis ad cælum & ad Deum pararet.

Capacitas cæli.

Baruch. 3.

Ostēdit Christus hoc verbo,Primùm cæli capacitatem dicendo,Ibi mansiones multæ sunt:iuxta illud: O Israël quàm magna est domus Dei, & ingēs locus possessionis eius. Deinde per hoc verbum indicat etiam differētiam futuræ gloriæ.Sicut enim stella à stella differt in claritate,sic erit & resurrectio mortuorum.Et sicut alia est claritas Solis,alia Lunæ,alia stellarum,sic & māsiones multæ sunt,& in gloria differunt. Veruntamen omnes in firmamento immortalitatis & incorruptionis stabilitæ sunt,quemadmodum & stellæ.Vna quippe beatitudo est omnium electorum quo ad obiectum, sed nō æqualiter ab omnibus participatur: quinimo sicut diuersa sunt merita viuentium, sic diuersa sunt dona gloriæ. In summa

Differētia futuræ gloriæ.

1.Cor.15.

Vna beatitudo est omnīū electorū quo ad

retri

retributio certa est, tantùm vt nos parati simus, & viam aggrediamur eóque tendamus.

obiectū. sed secundū distributionem.

Si quò minus dixissem vobis: quia vado parare vobis locū. Quasi dicat, Si quò minus, id est, si aliter res se haberet, ac soli mihi esset locus, dixissem vobis modò:quia vado vobis parare locum. Auferam de medio animarum vratores,satanam mortem, infernum, vt liberum ac tutum habeatis aditū ad Patrē:quod non fieret, nisi mea morte intercedēte. Nunc igitur non dico paraturum māsiones, sed vos parabo mansionibus,quia adhuc estis in peccatis vestris omnes filij Adam, quemadmodum ingenuè fassi sunt prophetæ. Facti,inquit,sumus immūdi omnes,&c. Vado ergo lauare vos à peccatis vestris in sanguine meo, vt digni sitis introire in illas sydereas mansiones, in illa cælestia sancta sanctorum, vt sitis regnum & sacerdotes: quia non aliter suscipient vos illæ mansiones,iustè ac legitimè hactenus exhæredatos pro communis patris vestri vitio, nisi per me alium patrē,secundum scilicet Adam in morte mea vos regenerantem, introducamini, ordine iustitiæ seruato. Verè igitur parauit Christus nobis locum,moriendo, spiritum sanctum mittēdo, & pro nobis Patrem interpellādo.Nam in passione orans cum lachrymis,exauditus est pro sua reuerentia. Hebr.5. Et quid certius verbo Dei, quod permanet in æternum? Si quò minus,dixissem vobis. Quia quæ Christus tradidit, indubitata fide vult à nobis credantur. Ipse sua bonitate præcedit, vt iter quod nobis est ingrediendū,prius à latronibus liberet,potestates aëreas vincat,liget,praua directa faciat,&mōtes humiliet,&cōualles impleat,Isa.40.

Isa. 64.

Apoc.1.

Apoc 5.

Locū quo modo nobis Christus parauerit.

Si abiero, & præparauero vobis locum: iterum veniō, & accipiam vos ad meipsum: vt vbi sum ego, & vos sitis. Quasi dicat, Et quanuis modò discedam,non vos prorsus deseram. Lōgè mihi chariores estis,quàm vt vos inter tot lupos ac tyrannos absque consolatione relinquam.non ita ingrediar in regnum Patris mei,&dominium super peccatum, mortem & diabolum, vt illud mihi soli retineam, sed vt & vobis illud parem. Sicut enim non mea caussa descendi in carnem, sed vestra: sic & vestra caussa nunc iterum ad regnum Patris contendo. Iterum igitur venio ad vos,scilicet, resurgendo à mortuis, pace inter

Abeundo Christus suos non deseruit, sed profuit.

Deũ & vos reformata, pacem & remissionem vobis annuntians ascendendo, & spiritum sanctum mittẽdo. Nihil igitur aliud vult, quàm quod Dauid dicit Psalm. 67. Ascendit in altum, dedit dona hominibus. Abiit siquidem morte, rediit autem resurrectione, ascensione, spiritus sancti missione, quibus rebus sese proprium nobis donauit, & distribuit, dicens: Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem mundi, Mat. 28.

Reditus Christi quid sibi velit.

Vel sic potest accipi: Iterum veniam, tempore mortis, vel in iudicio futuro, carnis resuscitatione, iuxta illud, Ecce venio citò, & merces mea mecum. item iuxta illud 1. Thess. 4. Ipse dominus veniet in iussu & voce archangeli, &c. & tũc in sedes illas vobis ab origine mundi destinatas vos assumam: vt vbi ego sum, illic & vos sitis. In huius figura Ioseph olim fratres suos ad assumpsit, ne perirent fame in terra Chanaan, Gen. 46. Maxima etiam consolatio in his verbis latet. Nihil enim suauius, nihil grandius nobis pollicere potuit, quàm cùm ait: Vbi sum ego, illic & vos sitis. Admirãtur cæli, pauent inferna, vbi audiunt hominem cum Deo futurum, creaturam cum creatore, seruum cum domino, peccatorem cum ipsa sanctitate. Sicut enim Deus benedixit Laban propter Iacob (Genes. 30.) Aegypto propter Ioseph (ibid. 39.) Syriæ propter Naaman (4. Reg. 5.) & Persię propter Danielem: ita propter Christum & propter nomen eius, id est, propter incarnationem, natiuitatem, passionem ac mortem, atque propter alia sacramenta & mysteria generis humani concedit nobis Deus omnia quæ ad salutem corporis & animæ sunt necessaria. Ita propter sanctos ac iustos seruat regna, ciuitates, imperia, priuatas ædes: in ipsisque pacem & temporalia interdum multiplicat. Ita etiam propter dilectum suum filiũ atque sanctos Ecclesiam catholicam immunem seruat ab hæresibus. Ideò (ex Apostolorum traditione) in fine earum orationum quas vniuersalis canit Ecclesia, semper cõcluditur: Per dominum nostrũ Iesum Christum, id est, per virtutem passionis eius & mortis, petimus nobis concedas quod supplicamus. Ambrosius lib. de Isaac & anima ait loquens de Christo, Ipse enim os nostrum est, per quod Patri loquimur: oculus noster, per quem Patrẽ videmus: dextra nostra, per quam nos Patri offerimus: quo nisi intercedẽte nec nobis, nec sanctis quicquã cum Deo est. Sicuti enim nihil Deus Pater nobis concedit nisi per Christũ, ita nihil à nobis vt gratum accipit, nisi per Christũ oblatum.

Figura aptissima.

Suauius et grãdius nihil, quàm vt ibi sit adoptatus, vbi est vnicus.

Nomẽ Christi quid conprehẽdat.

Apostolica traditio est orationes concludere in nomine domini nostri Iesu Christi.

Os nostrum oculus noster, et dextera nostra Christus.

Et quò vado scitis, & viam scitis. Quibus verbis ostendit quanta iam acceperint, & quid ipsis restaret. q.d. Quò vado scitis. Nam Deum Patrem ad quem vado, in meipso ostendi vobis. ad hęc meipsum (qui sum via ad Patrem) vobis manifestaui, primò prædicatione verbi mei, deinde voce Patris supernè delata, postea miraculis, postremò glorificatione mea, quam aliquibus vestrum ostendi in monte Thabor. Huc accedit quòd vosipsi confessi estis me esse filium Dei. Nihil igitur ad fœlicitatem vestram deest, nisi quòd nondum nec Patrem nec me reuelatè cognoscatis. Absoluam autem & hoc opus per crucem & mortem meam, qua impetrabo vobis spiritum sanctum. Is enim docebit vos omnia, & clamabit ad Deum in corde vestro Abba pater: hoc est, declarabit manifestè Deũ esse patrem vestrum, & vos per me filios Dei. Monemur & nos hoc verbo cogitare quanta acceperimus præ aliis, vt grati simus, & bene vtamur acceptis: alioqui verbum hoc nobis omnem excusationem aufert.

Patrem in seipso Christus ostẽdit Apostolis, atq; seipsũ variis manifestauit modis.

Matth. 3.
Matth. 17.
Matt. 16.
Ioan. 14.
Gal. 4.

Dicit ei Thomas, Domine nescimus quò vadas, & quomodo possumus viã scire? Obiectio hæc Thomæ occasionem inde sumpsit, quòd dixerat dominus scire discipulos quò ipse vaderet, & viam etiã illos scire. Hoc igitur vtrunque negat Thomas, scire nimirum se aut locum, aut viam, quò & quà iturus ille esset: non quòd mendacij eum arguere voluerit, sed tãtùm prodit & ingenuè fatetur suam ignorantiam & carnalitatem, vt Christum prouocet ad clarius ostendendum quò ire vellet. Verùm docemur nos hinc, quàm profunda sit ignorantia in rebus Dei, & ad Christi regnum pertinentibus. Consolationem quoque hinc (& inde præsertim, quòd Christus tam leniter & patienter ferat Thomæ inscitiam, ipsúmq; ad meliora instruit) haurimus, ne scilicet ilicò despondeamus animum, nósque reiectos à Deo esse putemus, siquando in fide titubauerimus, & nos non statim operibus & verbo Dei accõmodauerimus per omnia, modò tamen instrui nos sinamus, & parati simus meliora amplecti. Augustinus

Ignorantia & carnalis ratio Thomæ.

Ignorantia humana profunda in rebus Dei, & ad Christi regnum pertinentibus.

Errare

Errare, inquit, possum, sed hæreticus esse non possum.

Christus via, veritas, et vita.

2 Secundò, Si de via dubitauerimus, docet se esse viam ad patrem. Dicit enim, *Ego sum via & veritas & vita.* Thomæ mirum videtur, quòd Christus dicat eos viam scire. Ideò respõdet, Domine nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire? Sed quomodo hæc conueniunt? Christus ait eos viam scire, Thomas autem negat. Sciebant discipuli Christum passurum, & confitebantur eum esse filium Dei: sed hæc confessio fuit infirma, fuitque adhuc in eis quædam incredulitas (vt dictum est) & scripturæ ignorantia. Sed Christus dignatur Thomam illustri responso, quo euidentissimè explicat se vnicum esse saluatorem, & extra se non esse salutem: se, inquam, esse viam vnicam ad patrem, per quem solum iustitiam & salutem consequamur: se esse veritatem, qui & ipse natura verax sit, & nos veraces faciat, extra quê omnia sint mendacia ac vanitas. se esse vitam, qui solus sit immortalitatis fons, qui solus viuificet, & æterna vita nos donet.

Christus omnia in omnibus.

Consolatio in tẽtatione & maximè in morte.

In summa, se esse omnia in omnibus: & ait, Ego sum via, & veritas & vita. Quo verbo nos omnes consolatur & roborat in omni tentatione, & maximè in morte. Ego, inquit, sum via, per me euadetis. Ego veritas, sine dubio erunt quæ promisi. Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Ego vita: igitur nec mors impedire potest quò minus ad me perueniatis.

Psal. 88.

Medium, via, & ostium Christus est per quẽ & Patrem cognoscimus & ad eũ peruenimus. Ioan. 10.

Nemo venit ad patrem nisi per me. Primò sic intelligitur, Nemo cognoscit patrẽ nisi per me. Deũ enim nemo vidit vnquam, vnigenitus filius enarrauit nobis. Secundò sic, Nemo venit ad patrem, &c. Hoc est, omnia alia nos absterrent, ne patrem accedere audeamus. Primò ratio humana ignorãs Dei, deinde peccata, præterea lex, quæ Deum proponit vt iudicem. Postremò etiã diuina maiestas sublimior est, quàm vt possimus ad eam viribus humanis accedere. Solus denique ipse est mediũ & via, & ostium qua ad patrem peruenimus. Consequitur igitur non satis esse in patrem credere. nisi credamus & in filium. Item consequitur, quòd nullis nostris viribus & operibus salutem consequi possumus, nisi in Christum credamus. Nõ enim propter opera nostra in se nos Deus gratos habet, sed propterea quòd in Christum credimus.

Non sufficit in Patrem credere, nisi etiã credamus & in filiũ.

Gratos,

Gratos, inquit, nos sibi fecit in dilecto filio. Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis, &c.

Ephes. 1.

Hìc Philippus inquit, *Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis.* Hìc Philippus, vti Thomas anteà, ingenij sui crassitiem exerit. Non vult enim fide & Christi verbo esse cõtentus, sed certò sentire & cernere vult res creditas. Item solum patrẽ cupit, excluso interim Christo, in quo solo innotescit Deus pater. Christus respõdit, increpans Philippum: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrẽ. &c.*

Crassities Philippi.

Hìc de sua diuina natura plenius loquitur: docétq; vt in persona alius est à patre, ita se ipsa substãtia prorsus vnũ esse cum patre, item se expressissimam esse patris imaginem, vt per quem solum innotescat & natura & volũtas patris. suam quoque & patris operationem esse indiuiduam, ita vt suum verbũ sit patris verbum, & patris verbum contrà suum. Patris opera esse opera sua, & sua vicissim esse opera patris. Et vt verba & facta Christi sunt patris: ita verba & facta apostolorum, & omnium ministrorum, sunt domini nostri Iesu Christi. Siquando igitur audis prædicari Euangelium, vides paruulum baptizari, peccatorem absolui, alia sacramenta administrari, traditiones apostolicas tractari: poteris ac debes dicere, Hodie vidi opus Dei, imò ipsum Christũ vidi Euãgeliũ prædicantem, baptizantem, absoluentem, sacrificãtem, aut alia sacramenta operantem. Nam lingua & vox quidem hominem sonant: sed officium, verbum, authoritas & virtus, Dei est. Qui non ita sublimiter sentit de sacramento administrato per simplicem sacerdotem, nec eadem reuerentia suscipit eius doctrinam catholicã, etiam à malo sacerdote traditam, atque si ab aliquo apostolorum reciperet: iniuriã facit Christo, qui ait, Luc. 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, &c.

Patris & filij indiuidua operatio.

Opus Dei, Euangeliũ Christi, imo Christus ipse adhuc hodie videtur & audiuri Ecclesia.

3 Tertiò pollicetur discipulis & omnibus fidelibus Christianis à patre dãdum, quicquid sint in nomine suo petituri, hoc est, fiducia virtutis & meritorũ eius. Et bis repetit hæc verba: *Quicquid petieritis in nõie meo, & per nomẽ meũ, hoc faciã: vt glorificetur pater per filiũ.* Quasi dicat, Per meã passionẽ, mortem & resurrectionẽ, vincam satanam, peccatũ, mortem, infernũ, & ad dexterã patris

Pollicitatio de exauditione precum in nomine eius.

sedebo

sedebo, vt potenter imperem, & omnia mihi subiiciam: vt possim dicere satanæ, morti & inferno, Vbi est mors victoria tua? Obmutesce satana, 1. Cor. 15. Mar. 1. & vobis apostolis & concionatoribus, Tu Petre, Paule, Thoma, euntes prędicate Euangeliũ vniuerso mũdo, omni creaturæ: absq; personarũ acceptione. Si vos acceperint, pacẽ illis annũciate per me inter Deũ & genus humanũ operatam, & prædicate illis quæ audistis & vidistis. Erigite Ecclesiam Catholicã, tradite sacramenta: præceptorum doctrinã, quę necessaria est ad salutẽ, diligẽter declarate.

Christus vnus Deus, vna substantia cum patre est. Qui in Christum non credit, is nunquam ad notitiam patris peruenit: multò minus ad æternam vitã. Christus enim est via, veritas, & vita. Qui eam viã rectà sequitur, is errare non poterit. Qui in hac veritate, scilicet Christo, manet, is falli nequit. Qui in charitate Christi manet manseritque vsque ad mortem, is veniet ad patrem, superato omni periculo carnis, mundi atque diaboli. Christus ipse est aduocatus. vnde 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus, &c. Ipse est interceſſor. vnde Paulus Rom. 8. Iesus qui ad dexterã Dei sedet, qui etiam pro nobis interpellat, &c. Ipse est mediator. vnde 1. Timoth. 2. Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, &c. Ipse est saluator. vnde ad Philippen. 3. Saluatorẽ expectamus, &c. Ephes. 5. Christus caput Ecclesiæ, ipse est saluator eius. Ipse est redẽptor. vnde Isa. 54. Redẽptor tuus sanctus Israël, dominus, &c. Ipse est magister. vnde Ioan. 13. Vos vocatis me magister & domine, &c. Ipse est pastor. vnde Ioan. 10. Ego sum pastor bonus, &c. Ipse est sacerdos. vnde Dauid Psal. 109. Tu es sacerdos in æternum. Ipse Christus est Iudex. vnde Petrus Act. 10. Constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.

Aduocatus noster Christus, interceſſor, mediator, saluator, redẽptor, magister, pastor, sacerdos & iudex.

EPILOGVS.

1 *Christus abiturus à suis, multis argumẽtis eos consolatur multipliciter turbatos q.d. Ne desp̃deatis animũ, quòd prædixerim vobis atrocia ea quib⁹ me accipiet synagoga, et quòd p̃dixerim vos manere similia. succedet enim huiusmodi maxima gloria. Hac ett ãnũ cogitatione armemur et nos. Hac cogitatione etiã perrũpamus quæq; durissima. 1. Cor. 4 etiã si vita & omnia quæ possidemus, ponẽda sint in extrema pericula.*

2 *Christus Alpha & ω, exordium, mediũ, & finis salutis nostræ. Initiũ salutis nostra est transitus à peccato ad iustitiã, & ex ira in gratiã Dei. Mediũ est cognoscere veritatẽ. Finis autem est, apprehendere vitam aternam. Omnia autem hac per Christũ consequimur. Ipse enim est viuum illud verbum Dei, quod fide apprehensum ducit ad Deum, hoc est, è peccatis ad iustitiam, è morte ad vitã, è tristitia ad gaudium, è dãnatione ad salutẽ. Item verbũ Dei est ipsa veritas: omnia alia sunt falsitas & vanitas. Est quoq; verbum Dei vita, nõ ob id tãtùm quòd omnia per ipsum creata sunt, sed etiam ob id quòd credẽtes recreat & renouat noua spiritus regeneratione: reliqua omnia sunt mors & perditio. Quia igitur Christus est verbũ Dei, cõgruè dicit, Ego sum via, veritas et vita. Insũma indicãt hac verba, quãt⁹ nobis thesaurus sit Christus.* Ioan. 8.

3 *Iesus Christus verus est & homo & Deus. Humanitate quidem interpellat pro nobis, & apud patrẽ petita nobis impetrat. diuinitate verò ipsemet facit, & largitur petita, non minus, quàm ipse pater. Propterea tam insigniter hîc dicit, Ego faciam: vt certi simus eandem ipsi esse potentiam, quam pater habet. Huic ergo debemus, & per hunc nobis donatur vt credamus, vt bona operemur, vt in aduersis perstemus, vt exaudiamur, vt denique veniamus ad patrẽ, & saluemur.*

IN FESTO INVENTIONIS sanctæ Crucis, Epistola.

Fratres: Confido de vobis in Domino, quod nihil aliud sensuri sitis, &c. Finis Epistolæ: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Gala. 5. & 6.

IN hac lectione Epistolari certæ nobis notæ proponuntur, quibus dinoscere valeamus veros Apostolos seu catholicos concionatores è falsis & pseudodoctoribus, doctores è seductoribus, pastores è lupis: verum item Christi populum à pseudochristianis. Primò falsi signis his præditi sunt, quòd palpum auditoribus obtrudant, quòd in illorum glorientur carne, quòd externa solùm opera & cæremonias vrgeant, quòd passionis Christi derogent merito, quòd denique huc omnes suos conatus dirigant, ne pati persequutiones cogantur. Tales videlicet erant de quibus hîc Paulus peculiariter agit, eorúmque notam his

Notas depingit verorum & falsorũ doctorum.

Signa pseudodoctorũ.

his verbis depingit ac commonstrat, d. *Quicunque volunt iuxta faciem placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantùm vt crucis Christi persequutionem non patiantur. Neque enim qui circuncidũtur legem custodiunt, sed volunt vos circuncidi, vt in carne vestra glorientur.* In hoc falsorum doctorum proprium est placere velle hominibus, vanam gloriam venari, & externorum operum fiduciam docere. Tales subintroierũt inter Galatas, qui sese Apostolos Christi simulabant, vt sic auctoritatem apud Christianos consequerentur: docebátque (quasi ex Christi iussu contra veros Apostolos, quòd nemo saluus fieri posset nisi circunciſus & legem Mosaïcam seruans: qua quidem doctrina adimebant salutẽ omnem Christi morti, tribuebántque hanc operibus, meritísque humanis: ídque adeò eum in finem, vt in aliorum carne gloriarentur, & vt à persecutionibus omnibus Iudaïcis immunes essent. Quicunque igitur placita prædicant, suæ gloriæ ſtudent, & in aliud fiduciam collocare docent quàm in vnum Christum, ij sunt pseudoapostoli, fures & latrones. Quicunque item hos seductores & audiunt volentes & sectantur, pseudo sunt Christiani.

Doctorum falsorũ proprium est velle placere hominibus, vanam gloriam venari, & externorum operum fiduciã docere.

Ioan. 10. Pseudodoctorum tituli sunt: conturbatores, & veræ fidei labefactores.

Verùm Paulus sese his quàm acerrimè opponit vbique, dicítque hîc, esse illos conturbatores ac labefactores veræ fidei, optátque iisdem proin, vt abscindantur: imò prædicit etiam, iudicium illos certò portaturos, hoc est, damnatum iri in tenebras exteriores. Deindẹ verò adimit salutem omnem circuncisioni ac legi Mosaïcæ, tribuítque eam vnicè cruci Domini nostri Iesu Christi, hoc est, eius passioni mortíque: in qua vna ille & omnem suam gloriationem collocat.

Omnis salus tribui debet cruci domini nostri Iesu Christi, hoc est, eius passioni mortíque.

Vnde secundo loco verorum Apostolorum, doctorum & pastorum sincerorum notas explicat Paulus, quòd neque in semetipsis, neque in vllo alio glorientur, quàm in cruce Domini nostri Iesu Christi, hoc est, quòd vnius Christi merito, iustitia, & redemptione, tanquam vnica suæ salutis caussa, fidant ac nitantur, quòdque in hoc glorientur, quòd habeantur digni ad contumelias atque afflictiones pro nomine Iesu sufferendas, Act. 5. Talis nimirum Paulus ipse fuit, & omnes Apostoli: ideóque ait, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce*

Apostolorum verorum notæ quòd neque in semetipsis, neque in alio glorientur, quàm in cruce domini nostri Iesu Christi.

cruce domini nostri Iesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vide, hoc discerniculo dinoscũtur veri & germani. Primò nulli placere ſtudent quàm vni Christo, nullius gloriam venantur nisi ipsius. Deinde in nihil aliud salutis ancoram & fiduciam collocant, quàm in crucem Domini nostri Iesu Christi. Quicũque ergo summam gloriam, summum lucrum æstimant placere Christo, & hunc solùm prædicant saluatorem ac iustificatorem omnium, ij genuini sunt concionatores, veri Apostoli. Quicunque etiam illos tum audiunt, tum pro virili imitantur, germani Christiani sunt.

Christiani germani qui sint.

In hac ergo Apostolica sententia & nos perpetuò esse, manereque debemus, hoc est, gloriari in sola cruce Domini nostri Iesu Christi, huícque omnem vnicè & nostram & aliorum salutem acceptam ferre. Neque enim est aliud nomẽ sub cælo datum nobis, in quo oporteat nos saluos fieri, Act. 4.

Christiani in sola cruce Iesu Christi glorientur.

Sed videamus interim ne in gloriatione duntaxat ac fiducia crucis Christi imitemur Paulum: verùm eò conscendamus etiam, vt verè dicere cum illo possimus: *Per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo*: Iníque, Viuo non iam ego, viuit verò in me Christus, Galat. 2. Non enim ſtatuendum est, si omnis omnium salus in vna cruce Domini nostri Iesu Christi confiſtat, ergo nihil boni esse agendum, sed indulgendum carni. Sed hoc contrà ſtatuere nos oportẽt, quando Christus & tanto nos pretio redemerit, & tantam omninò salutem sua passione, mortéque gratuitò contulerit nobis, maximã decere nos erga ipsum gratitudinem, ideóque mundo, hoc est, satanæ & peccatis omnibus (à quibus ille nos adseruit) mortuos esse oportere, ac iuſtitiæ contrà viuere per reliquum tempus, Rom. 6.

Cum Apostolo eo etiã conscendamus oportet, vt mũdus nobis crucifixus sit, & nos mũdo.

Cur autem non ſit pseudoapostolorum more in carne & externis cæremoniis gloriandum, sed potiùs verorum Apostolorum exemplo in cruce Domini nostri Iesu Christi, & moriendum mundo, his verbis declarat Apostolus: *In Christo enim Iesu*, inquit, *neque circũcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Quasi dicat: Externus & carnalis cultus nos non commendabũt Deo, sed si illi probari velimus, spiritu nos prorsus re-

Ratio apostolica tur non in carne & externis cæremoniis gloriandum, sed in cruce domini.

nouarì oportet, vt ipse enim spiritus est, sic quoque spiritu gaudet coli, Ioan. 4. &c.

Satis constat, omnes nos hodie inuentæ crucis domini nostri Iesu Christi solēnē in Ecclesia memoriam agere. Ob id igitur præsentem lectionem hodierno festo dedicarūt patres, vt nimirum verbi ministris ex ea (in qua Crucis subinde fit mentio) submini strarent ansam de cruce dicendi. Verùm Paulus hîc non loquitur de ligno illo crucis, in quo salus nostra pepēdit: sed de ipsa Christi passione ac morte. Occasionem huius festi petet pius concionator ex sermone B. Ambrosij Episcopi, in obitu Theodosij, ex historia Ecclesiastica.

EPILOGVS.

1 *Scopus præsentis lectionis est præcipuus, perstructio damnatióque pseudoprophetarū, vi & meritis crucis Christi sua falsa persuasione detrahentium, qui videlicet cùm multos alios, tum Galatas præsertim turpissimè seduxerant.*

2 *Vsus lectionis huius est quòd nullis cæremoniis, operibus, aut creaturis, quantumuis etiam splendidis debeamus fidere, præterquā solius Christi morti, iustitiæ, sapientiæ, sanctificationi & meritis, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1. *Corinth.* 1. & 2. *Corinth.* 10.

3 *Verorum Christianorum nota sunt, mori & crucifigi, carni, mundo, peccatis, satanæ, & fieri noua creatura: hoc est, in nouitate vitæ ambulare, viuere sobriè, piè, castè, & iustè in hoc seculo,* Tit. 2. *Sic certò futurum est, vt quemadmodum Paulus dicit, pax & misericordia Dei Israëlis super eos maneat in æternum.*

Euangelium præsentis diei quærat catholicus concionator in festo Sanctissimæ Trinitatis, Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, &c. Ioan. 3.

IN FESTO VENERABILIS Sacramenti, Epistola.

1. *Corin.* 11. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. *Fratres: Ego enim accepi à domino, quod & tradidi vobis, quod dominus Iesus in ea nocte qua traditus est, &c. Finis Epistolæ, Non diiudicans corpus domini.*

In hac

IN hac Epistola Apostolus quatuor præsertim nobis commendat.

PRIMVM est, à quo & quādo cœna dominica sit instituta, cùm dicit: *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c. similiter et calicem postquàm cœnauit, &c.* Ex quibus audimus dominum Iesum esse institutorem & authorē huius cœnæ aut sacramenti: Iesum, inquam, Dei filium, æternū Dei verbum, os & sapiētiam patris, veritatem & vitam æternam. Audimus etiam institutum illud esse in eadem nocte, qua & in manus peccatorū & in mortem dominus Iesus tradebatur. Hoc verò vtrunque si verum est (vt certe est verissimum) consequitur, merè esse diuinum, sapientissimū & serium, quod sic instituerit est. Non enim potest Deus quid instituere, quod nō sit diuinum: ipsa sapientia, quod non sapientissimū: mortis tempus, quod nō sit maximè seriū. At si ita res habet, consequitur maximi faciendū esse sacramentum hoc, non autem contemnendum, aut pro re stulta & ioculari habēdum.

Cœnæ dominicæ institutio & author dominus Iesus Dei filius. *Ioan.* 1. 1. *Cor.* 1. *Ioan.* 14.

Itaque velut arrhā sui amoris, corporis & sanguinis sui sacramentum, miraculorum ab ipso factorum maximum passionis suæ perenne monimētum, & promissæ per suam passionem salutis æternæ pignus, signúmque veritatis huiusce promissionis, rursus de sua contristandis absentia solatium singulare saluator noster Dei filius mira benignitate reliquit. Cuius diuinam erga suos beneuolentiam & dilectionem B. Ioannes demirans & venerans ait: Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit eius hora vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finē dilexit eos, non sicut is de quo per Sapientem dicitur: Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die tribulationis. Christus autem quum tanta dilectionis signa hactenus erga suos exhibuisset, in finem vsque mortalis vitæ suæ perseuerans, tunc vel omnium maxima ostendere dignatus est, in eo videlicet, quòd mortem pro ipsis adiens, dilectionis atque mortis suæ monimentum admirabile nobis hoc sacramentum instituit & donauit.

Institutionis vener. Sacramenti caussa. *Ioan.* 13. *Eccles.* 6. *Christus dominus amicus constans & fidelis.*

Paucis etiam hoc loco declarare oportet, quur hoc sa-

Sacramẽtũ cur cœna appelletur.

crámentum Cœna appelletur. Cœna certè vocatur, non solùm quòd in cœna sit institutum, sed & quòd ipsummet re vera cœna sit, & hoc nomen non hodie primùm ei impositũ est, sed ab ipso Paulo. Dicit enim: Conuenientibus vobis in vnum, non licet dominicam cœnam edere. 1. Corinth. 11. Neque sanè in materna nostra lingua significantius appellari potest, quàm vel cœna dominica, vel sanè sacramentum altaris. Quare nemo illa nomenclatura offendi debet, præsertim cùm alia eius nomina non contemnantur.

2 Secundum est, quid ipsa Cœna dominica sit seu cõplectatur, cùm Paulus dicit: *Accepit Iesus panẽ, gratiísque actis fregit, ac dixit: Accipite, edite: hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur. Similiter & calice peracta cœnæ, dicens, Hic calix nouũ testamẽtũ est in meo sanguine.* E quibus audimus, sacram dñi cœnam esse panem & vinum, seu panis & vini communicationem: sed huiusmodi panis, non qui significet corpus verũ Christi, neque in quo sit corpus Christi, sed qui totus re vera sit verum Christi corpus. huiusmodi item vini, nõ quòd sit symbolum dũtaxat sanguinis Christi, neq; in quo sanguis Christi sit, sed quòd totum sit verus Christi sanguis. Ita nimirum, vt de panis & vini substantia nihil remaneat, nisi sola species: ita quoque, vt panis factus corpus, & vinum factum sanguis, corpus & sanguis maneat, non autem conuertatur rursum in panem & vinum. Quomodo verò panis sit corpus, & vinum sanguis, nostrum non est indagare. sufficiat nobis Christi verbum, cui nihil est impossibile. Hinc canit Ecclesia: Verbum caro panem verum, verbo carnem efficit, fitque sanguis Christi merum. & si sensus deficit, ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit. Tantum ergo sacramentum veneremur cernui: & antiquum documentum, nouo cedat ritui: præstet fides supplementum sensuum defectui.

Cœna dominica quid sit & quid cõplectatur.

Luc. 1.

Sacramentũ altaris nõ est ratione & sensu perlustrandum, sed fide venerãdum.

3 Tertium est, in quem finem Cœna dominica sit instituta cùm in hunc modum Paulus ait: *Hoc facite in meam cõmemorationẽ. quotiescúque enim comederitis panẽ hunc, & de calice biberitis, mortẽ domini annunciate, donec veniat.* Hic audimus in hunc finẽ sacramentũ hoc corporis & sanguinis à Christo institutũ esse, vt ipsius meminerimus,

Cœna dominica in

rimus, hoc est, summũ illum amorem in memoria retineamus, & subinde renouemus, quo pro nobis corpus suum tradiderit in mortem, & sanguinem in cruce effuderit in remissionem peccatorum nostrorum: vtque hac recordatione & ad fidem constantem, & ad charitatem ardentem inflammentur corda nostra, redamemusque sic nos amantem, iuxta monitionem B. Ioannis 1. eiusdem 4. qui sic ait: Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Huc igitur respicere vnicè debemus, quotiescũque cœnam huiusmodi mysticam sumus sumpturi: Quemadmodum si quis peregrè proficiscens, pignus aliquod ei quem diligit plurimum, derelinquat, vt quotiescunque illud viderit, possit eius beneficia & amicitias ad memoriam reuocare. Quisquis is est, si amicum talem verè dilexit, sine ingenti desiderio & fletu non poterit illud pignus contueri.

quem finem sit institutа.

Similia.

4 Quartum denique est, quomodo sumenda sit hæc ipsa cœna seu Eucharistia, cùm ita Apostolus infert, *Quisquis ederit panem hunc aut biberit de calice indignè, reus erit corporis & sanguinis domini.* quasi illũ occiderit, vt fecerũt Iudæi, qui tãti mysterij sacramẽtũ pro vili despexerũt. *Probet itaque se homo ipse.* id est mundet, vt non nisi tersa ac nitida cõsciẽtia ad diuina mysteria accedat: *& sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Neminẽ, inquit, tibi iudicẽ proposuerim præter te ipsum. Tu itaque conscientia examinata discussáque adito ea mysteria, non festis modò diebus, sed omni tẽpore, quum purũ te & digniũ compereris. Nam si in vas sordidum nemo audet illum mittere, quantò magis in cor pollutum? Accedentes ergo sanctos esse oportet, quoniam ipse sanctus est. *Nam qui edit aut bibit indignè, iudicium sibi ipsi edit et bibit non diiudicans corpus domini* Non ob mysteriorum naturam, quippe quæ vitam in se habent & largiuntur, sed ob mysteria adeuntium indignitatem: quibus nõ aliter illa nocent, quàm sol oculorum valetudine laborãtibus solet obiectus officere. Ideò verò iudicium sibi manducat & bibit, quia non diiudicat corpus domini, id est, quia prius nihil disquirit vel internoscit præsentis mysterij magnitudinem.

Euchariſtia quomodo ſumenda.

Leuit. 19. & 20.

1 Pet. 3.

Non ob mysteriorũ naturã, indignè et adiudiciũ sumitur, sed ob indignitatem sacra vitæ mysteria adeuntiũ.

Quatuor in Corinthiis peccata reprehendit Aposto-

Arguit quadruplicem culpã temerè accedẽtium.

lus, propter quæ indignè ad dominicam mensam accedebant. Primum, quòd essent inter se contentiosi, quia scissuræ propter contrarias de religione sententias, opiniones & hæreses erant inter illos. Vnde dicit. *Conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo. Nã oportet & hæreses esse, &c.* Non quòd hæreses Deo placeant, sed quòd per eas fideles exerceãtur: vt qui Deo noti sunt, etiam hominibus manifestentur. Vnde enim gubernator laudabitur, si nauis in portu vel in tranquillo consistat? *Vt qui probati sunt*, inquit, siue doctores in resistẽdo, siue populares fideles in permanendo, *manifesti fiant in vobis.*

Secundò reprehendit, quòd cibum corporalem in Ecclesia sumebant. Vnde dicit: *An Ecclesiam Dei contemnitis*, facientes eam triclinium epularum? Præmiserat: *Nunquid domos non habetis ad mãducandum & bibendũ?* Et tunc subdit: *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Inualuerat enim apud Corinthios praua consuetudo, Ecclesias passim dehonestare conuiuiis.

Praua cõsuetudo apud Corinthios, Ecclesias passim dehonestare cõuiuiis.

Tertiò, quòd ante communionem corporis Christi corporalem cibum sumebant: vnde dicit: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est dominicam cœnam manducare. vnusquisque enim cœnam suam præsumit ad mãducandũ.* Vt enim ait Sedulius, ante dominicam oblationem vescebantur communibus cibis, quam cœnam noctibus adoriebantur. quúmque diuites ebrij ad Eucharistiam venirent, vexabãtur inopes fame. *Et ideò vnus quidem*, inquit, *esurit, alius autem ebrius est. Quid dicam vobis? Laudo vos, in hoc non laudo.*

Dominica cœna non est, vbi pauper contemnitur.

Quartò, quòd nihil pauperibus erogabant. Vnde ait, *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est dominicam cœnam mãducare.* Conuentus & congregatio præfert charitatem. Cœnã autem dominicam, vnanimem dominici corporis & sanguinis conuictum appellat, ad illius venerandæ cœnæ dominicæ imitationem, quam ipse cum discipulis egit. Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. 1. Corinth. 10. Sed vos, inquit, re tanta, id est, dominicæ cœnæ imitatione priuati estis. Nam per hoc quòd vnusquisque cœnam suam priuatam præsumit ad

mit ad manducandũ, dominicã cœnam fecistis priuatã. Quandiu autẽ erat communis, domini cœna dicebatur. Sunt enim & seruis dominorũ bona communia. Et quia vestrũ singuli præueniendo propriã cœnã edunt, nullius pensi pauperes habẽtes, fœdastis profectò hanc cœnam. Quibus Apostoli verbis facilè intelligitur illud tũc erroris fuisse apud Corinthios, vt multum panis & vini in Christi corpus & sanguinẽ sacerdotali cõsecratione cõuertendũ, ad suos priuatos vsus sñ Ecclesiam diuites afferrent, vnde detestabili sacrilegio crapularentur opulenti, pauperibus interim fame cruciatis. Quos melius fuisset domi priuata ac prophana conuiuia celebrasse, quàm pauperibus præsentibus cõparticipationẽ renuere. *Ecclesiam*, inquit, *Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent.* Ideò & pœnam adiungit, dicens, *Ideò inter vos multi infirmi & imbeciles, et dormiũt multi.* Quasi dicat: Argumento sint ea mala, quæ vobis contingunt. Eo namque & mortes iam immaturę, & diuturni morbi oboriuntur, quia mysterium hoc indignè sumũt multi. Et licet nonnulli vsque ad ipsam mortẽ inoffensam seruent valetudinem, non tamen propter hoc Christi sacramento non esse obnoxios satis probatur, quia nõ modò præsentia hæc tormenta, sed etiam futura & grauiora hos manent, qui indignè mysterium illud adierunt. Et qui præsentia mala, occulto, sed iusto Dei iudicio euadunt, incident in futura: quibus tunc horrẽdum erit incidere in manus Dei viuentis, Hebr. 10.

Error et abusus fœdus apud Corinthios.

Indignè cõmunicantium pœna.

Cœnam dominicam indignè sumentes rei sunt traditi corporis & effusi sanguinis Christi. Matth. 8.

Docemur ergo hìc, dignè nos sacramentum hoc sumere oportere. Nã indignè sumentes, adeò nihil fructus inde consequentur, vt & rei sint (sicut præmissum est) futuri, traditi corporis & effusi sanguinis Christi. Vt autẽ dignè sumamus, nosipsos probemus oportet. Hæc verò nostri probatio in hoc consistit, Primò, vt agnoscamus & detestemur peccata nostra, nósque indignos vt intret sub tectum nostrum, cum Centurione iudicemus. Secũdò, vt reuerenter de mysterio hoc sentiamus, atque in corporis sanguinísque Christi pretium omnem salutem nostram collocemus. Tertio, vt ex animo redamemus nos tãtopere amantẽ, illiúsque beneficia laudibus iugiter celebremus. Quarto, vt proximos nostros (vtpote

Probatio nostri in quibus cõsistat.

per Christum factos fratres nostros & sorores adeóque commembra nostra) Christi exẽplo diligamus, non solùm vt verbis & bonis nostris illos iuuemus, verùm etiã vt animas nostras ponamus pro ipsis. 1. Ioan. 3. Qui ita sese probat, is bene seipsum probat, & dignè sumit.

Commemorationis cœnæ dominicæ in hoc tempore caussa.

Causa autem quur lectio hodierna, quæ cœnã dominicã complectitur, hodie proponatur, hinc nimirũ est, quòd Ecclesia nunc præsertim solennem eiusdem cœnæ dominicæ agat memoriã. Si vero quis scire cupiat, quur iam potissimùm eius memoria agatur, cùm tamen non post Pentecosten, sed ante passionem Christi ea instituta sit: is sciat, id ob id fieri, quòd apostoli circa hoc tempus, nempe, post Pentecosten & acceptum spiritum sanctum, hoc sacrosanctum mysterium cum primis frequẽtare ac exercere cœperint. Nam sic Act. 2. legimus: Erãt (credentes) perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione & fractione panis, & precationibus.

Quum itaque dominus cœnam hanc instituerit, velitque eam sumi à nobis, eámque apostoli frequenti vsu exercuerint: reuereamur eam & nos, & sumamus, & dignè sumamus, vt vitam habeamus æternam, Ioan. 6.

ETILOGVS.

1 Cœnã dominicã Apostolus ad memoriam reuocat, ne vnquã Christi dilectio in morte nobis exhibita, memoria excidat. Hæc enim repræsentat passionẽ Christi, sed neque repræsentat saltẽ significatiuè, sed & exhibet re vera ipsum quẽ repræsentat. Repræsentatio est cõmemoratio passionis sanctæ, & gratiarũ actio, et vocatur Eucharistia. Repræsentatio est cõmunicatio, qua fideles corpus & sanguinẽ Christi re vera sine omni ænigmate sumunt: & vocatur synaxis. Vtrũque est

Homil. 28. de verbis domini secundũ Lucam.

salus si neutrũ negligatur. Cupit Augustinus nos si nõ quotidiè saltem dominicis diebus & festiuis cõmunicare omnes. Idem dicit eos indignè semel in anno aut ratius accedere qui non ita se gerunt vt quotidie mereantur accipere.

2 Corpus Christi verũ & verus eius sanguis in Eucharistiæ sacramẽto indignè nõ debet sumi. Indigni sunt qui trãssubstãtiationẽ non credũt qui Berengarii nam hæresin excitat. Indigni sunt in quibus peccatum adhuc feruet, qui sacramẽti pœnitẽtiæ medicina cõtritione, confessione, et satisfactione sibi mederi aut supersedẽt, aut cõtemnunt. Hos omnes, reos dicit corpo-

corporis & sanguinis domini. In eos quadrat hoc Apostoli, Denuò sibi filium Dei crucifigentes, & illud, Flens dico, inimicos crucis Christi.

3 Præparatio exactissima ad Eucharistiam sumendam omnibus fidelibus perquàm est necessaria: quod satis innuit Apostolus in hoc quod dicit: Probet seipsum homo, &c. Quo vult, vt quisque se iusta lance æstimet, non solùm de fide sed & de charitate, cuius nos etiam sacra synaxis admonet: quoniam vt panis vnus sit ex multis granis & vt ex multis acinis fit vnus potus ita omnes fideles vnum debent esse corpus. S. Hieronymus monet exemplo Iosephi ab Arimathæa, vt studeamus venerabile corpus syncerè accipere, imitando Iosephum eum, qui illud exanime munda inuoluit sindone. Si hoc ille exanimi & cõtumeliis omnigenis fecit affecto, quãto æquius est nos hoc facere glorioso & rediuuo?

IN FERIIS IISDEM EVANGELIVM.

In illo tempore. Dixit Iesus discipulis & turbis Iudæorum Caro mea verè est cibus, &c. Finis Euangelij: Qui manducat hunc panem, viuet in æternũ. Ioan. 6. 1. Cor. 11.

IN hoc sacratissimo festo sunt considerandæ quatuor. 1 Primò, Quæ scripturæ contineant doctrinam huius sacramenti: nempe, Matth. 26. legimus: Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit: deditque discipulis suis, & ait, Accipite & comedite: *Hoc est corpus meum.* Marc. 14. legimus: Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, Sumite, hoc est corpus meum. Luc. 22. legimus: Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim apostoli cum eo, &c. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Apost. Paul. 1 Corinth. 11. Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.

Scripturæ doctrinam venerabilis Sacramenti continent.

De calice verò ita legimus Matth. 26. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui

Scripturæ tractantes de calice.

pro multis effundetur in remissionẽ peccatorũ. Mar. 14. Et accepto calice, gratias agẽs dedit eis, & biberũt ex illo omnes. Et ait illis, Hic est sanguis meus noui testaméti qui pro multis effundetur. Luc. 22. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicẽs: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Item, 1. Cor. 11. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.

Christum Iesum verum Deum et verum hominem omnipotentem, institutorem venerabilis sacramenti, sua virtute cœlesti ipse inuisibilis sacerdos, & visibiles creaturas in substãtiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate per ministerium sacerdotis conuertit.

Christus Iesus verus Deus & verus homo, cuius omnipotentiam in symbolo confitemur & credimus, instituit hoc sacramentũ, & sua virtute cœlesti ipse inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantia corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate per ministerium sacerdotis conuertit, dicens. Accipite & edite: Hoc est enim corpus meum. & sanctificatione repetita, Accipite & bibite.: Hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum præcipientis domini repentè ex nihilo subsiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi præcipit virtus, & ei seruit effectus. Euseb. in serm. de corpo. & sang. domini: qui est hom. 5. de Pascha.

Vt hæc sacrificia offerrent omnes Christiani, in baptismo facti sunt regale sacerdotium, censentur populus acquisitionis: & in cœna suos apostolos sacerdotes fecit Christus: & vt ita consecrarent, potestatem ipsis & eorundem successoribus dedit.

Euchariſtiæ ſacramẽtum in die vltimæ cœnæ inſtituit Chriſtus, in qua & ſuos diſcipulos ſuoſque ſucceſſores ſacerdotes cõſecrauit.

Ex hac doctrina Euangelistarũ & Pauli cognoscimus sacramẽti Eucharistiæ (quemadmodũ & aliorũ sex sacramentorum) Christũ authorem fuisse. Instituit autẽ illud in die illo quo vltimã cœnam cũ suis discipulis Ierosolymis celebrauit: in qua & suos discipulos sacerdotes ipse summus sacerdos consecrauit, & vt illud sacramentum ipsi, suique successores consecrarent, præcepit. Materia autem huius sacramenti est panis & vinum: forma verò, Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus, &c. Quæ cùm Christus dixit, non simplicia verba fuisse arbitrabuntur pij fideles, sed efficacissima, effectúmque mox consecutã haud dubiè cõfitebimur. Nam cũ Christus dixerit, Hoc est corpus meũ: si illic non erat ipsius corpus, ergo vana, & falsa fuit Christi affirmatio, si autẽ erat corpus (quod iam

iam inde ab apostolis vsque Catholica profitetur Ecclesia) falsa & hæretica est Zuinglianorum & Heluetiorum interpretatio, qui verba illa corrumpentes ac deprauantes, expressum Dei verbum dicunt, Hic est sola figura corporis mei. Falsa & hæretica est & Caluini declaratio, seu assertio, qui ita interpretatur, vel potius corrumpit Christi verba, Hic est sacramentum corporis mei. Nos vero catholici cum Christo, cúmque apostolis, in magna Ecclesia, in populo graui, in medio seniorum, confitemur excelsa animorum constantia, post panis atque vini consecrationem esse illic in sacramento altaris sub panis & vini speciebus verum corpus Christi realiter atque substantialiter. Hoc tenet Ecclesia Romana, hoc fuit semper confessa Ecclesia orientalis, professa fuit Africana, confessi sunt patres in conciliis. Quare qua ratione quáve fronte Saxones Luthero crediderint, Heluetij Zuinglio, dux Vvirtembergicus Brentio, Geneuenses Caluino, neglecta & deprauata doctrina Christi, Apostolorum, Conciliorum, Patrum ipsi viderint.

Sacramẽti altaris materia et forma.

Hæreticorum modernorũ de sacramẽto corporis et sanguinis Christi falsa interpretatio seu assertio.

2 Secundò considerandum, quale sit corpus illud quod in sacramento conficitur: nempe, quale fuit illud quod ex virgine natum est, illud quod in cruce à Iudæis necatum est, illud quod in cælum euectum est, & quale est illud quod ab angelis modò adoratur. Hoc testatur Chrysost. hom. 24. 1. ad Cor. Hoc, inquit, corpus in præsepi reueriti sunt Magi viri impij & barbari: tu non in præsepi, sed in altari, non mulierem quæ in fasciis teneat, sed sacerdotem præsentem, & spiritum sanctum super propositi sacrificio abundè diffusum vides. Dum in hac vita sumus, vt terra nobis cælum sit, facit hoc mysterium. In cælis est regium corpus, quod nunc tibi in terra videndum proponitur. Non angelos, non archangelos, non cęlos cęlorum, sed ipsum horum omnium dominũ ostendo tibi. Animaduertis quonã pacto, quod omnium maximum est & præcipuum, in terranõ conspicaris solùm, sed tãgis, sed comedis, & eo accepto domum redis. Idem eãdem homil. Quando mysterium propositum fuerit, dic tecum, Hoc corpus sol crucifixũ videns, radios auertit, propter hoc velum tẽpli scissum est, & petræ: ac terra vniuersa tremuit. hoc idem corpus cruentatum, lancea vulne

Idẽ corpus in sacramẽto conficitur quod ex virgine natũ est, quod à Iudæis cruciſixũ, quod in cælũ euectum & modo ab angelis adoratur.

vulneratum, fontes sanguinis vniuerso orbi salutares scaturiens. Idipsum corpus in suprem um thronum extulit, quod nobis etiam exhibuit, vt teneremus, & vt manducaremus: quod maximum signum est dilectionis.

Idem homil. 3. ad Ephe. Recolite quia illius corpus est & sanguis, qui supra cælos residet, qui ab angelis supplicitet adoratur: illius inquam, qui proximè assistit immortali Dei potentiæ. Huius delibamus sanguinem, & proprium corpus nobis sumendum tradidit.

Doctrinæ eorum falsa comprobatur qui affirmant in sacramento non esse verum corpus Christi.

Hinc docemur 1 Falsam esse eorum doctrinam qui affirmant in sacramento altaris non esse verum corpus Christi, nisi quis malit Zuinglio & Caluino credere, quàm Chrysostomo & vniuersæ Ecclesiæ tam orientali quàm occidentali. 2 Docemur doctrinam hanc quam Romana tenet Ecclesia, non esse nouam neque singularem, sed antiquissimam & omnibus populis tum orientalibus tum occidentalibus communem, vtpote quam Chrysostomus vti ab apostolis acceptam veneratur, confitetur, atque credit. Attendant igitur hæretici quòd falsa mendaciisque plena doceant.

Fructus Sacramenti tres sunt præcipui.

3 Tertiò considerandum qui sint fructus huius sanctissimi sacramenti. Multi quidem sunt, sed tres præcipui. 1 Est sumptio homini saluberrima. Hoc docet Christus Ioan. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et August. homil. 28. de verbis domini secundum Lucam: Si quotidianus est panis, inquit, cur post annum illum sumas, quemadmodum Græci in oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic viue, vt quotidie mereari accipere. Vide & Ambros. lib. 5. de sacra. cap. 4.

Eucharistia est antidotū contra cacodæmones, & pignus immortalitatis.

2 Est antidotum contra cacodæmones, & pignus immortalitatis. Hoc docet Chrysosto. hom. 45. in Ioan. Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, angelos & angelorum dominum ad nos allicit. Dæmones enim cùm dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur: angeli autem procurrunt, &c. Vide hac de re homil. 61. ad popu. Antio.

3 Deterret à vitiis, & ad omnia bona opera inuitat. Hoc docet Chrysost. homil. 61. ad popu. Antioche. Hei mihi, quot ad salutē nobis vię? Nos corpus suum effecit, nobis

nobis suum communicauit corpus, & horum nos nihil à malis auertit. O tenebras, & profunditatem magnam, ô indolentiam. Quæ sursum sunt quærite & sapite, inquit, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens, Colos. 3.

Effectus tres Sacramēti.

Præter hos fructus operātur in nobis hæc sacramenta tres effectus. 1 Christo incorporamur. Nam Christus id circo hoc sacramentum præcipuè instituit, vt ipsi incorporemur, déque remissione peccatorum & futura gloria (si in charitate perseueremus) certi reddamur: vt veluti viuificatrice quadā medicina sanemur, reficiamur, eriga-mur, & consolidemur. Quæ omnia Christus significare voluit cùm dixit, Mat. 26. Accipite & comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Accipite meam carnem in remissionem peccatorū pro vobis traditam, & manducate, in me transformamini, & valedictis omnibus cupiditatibus, in me manete & ego in vobis.

Per sacramentum Christo incorporamur.

Corpus Christi mysticum efficimur per altaris sacramentū.

2 Efficimur corpus Christi mysticū. Nam Paulus 1. Cor. 10. ait, Quoniā vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Mysterium ergo pacis & vnitatis nostræ, vt inquit Augusti. Christus in mensa sua consecrauit. Videant ergo malè viuentes, nocentes proximis, meditantes schismata, quid faciant contra vnitatem corporis Christi.

Charitatis mutuæ incentiuum est idē Sacramentū.

3 Ad mutuam charitatem alendam & colendam accendimur. Nam Chrysost. homi. 45. in Ioan. sic habet, Vt autem non solùm per dilectionem, sed re ipsa in vnam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est, &c.

Eucharistia quomodo communicāda & sumenda.

4 Quartò considerandum, quomodo accedendum ad communicādum. quod docet Paulus. 1. Cor. 11. Quotiescunque enim manducabitis panē hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis donec veniat. Itaque qui manducauerit panem hunc, vel biberit calicē domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autē seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim māducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Idem docet Basilius, qui in summis Moralium 21. sic ait: Communicaturi, fidem in primis habere debent verbis domini dicentis, Hoc est corpus meum quod pro vobis

Communicaturi fidē in primis habere debent.

datur:

datur:hoc facite in meam commemorationem, Luc.22. & timorem concipere ex verbis Apostoli dicentis: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Item Christus Matth. 5. Siquando offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuū ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, &c. Item Achimelech. 1. Reg. 21. qui Dauid petenti panes, cùm alios non haberet nisi panes sanctos, non prius voluit ei dare, quàm diceret, Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? Et respondit Dauid sacerdoti: Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius quando egrediebamur, &c. Sunt igitur necessariæ, fides, probatio (id est confessio) timor, charitas, castitas, & mundities. Qui his virtutibus ornatus altare accesserit, speret se dignè corpus domini sumpturum. Qui verò non credit, aut non confitetur, vel odit, &c. abstineat. Nam iudiciū sibi manducat & bibit, &c.

Communicaturis necessaria.

Exegesis literalis neutiquam hîc omittenda est, in qua audimus docemúrque quid fructus seu vtilitatis ex dígna eius sumptione proueniat. Vnde hîc sciendum est duplicem esse sacramenti huius sumptionem: sacramentalem nimirum seu visibilem, & spiritualem seu inuisibilem. Sacramentalis est externa illa sub panis & vini speciebus, corporis sanguinisque Christi sumptio. Spiritualis verò est fides seu fiducia in meritum corporis & sanguinis domini. Vnde nimirum Augustinus, Quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti.

Sumptio sacramenti duplex sacramentalis & spiritualis.

Iam quoties loquimur de effectibus cœnæ dominicæ, semper spiritualem illam sumptionē sacramētali includimus. Nam citra hanc, spiritualem, inquam, adeò nihil fructus illa operatur, vt planè noxia & dānabilis sit, non quidem per se, sed propter indignitatem seu abusum sumentis. Potest igitur spiritualis manducatio prodesse & salutem operari citra sacramentalē: at sacramentalis sine spirituali nihil prodest. Hinc tamen nemo consequens esse putabit propterea sacramentalem seu externam esse postponendam, imò hoc potius consequēs erit, vtranque coniungendam esse. Alioqui enim quemadmodum non satis

Sumptio spiritualis semper sacramentali includitur.

satis est credere, nisi baptizeris simul: sic quoq; non satis est credere Christū pro te corpus suū tradidisse in mortem, & sanguinem suū effudisse in remissionē peccatorum tuorum, nisi & sacramentaliter simul corpus & sanguinem eius in Eucharistia sumas: hoc est, si liceat, si non necessitas impediat. Certè plus cōfert externa receptio internæ cōiuncta, quàm sola interna sine externa. Quēadmodum & gemmæ quum in medicaminibus terūtur, maiorem virtutē & fomētum adferunt quum in corpus recipiuntur, quàm si ob oculos solùm opponerētur. Propterea, nempe, & partes orthodoxi hoc Euāgelium quod de sacramenti effectibus tractat, de vtraque sumptione simul, & spirituali & sacramētali, scilicet, intellexerunt. Sic dominus inquit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Hic primus fructus est, quòd dignè edens & bibens corpus sanguinémq; domini: hoc est, & sacramentaliter & spiritualiter, sic satiandus sit gratia diuina, vt neque esuriat neque sitiat in æternum. hoc est, nulla gratia ei desit. in nulla re à Deo derelinquatur.

Similes.

Sacramentalis sumptio nō est negligēda, si nulla necessitas impediat.

Similes.

Corporis Christi primus fructus.

Ioan. 4.

Est autē caro Christi cibus, & sanguis eius potus, quia idem spiritualiter in nobis operantur, quod cibus & potus externus corporaliter. Reficiunt enim, confortant, restaurant, voluptatem afferunt, vitam continuant, imò quod in aliis cibis quærimus, nempe, vt non esuriamus, vel vt non moriamur, vel vt voluptatē assequamur, hoc solùm & perfectè præstant corpus & sanguis Christi.

Caro Christi cur cibus & sanguis eius potus dicantur.

Ideò signanter addit, verè est cibus, &c. Primò ad differentiam corporalis cibi, quem siue manduces, siue non, morieris. Hic autem tantùm moritur, qui nō manducat, in æternum autem viuet, qui manducat. Secundò corpus Christi verus cibus est, ad distinctionem eius cibi quem diabolus pollicebatur. Cibus enim ille, cibus fuit mendacij, quia falsum fuit & falsum est quod in cibo illo diabolus pollicebatur. itaque & cum vana promissione datus fuit cibus ille, & vana spe diuinæ similitudinis consequendæ manducatus est. Caro autem Christi verus cibus est, quia verum est quod Christus in eo pollicetur, veráque spes est qua manducatur. Sic & de sanguine dicendum. Sequitur:

Caro Christi verè cibus & verus est.

Gen. 3.

Qui edit meam carnē & bibit meum sanguinem, in me manet,

Corporis Christi secundus fructus est quod dignè sumens Christo incorporatur.

net, & ego in illo. Hic est secundus fructus dignæ sumptionis, manere in Christo, & hunc in se vicissim habere manentem. Hoc est, dignè sumens Christo incorporatur, & vnum fit cum eo, ipsiúsque infirmitates & peccata in sese Christus transfert, & Christi vicissim bona & merita ipsius fiunt, eóque iam nil vltrà satan, peccatum, mors & inferi possunt ipsi incommodare, sed ab omnibus tutus est. Quod quantum bonum sit, vel ex Psal. 90 discere possumus, in quo Dauid non satis exprimere potest, quàm securus sit, qui sub vmbra & adiutorio Dei sedet. Quantò igitur securior & fœlicior est, qui Christum in se habet, & in Christo est? Atque hinc videre licet vnde

Christianorũ victoria & fortitudo cõtra peccatũ, mortem, diabolũ, & mundum vnde proueniat. Psal. 81.

sit tanta Christianorum fortitudo & victoria contra peccatum, mortem, diabolum, & mundum: nimirum quia in Christo manent, & Christum in se manentem habent. Sicut enim Christus quanuis totius mundi peccata in se susceptisset, mórsque & mundus & diabolus eum totis viribus inuasissent, tamen opprimi non potuit: sic nec opprimi potest qui in Christo manet, &c. Breuiter, quod diabolus mendaciter homini, hoc Christus hìc verè pollicetur & præstat: ac si aperte dicat, Si manducaueritis carnem meam, &c. dij eritis, & filij excelsi omnes.

Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui ederit me, viuet ipse quoq; propter me. Qui ederit hunc panem, viuet in æternum. Hic tertius & omnium maximus fructus est, quòd quemadmodũ Christus & Pater vnam eandémque viuunt vitam sic & dignè sumens Eucharistiam, æternam vnà cum Christo vitã victurus sit. Nam qui Christum habet, etiã eius vitã participat. Quis verò iam vel plura vel maiora vnquã cupere queat? Nam oculus non vidit, neq; auris audiuit, neque cogitationes cordis vnquam assequutæ sunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. 1. Corinth. 2. Nihil autem magis in votis nobis est, quàm principum habere gratiam, & diu fœliciter viuere in mundo. Hoc impetrare, fructus nobis videtur omnium præclarissimus. At quantò maiores sunt fructus, summi æternique principis Iesu Christi gratiam habere, in cælis æternùm viuere? Etiam si tandem contingat vt princeps aliquis nos fauore complectatur, non tamen is fauor durat diu. Verùm qui Christi principis

Fructus tertius & omniũ maximus corporis Christi.

fauorem

fauorem nactus est, is patronum habet & constantem & perpetuum, simul potentem, simul misericordem. Sic & si detur aliquãdo viuere fœliciter diu, nihil tamẽ solidi subest: sed est illa fœlicitas potius infœlicitas: illa vita diuturna, perpetua mors. At cælestis fœlicitas, æternáq; vita, sola & fœlix & perennis est. Vnde & manna de quo patres gloriabãtur, nequaquam comparandum est huic cibo. Nã è tanto numero ne vnus quidem remansit, imò plerique etiam quo ad animam mortui fuerunt. Caussa verò fructus huius, carnis & sanguinis Christi viuifica vis est. Quum enim ipse sit iuxta diuinitatẽ vita, quúmque caro & sanguis ipsius cum diuinitate vnita sint, habent & hæc propter vnionem illam viuificandi vim. Et quemadmodum (ceu d. Cyrillus inquit) cera ceræ liquefactæ infusa, vna cera cum illa fit: ita & is qui carnem & sanguinem domini recipit, vnum fit cum illis, quúmque caro & sanguis Christi sit ipse Christus, fit recipiens vnũ prorsus cum eo: hoc est, particeps fit omnium quæ Christus habet: & Christus cõtrà quę illius sunt, pro suis ducit: vnde cõsequitur nimirũ, ipsum in se recipere & peccata nostra & nostras infirmitates, & sua vicissim communicare nobis merita, suã communicare hęreditatem.

Mãna panis vitæ nõ est comparandum.

Caro & sanguis Christi propter vnionẽ cũ diuinitate, viuificandi vim habent. Simile.

EXHORTATIO.

Agite itaque fratres, cùm tãtis omnino fructibus scateat digna corporis sanguinisque domini sumptio, libenter posthac & sacramentaliter & spiritualiter communicemus: cum primis tamen & subinde spiritualiter: hoc est, fide firma credamus Christum pro nobis incarnatum, crucifixum & exuscitatum esse, sanguinéque suo nos lauisse à peccatis, & reconciliasse Deo Patri. Sed & viuamus propter ipsum, quemadmodum ipse propter Patrem vixit: Hoc est, quemadmodum ipse Patri obediens fuit, & huius per omnia executus est voluntatem, sic & nos nostro benefactori sumus grati, morigeri, conformes: porrigamúsque ipsius exemplo etiam nostram carnem edendam & sanguinem nostrum bibẽdum proximis: hoc est, charitatis officia erga fratres & sorores declaremus, impẽdamus ipsis & bona & propriã vitam.

Spiritualiter communicare quid sit. Viuere propter Christum quid sit.

EPILOGVS.

1 *Cõsiderare imò et credere hìc oportet, quòd Christus de ca-*

lo descenderit, & Deus sit: alioqui impossibilia videbuntur quæ hactenus dixit. Hic enim est fructus ligni vitæ, quod hoc tempore Deus in medio Ecclesiæ plantauit, Gen. 2. Hinc in Apoc. 2. dicit, Dabo ei edere de ligno vitæ, &c. Christus enim verè est lignum vitæ his qui apprehenderint eum: et ideò qui tenuerit eum, beatus erit, & est, Prouerb. 3.

2 *Christus panis effectus est, hoc est, quòd bona sua nobis cõmunicare vult, imo seipsũ, ac planè nobis cõmiscere et vnire.*

Deut. 4. 3 *Beneficia multò maiora iã nobis præstitit Christus in lege gratiæ quàm patres habuerũt in veteri testamẽto. Nõ est enim aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ ita habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster: qui & in futuro summa & maxima se daturũ pollicitus est, hoc est, ipsam beatitudinem, & vitam, non iam in spe, sed in re.*

IN DIE IOANNIS BAPTIstæ, Epistola.

Isaiæ 49. *Hæc dicit dominus: Audite insulæ, & attendite populi de longe, &c. Finis Episto. Qui elegit te.*

LEctio hæc prophetica cõplectitur quatuor, quæ & si litera tenus personæ diui Ioannis plerunq; cõueniat, in neminem tamẽ verius cõpetit, quàm in filiũ Dei Iesum Christum, quem Ioannes prænuntiauit. Primo igitur loco agit de natiuitate domini, cùm ait, *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Quibus verbis declarat se nõ fortuitò & casu obiter incidẽte humanitatẽ assumpsisse nostrã, ac natum esse, sed ab æterno huc à Patre esse prædestinatũ & vocatũ. Quia enim ante conditũ mũdum prænouerat Deus lapsurũ hominem, ab æterno etiã concluserat filium humanitatem assumpturum, & redempturũ illum. Ob id quoque antequã is nasceretur, cùm adhuc in matris esset vtero, nominis ei recordatus est, statuens, pérq; angelũ suum promulgãs, Iesum ipsum vocandum esse, quòd nimirum seruaturus populũ esset suum à peccatis, Luc. 2. Matt. 1. Hunc etiam Deus verè ab vtero vocauit, hoc est, filiũ suum esse testatus est: iuxta illud, Ex vtero ante luciferũ genui te, Psal. 109. Et Psal. 2. Dixit dñs ad me, filius meus es tu: hodie genui te. Quemadmodum & in Euãgelio de nostro Iesu ipsissimo

Filius Dei & humanitatẽ nostram assumeret ab æterno à Patre prædestinatus & vocatus.

(ipsissimo, nempe, messia) bis testificatus est: Hic est, inquiens, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, Matth. 3. & 17. Huius quoque verè nominis recordatus est dominus de ventre materno, imò longè ante cõceptionem, dum, scilicet, prædixit vocandum illum Immanuëlem, & Deum iustũ nostrum, Isa. 7. Iere. 21. quemadmodum & angelus quum missus esset ad Mariam, ante ipsam etiam Iesu conceptionem iusit vocari nomen eius Iesum, Luc. 1. Matth. 1.

Nomẽ filij Dei longè ante conceptionẽ præordinatũ.

Quæ verba litera tenus personæ diui Ioannis etiam conuenire possunt. Nã hunc Deus vocauit ab vtero, dum illum (iuxta angeli prænuntium) spiritũ sancto iam inde ab vtero matris eius repleuit, Luc. 1. Huius quoque recordatus est dominus de matris vẽtre nominis, dum illum voluit vocari Ioannẽ, antequã conciperetur, Luc. 1.

Ioãnes ab vtero vocatus & nominatus.

2 Secundò agitur de doctrina & vita domini, cùm pergit dicere: *Posuit os meum quasi gladiũ acutum, in vmbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittã electã, &c.* Quibus verbis innuit Seruator noster, primò doctrinã suam veluti ensem fore efficacẽ, & penetrabilem in hominum cordibus. Quod sic verè esse postmodum Baptistę de ipso probauit testimonium, dicentis: Cuius ventilabrum in manu ipsius, & repurgabit areã suam, & congregabit triticũ suum in horreum, paleam autẽ exuret igni inextinguibili, Matt. 3. Et illud Malach. 3. Quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et illud Isa. 11. Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Deinde innuit vitam suam fore cõstantem, rectã, & numeris omnibus absolutam, quemadmodum sagitta recta esse solet, Isa. 53. 1. Petr. 2. Hunc quoque Deus sub vmbra manus suæ verè protexit, posuítque sicut sagittã electam, & in pharetra sua abscondit: iuxta illud Ioann. 12. vbi Pater inquit: Et illustraui, & rursus illustrabo, (subaudi) re. Et illud Pauli Colloss. 1. Iesus Christus est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primas tenens: quoniam in illo complacitũ est Patri vniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum cuncta reconciliare erga, &c. Quo ad personam Ioannis, posuit etiam Deus os eius quasi gladium acutum, dum

Doctrina saluatoris ense efficacior & penetrabilior.

Vita saluatoris constans, recta & instar sagittæ abſoluta.

Os Ioãnis Bapt. qua-

Si gladius acutus.

dedit illi vim & gratiam vt præcederet ante Messiam cum spiritu & virtute Heliæ, multos filiorum Israël sua prędicatione conuerteret ad dominum Deum ipsorum, conuerteret corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam iustorum, pararétque sic domino plebem perfectam. Luc.1. Matth.3. Marc.1. Ioan.1. & 3. Hunc sub vmbra quoque manus suæ porrexit, posuítque sicut sagittam electam, & in pharetra sua abscondit, dum magnum ipsum fecit corá se, dum manus sua erat cum eo, dúmque ipsum & Pharisæis Zaduceísque & populo Israëlitico fecit venerabilem.

3 Tertiò de contemptu domini, ac ipsius passione fit mentio, cùm ait: *In vacuum laboraui, sine causſa & vanè fortitudinem meam consumpsi: ergo iudicium meum cum domino, & opus meum cum Deo meo.* Quibus verbis significat, quãtumlibet & doctrina & vita omnibus, præsertim populo Iudaico, inseruierit, se tamen nihilominus ab illis contẽptum ac spretũ esse, adeóq; morte turpissima affectum, ita vt omnis suus labor, omnis doctrina, omnis adhortatio veluti in vanum abierit: cuius quidẽ summæ & ingratitudinis & malitiæ Deũ facit iudicem. 1. Petr. 2.

Cõtemptus filij Dei apud Iudæos.

4 Quartò de redemptione tam gentiũ quàm Iudæorũ per ipsum facta agit, ac ita progreditur: *Et nunc hæc dicit dominus, formans me ex vtero seruũ sibi, vt reducã Iacob ad eũ, & Israël non cõgregabitur, et glorificatus sum in oculis domini, & Deus meus factus est fortitudo mea: & dixit, Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israël conuertendas: Dedi te in lucem gentium, vt sit salus mea vsque ad extremum terræ, &c.* Quibus verbis indicat, etsi doctrina nõnullis ingratis fuerit contempta, licet etiam passio ipsius ignominia ignominiosissima habita sit, vtranque tamen & fuisse & esse summè frugiferam, vtilem & necessariam. Nam iis tũ conuersos tum saluatos esse innumeros tam ex Gentibus quàm Iudæis ostẽdit: & quanquam hostes sui ipsum prorsus voluerint æternis tenebris adiudicatum, se tamen perinde esse & manere æternam omniũ electorum lucem, sempiternã totius mundi salutẽ. Vnde verè etiam iuxta humanitatem seruus fuit domini in Israël, in quo gloriaretur. iuxta illud Paulinũ Rom. 15. Iesus Christus minister fuit

Doctrina et passio filij Dei fugifera, vtilis & necessaria.

Iesus iuxta humanitatẽ seruus domini i Israël

circũcisionis pro veritate Dei, ad confirmãdas promissiones patrum. Vnde & dominus ipsemet in Euãgelio ait: Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israël, Matth.5. Sed idem tamẽ & in lucem gẽtium à Deo datus est in salutem vsque ad extremum terræ, iuxta illud Simeonis, Lucæ 2. Viderunt oculi mei (Iesum) salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorũ, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuę Israël. Et illud Pauli Ephes. 2. Veniens Christus Iesus euangelizauit pacem vobis (gentibus) qui procul aberatis: & iis (Iudæis) qui propè: quoniam per illum habemus aditum vtrique in vno spiritu ad patrem.

Iesus lux gentium à Deo datus.

Ne hîc Ioannem prætereamus, dedit etiam Deus hũc in lucem gentium, dum ille non Iudæos solùm, sed & homines gentiles, publicanos nimirum ac milites ad pœnitentiam & fidem adduxit. Luc.3.

Ioannes etiam in lucem gentium datus.

Christum denique & reges verè viderunt, principésque consurrexerunt, atque adorarũt propter dominum Deum eius: nõ soiùm nimirum in hoc, quòd à Magis & quæsitus & adoratus est puer, verùm etiã quòd per prædicationem Apostolorum suorum innumeros reges & principes regionésque suaui sub iugo subdidit.

Christus reges et principes sub iugo subdidit.

Sic effecit denique dominus, vt & reges ac principes viderent Ioannem atque adorarent propter dominum, dum rex Herodes ipsum & seruabat & libenter audiebat, auditóque eo multa faciebat, Marc. 6.

Ioannem reges venerati sunt.

Restat iam, vt quãdo seruator noster sic omnibus redimẽdis homo factus sit, docuerit, miracula ediderit, contemptus sit, passus sit, resurrexerit: huiusmodi summa beneficia in ipso etiã agnoscamus, cóque ipsum laudemus, extollamus, gratiarũ actionibus veneremur, ore, corde, vita: necnõ eundẽ ita à patre condecoratũ ex animo veneremur, audiamus, sequamur: quò & ipsi sub vmbra manus eius protegamur, in pharetra eius abscondamur, luce eius illuminemur, & salute eiꝰ æternũ pfruamur. Amẽ.

EPILOGVS.

1 *Bonitas & amor Dei erga genus humanum prædicatur, qui post vocationem reliquiarum Israël, & abiectionem populi in incredulitate permanentis, Ecclesias de gẽtibus veluti de vltimis insulis congregat.*

2 *Ecclesia persequutorum insidiis quasi maris fluctibus patet, & ex omni parte sæuiente naufragio tunditur, sed non submergitur, habens protectorem Christum Deum, Luc. 22.*

3 *Christus datus est in lucem gentium, & vt sit salus ad extremum terræ, ita illuminat vniuersum mundum prædicatione Ioannis Baptistæ, qui erat lucerna ardens & lucens, Ioan. 5. & Apostolorum, vt & reges & principes quorum cor in manu Dei est, eum adorent.*

IN EODEM DIE SACRO

Euangelium.

Luc. 1. 1. Pet. 24.

Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, &c. Finis Euangelij: Benedictus dominus Deus Israel: quia visitauit et fecit redemptionem plebis suæ, etc.

Conceptionis Ioannis modus.

HOc Euangelium complectitur duo. Primò historiam Ioannis, quomodo sit,

1 Conceptus. Sic enim ait Lucas, *Zacharias & vxor illius Elizabeth erant iusti ante Deū, incedentes in omnibus mādatis & iustificationibus domini sine querela, & nō erat illis filius: eò quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cū sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, &c. Apparuit autem illi angelus domini stās à dextris altaris incēsi, &c.* Nam angelorum partes sunt, piorum preces ad cæleste numen perferre, & rursus illius

Angelorū partes sūt piorum preces ad deū perferre, &c.

munificētiam ad nos deferre, Tob. 12. *Ait autē ad illum angelus, Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannē, &c.* Hic obseruabimus encomiū

Encomiū parentum Ioannis.

parentū Ioannis. Fuerunt enim ex ordine sacerdotū, ex populo Dei, ex tribu Leui. Fuerūt pij, iusti, inculpatè vixerant, omnibus probati, atq; nō paucis, sed multis iam

Progenies Ioānis Baptistæ illustris.

annis in mandatis & iustificationibus domini processerant. Docemur hinc veram & certam Ioannis Baptistæ progeniem: nempe, ex sacerdotali genere, ex parētibus claris, ex tribu illustrissima. Deinde mādata atque præcepta Dei esse iustificationes hominum, quę verè homines iustificant ante Deum: quanuis hæretici nostri tēporis

ris cōtra spiritū sanctum prę sumant contrarium dicere.

Erat his hominibus sanctis imposita crux sterilitatis, quæ nota erat inter Iudæos summæ damnationis & reiectionis. Nam apud Iudæos vt magnifica quædam res habebatur matrimonij fœcunditas, ita sterilitas cum primis erat in probro, & inter prę cipua vitę mala numerabatur. Nondum enim didicerant carnales Iudæi, spiritualem populum esse, quem Deus cælesti generatione vellet semper in maius propagari. nondū audierant esse beatos, qui se castrassent propter regnū cę lorum. Ea res grauiter diseruciabat animos eorum, sed præcipuè Elizabeth, quæ iam probroso cognomine vulgò sterilis vocabatur. Auxerat prolis desperationem, vtriusque senectus. Prouectæ ætatis erant ambo tam corpore quā anima. Sed consolati sunt pij coniuges promissione generali de futuro Messia, & singulari de Ioāne filio suo domini præcursore, cū dicitur, *Exaudita est deprecatio tua, & vxor tua pariet tibi filiū, & vocabis nomen eius Ioannē.* quasi dicat: Petisti redemptorem, accipies & redemptoris præcursorem. Diuinitus quippe factum est, vt sterili matre, & vtroque parente prouectioris ætatis, Ioannes nasceretur, quatenus etiam ipso ortus miraculo patesceret virum magnæ virtutis futurum qui nasceretur.

Exod. 23. Fœcunditas matrimonij apud Iudæos magnifica habebatur sterilitas vero inter præcipua vitæ mala reputabatur.

Zacharias et Elizabeth dupli ci promissione consolati sunt.

2 Quo ad historiam ostēditur quo modo sit natus. Sic enim Lucas ait, *Elizabeth impletū est tēpus pariendi: et peperit filiū. Et audierunt vicini et cognati eius quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabātur illi.* Hic obseruabimus doctrinā de veritate Dei in implendis promissionibus. Fiunt enim quæ prędixerat angelus. Promissiones nanque seu verbum domini minimè possunt mētiri, & omnia apud Deum sunt possibilia. Promiserat enim nūtiauerātque dominus per angelum Zacharię, vxorem ipsius Elizabetham parituram ei filium. Hanc ergo promissionē hic per omnia impleuit, nato re vera Ioanne, neque obstitit interim neque Zachariæ incredulitas, neque Elizabethę innata sterilitas, & prouectius ad hæc senium. Nam constantior est dominus in promissis, quàm vt incredulitate aliquorū ea euacuare sinat. Vnde & Paulus Ro. 11. Dona (inquit) & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorum pœnitere illum

Natiuitatis Ioannis modus.

Promissiones et verbum domini non possunt mentiri.

Nihil natura & mũdo tam est impossibile quod nõ deo longè sit facillimum.

non possit. Item. 2. Timoth. 2. Si nõ credimus (ait) Deus tamen manet fidelis: seipsum negare non potest. Ad hęc verò nihil contrà naturę & mundo tam est impossibile, quod non Deo lõgè sit facillimum. Admoneamur ergo hîc, vt quàm constantissimè diuinis oraculis & promissionibus nitamur, quantumlibet etiam naturæ, & totius mundi iudicio aduersari videantur: nec quid occurrat nondum impletum, quod non firmiter credamus suo tempore implendum.

Roma. 4.

Cõiugij sacramentũ deo placitũ ostẽditur.

Obseruabimus hîc quoque doctrinam de coniugio, quòd sit sacramentum, quódque Deo placeat: aliâs illud hac reuelatione non ornasset, Heb. 13. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Habet itẽ & suum meritum apud Deum honestas & castitas connubij, habet & suam promissam mercedem synceritas fidei. Elizabeth nanque filia fidelis Abrahæ, ibi credens vbi credulitatis nulla fuit naturalis ratio, fidei suæ & casti coniugij præmium sustulit, prophetam magnum enixa in gaudium totius orbis. Ecce sic benedicetur homo qui timet dominum, Psal. 127.

Honestas, et castitas cõnubij habet suũ meritũ apud deũ et syn ceritas fidei suam mercedẽ.

Genes. 15. Rom. 4.

Considerandum est etiam tempus Ioannis. Venit enim inter testamentum (Matth. 11.) vetus & nouum, vtrunque prædicans, vbi dicit Matth. 3. Genimina viperarum, quis docuit vos, &c. Item ibidem: Ego baptizo vos in aqua, &c. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Ioan. 1. Sequitur ergo quòd semper fuit necessaria pœnitentia ad iustificationem: siquidem Ioannes pœnitentiam, non solam fidem prędicauit. Illa est concio Euangelica, quæ legem & Euangelium continet, id est, timorem pœnæ & amorem iustitiæ Christianis annuntiat. Vtrunque prædicauit Ioannes, vtrunque etiam Christus, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 3.

Ioãnes inter vetus et nouũ testamentũ venit.

Pœnitẽtia sẽper fuit necessaria ad iustificationem.

Nec hoc prætereundum, vicinos & cognatos Elizabethæ, vbi domini misericordiam erga ipsam audiuissent, venisse ac gratulatos illi esse. Hic locus hortatur nos ad charitatem, vt præcedẽs ad fidem, vt nimirum & nos vicinorum cognatorúmque exemplo, proximorum siue fœlicitate siue miseria tãgamur: ideóque (iuxta verba Apostoli Roman. 12.) gaudeamus cum gaudentibus, & ploremus cum plorantibus. Nam omnes vicini, cognatique

Charitatis est, proximorũ siue fœlicitate siue miseria tangi.

gnatique mutuò, imô & vnius corporis membra in Christo sumus.

3 Quod historiã concernit, ostenditur quomodo Ioannes sit circumcisus. Sic enim ait Lucas: *Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum.* vt pusio in lege natus, secundũ legem circumcideretur, quæ erat (Gen. 17.) Infans octo dierum circuncidetur. Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, eo quòd pactum meum irritum fecit. Et cognati suspicantes id patrem velle, quod vulgo solet esse gratissimum, *Vocabãt eum nomine patris sui Zachariam.* Mater ergo quòd à marito discere non poterat, eo quòd elinguis esset, qui & solet esse author imponẽdi nominis, spiritus sancti afflatu docta, respondẽs dixit, *Nequaquã, sed vocabitur Ioannes.* Econtra cognati, eo quòd in prole soleat per inditum nomen vel patris, vel proaui, aut patrui, vel alicuius memoria renouari, dixerunt ad illam: *Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine*, scilicet Ioannes. *Innuebant autẽ patri eius quem vellet vocari eum.* Ex quo obseruandũ occurrit, summã in matrimonio apud maritum authoritatẽ esse, eóq; huius iudicium omnium maximè expectandum. Caput enim mulieris vir est, Ephes. 5. *Et postulans pugillarem scripsit dicens, Ioannes est nomen eius.* Per quod innuitur iussum domini præponẽdum esse omni affectui & iudicio humano: Deinde decere pium maritum, vt si bene sentiat vxor, eius sententiæ libenter subscribat, neque ob suam authoritatem illius dicta aspernetur. In tribus enim beneplacitum est spiritui meo, inquit, quę sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, amor proximorum, vir & mulier sibi bene consentientes. *Et mirati sunt vniuersi*, quòd placeret nomen nouũ, & quòd inter patrem mutum & matrem de nomine conueniret, videntes in processu negotij miracula miraculis iungi, tótque insolita fieri.

Ioannes in legenatus, secundum legem circuciditur.

Authoritas summa in matrimonio apud maritum est

Vir & mulier sibi mutuò consentire debẽt.

Eccles. 25.

Hic primo obseruabimus: Quod Circuncisio erat in veteri lege: hoc nũc est baptisma. Sicut ergo summa cum diligentia hunc puerum octo dierum vicini & cognati obtulerunt circuncisioni per quam saluabantur: ita & in noua lege adducendi sunt pueri à patrinis & cognatis ad baptisma, vt tanquam vera membra inserantur capiti

Baptisma nunc est quod olim erat circuncisio.

Pueri à patrinis et co

Infantes ad baptismum adducendi sunt.

Christo, qui ait, Sinite paruulos venire ad me. talium est enim regnum cælorum. Vnde nobis nihil cum legali circuncisione cui baptisma successit. Nam iuxta Paulum, si circuncidamur, Christus nihil nobis proderit, Galat. 5. Sed solùm spiritualis debitores sumus, Colos. 2. Deut. 10. Circuncidite præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius.

Marc. 10. Luc. 18.

Consuetudo apud Iudæos erat in circuncisione pueris suis indere nomina.

Obseruabimus item consuetudinem Iudæorum, qui pro euentu rerum in circuncisione (non ante) suis liberis nomina imponebant. Sic Ruben dictus est, quasi filius visionis, Genes. 29. Simeon dictus est quasi exauditio, Ibidem. Beniamin dictus est filius doloris, Genes. 35. Manasse dictus est quasi obliuio, Ibid. cap. 41. Ephraïm dictus est quasi crescens, Ibid. Sic & hic filius Elizabeth, orta contentione, non pro libitu parentum, sed diuino oraculo vocatur Ioannes, id est, Dei gratia, gratiosus: quòd tum instaret tempus gratiæ, quódque ille primus huius gratiæ præco futurus erat, adeóq; & ipsum gratiæ omnis fontem Iesum Christum suis digitis demonstraturus. Gratiosa enim fuit piis de Christo eius prædicatio: qui iam erat præsens mundo. Non vocatur Zacharias, id est, memoria domini. nam hoc per legem etiam fit. Hic est notandum contra hæreticos nostri temporis, qui clamant, nihil in Ecclesia tentandum, quod expresso Dei verbo non sit mandatum. Nulla erat scriptura quæ dicat Iudæis, in die circuncisionis nomina imponenda filiis: tamen ex pia sanctáque consuetudine id faciebant & obseruabant. Reprehendant igitur Zachariam, Elizabeth, & alios patriarchas qui hoc fecerunt. Reprehendât & apostolos, qui sine expresso Christi verbo vestes asinę cui Christus erat insessurus, imposuerunt, Matth. 21.

Ioānes interpretatur Dei gratia seu gratiosus.

Consuetudines piæ & sanctæ in Ecclesia nō sunt obliterādæ, tametsi etiā ex presso Dei verbo non mandētur.

Fides quātum possit & impetret.

Ad hæc verò Zacharias pater antè mutus, circa Ioannis natiuitatem, & in circuncisione præsertim, recepit loquelam, & loquutus est laudans Deum. In quo videmus quantum possit impetrétque fides. Propter incredulitatem amiserat Zacharias loquelam: vbi verò contrà credidit. Deíque obediuit verbo, loquelam recepit. Ambros. Soluit fides linguam, quam incredulitas ligauerat. Nemo ergo desperet, nouit dominus mutare senrētiam, si tu noueris emendare delictum, non enim irascitur in finem

finem. Ierem. 18. Si pœnitentiam egerit gens ista à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei. Atque hæc fides laudationem quoque domini in Zacharia operata est. Nec enim eum silere à laudibus decebat, qui verbi præconem sibi natum gaudebat.

Vnde nec solùm admiratio, sed & stupor quidam & horror ex tot tam insolitis miraculis peruasit omnes vicinos, videntes virum tam iustum ob incredulitatem percussum, & miracula miraculis iungi circa puerum. Sic tremuere Solymitani visis tot miraculis per manus apostolorum editis, Act. 2. Ecclesia sic obstupuit Anania cum vxore sua percusso, Act. 5.

Miracula Dei & piorum facta, ad Dei honorem & proximorū ædificationem diuulganda.

Sed & hæc omnia rumore sparsa sunt, non iam per cognatos tantùm & vicinos, verumetiam per vniuersam illam Iudææ regionem, quæ montana dicitur. Quo decemur, non contemnenda esse nobis Dei miracula, & piorum facta, sed maximi facienda, & diuulganda ad Dei honorem, & proximorum ædificationem. Tob. 12. Secretum regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare honorificum est. Item cap. 13. Confitemini domino filij Israël, & in conspectu gentium laudate eum, quoniam ideo dispersit vos inter gentes quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius.

Natiuitas Ioannis miraculis plena.

Tandem ex his omnibus præludiis ingens de puero Ioanne orta est apud cunctos existimatio, expectatióque. Colligebant enim natum puerum olim magna & inaudita patraturum, cuius conceptus & natiuitatis iam tot insigniretur prodigiis. nam sterilis ex sene concepit: mutus factus loquitur: mater prophetat de nomine, pater de Deo & prole: & volutantes animo, quis tantorum prodigiorum esset exitus futurus, dicebant, *Quisnā puer hic erit? etenim manus domini est cum illo.* Sic autem dominus illustrare voluit Ioannis natiuitatem, vt authoritatem ei apud omnes conciliaret, quò citius apud omnes inueniret fidem in sequutura prædicatione. Sed cur ita? Vt nimirum omnes per illum & illius testimonium agnoscerent amplecterentúrq; filium suum Iesum Christum, & sic per hunc saluarentur. Nam hic & scopus & finis est vnicus.

Omnia

Universidad de Deusto Biblioteca

Omnia circa Ioannem plena sunt miraculis. Nam conceptio & natiuitas ab angelo annuntiatur: nomen cælitus annuntiatur: ex sterili nascitur: pater ob incredulitatem fit mutus: mater prophetizat: in eius natiuitate multi congratulantur: vicini & cognati admirantur: pater Zacharias spiritu sancto repletus hymnum canit: mirabiliter in deserto in summa temperantia vixit: cibus ipsius mel & locustæ: vestimēta ex pilis camelorum: prædicabat pœnitentiam: monstrabat Christum digito: baptizabat Christum: & ab Herode tandem propter Herodiadem captus, in carcere decollatur.

Canticum Zachariæ.

Liberalitas diuina, quæ ablata in duplum restituit.

Secundò complectitur hoc Euangelium Canticum Zachariæ, *Benedictus dominus Deus Israël, &c.* Nam Zacharias repletus est spiritu sancto, & prophetauit. In quo immensitas diuinæ liberalitatis ostenditur, quę ablata in duplum restituit. Loquendi facultatem reddidit, & prophetiam superaddidit. Sic Salomoni sapientiam postulanti ad regendum suum populum, dedit illam, necnon diuitias & potentiam contribuit. 3. Reg. 3.

Ordo disciplinæ exigit vt mulier pauca loquatur, & magis velit discere quā docere.

Item hic notandum quòd Elizabeth impleta spiritu sancto prophetauit, sed paucis, & in domo: Zacharias verò multis verbis vsus est in prophetādo, siue prædicando: quia ordo disciplinæ exigit, vt mulier pauca loquatur, & magis velit discere quàm docere. vnde Apostolus 1. Cor. 14. dicit, Mulieres in Ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui, &c. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Et 1. Tim. 2. Mulier in silentio discat cū omni subiectione: docere autem mulieri non permitto.

Iterū hic rectus est ordo, vt prius repleatur spiritu sancto, & pòst prophetizet. Act. 2. Repleti sunt spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis apostoli, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Vt ergo omnia redundarent miraculis, & gaudiis affluerent, Zacharias totus afflatus Spiritu sancto, prorupit in hūc hymnum gratulabundū, membrū per quod peccauerat, Deo consecrans. Rom. 6. & ait, *Benedictus dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionē plebis suæ, &c.* In quo tria facit. 1 Ostendit misericordem Deum post longā expectationem populum suum tandem visitasse, & regnū Ecclesiæ suæ in hoc mundo

Misericors Deus post lōgam expectationem populum suum visitauit.

mundo ad id vsq; tēpus quasi occultatū, iam palàm non in Iudæa tantū, verumetiā in vniuerso mundo incepisse, secundum diuinā suam promissionem patribus factam.

Ostendit regnum ab origine mūdi promissum deum per suā sitationem & redemptionem aut spicaturū.

Ostendit autem claris verbis tria, scilicet 1 Quomodo hoc regnū quod ab origine mundi promiserat sese erecturum, quódque tandiu in certis familiis atque prouinciis collocauerat, modò sit auspicaturus: nempe per suam visitationem & redemptionem. Baruch 3. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ab eo. hic adinuenit omnem scientiam & omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Psal. 110. Redemptionem misit dominus populo suo. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, &c. Venit filius hominis quærere & saluum facere, &c. Apocal. 5. Redemisti nos Deo in sanguine tuo.

Regnum Christi in domo Dauid & in populo Israel inchoatum.

2 Qua parte mundi, & in qua gente regnū hoc inchoauerit: nempe in domo Dauid, & in populo Israël. Psalm. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Quibus armis & insigniis Christi regnum constet.

3 Quibus armis & insigniis: videlicet cornu salutis. Vocat autem regnum Christi, cornu, quòd concione Euangelij quasi classico cōuocet populum. Sicuti enim cornu Iubilei annuntiabat singulorum possessiones esse liberas, & ad possessores priores redituras: sic cornu Euangelij prædicat omnibus credentibus in Christum remissionem peccatorum, & gratiam spiritus sancti: cuius virtute nos qui eramus possessiones Dei, & per peccatum facti sumus possessiones diaboli, peccato per passionem Christi sublato, sonante cornu salutaris Euangelij redeamus ad primum nostrum possessorem, scilicet Deum.

Regnum Christi cur cornu vocetur.

Primus omnium hoc cornu cecinit Baptista. Hoc cornu iussit Christus apostolos per vniuersum orbem insonare. Hoc personant Apostolici prædicatores in Ecclesia Romana, eadem annuntiātes quæ olim apostoli, quæque ipse Christus. Qui ipsos audire recusat, Christū reiicit, Luc. 10 Vocat regnum Christi cornu salutis, quia Euangelium est potētia Dei, ad salutē omni credenti, Rom. 1. Alia regna suos habēt titulos à potētia, diuitiis, prouinciis: sed regnum Christi sortitur nomē à salute. est enim regnū iustitiæ, & æternæ salutis. Alia regna sunt infirma

Regnum Christi cornu salutis.

& cad

& caduca: Christi regnum æternum & salutare: quod hic oritur in fide & charitate, illic verò perficitur in potentia, comprehensione & gloria. Danie. 7. Potestas eius potestas æterna, & regnum eius quod non corrumpetur. Isa. 9. Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in sempiternum.

Regnum Christi qualesit, & in quo consistat.

2 Indicat quale sit regnum Christi, & in quo consistat: nempe in misericordia Dei, quia sine vllis nostris meritis Christus regnum hoc instituit. Ideo Zacharias ait, *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Item Paulus Tit. 3. Apparuit benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei, nō ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed, &c. Consistit etiam in sanctitate & iustitia, quia eramus captiui, & Christus nos liberauit, nō vt libertatem iactantes, legem spiritus reiiciamus, sed *vt sine timore* inordinato, carnali & seruili, *de manu*, id est, potestate *inimicorum nostrorum liberati* visibilium & inuisibilium, *seruiamus illi in sanctitate*, id est, reuerentia erga eum. Leui. 20. & Deut. 18. *& iustitia* (quæ communis est virtus, omnem complectens virtutem) *coram ipso*, non coram hominibus tantùm vt hypocritæ, recta scilicet intentione & attentione, *omnibus diebus nostris*. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, Matth. 10. & 24. Iustitia ergo nostra, & verè nostra, non tantùm fide apprehensa, sed etiã sanctis actionibus comparata, est nobis necessaria ad salutem.

Insignia regni Christi.

Habet hoc regnum Christi, sceptrum & gladium. Apocal. 1. habet arma, potestatem clauium: præter hæc, orationem fidei. Ephes. 6. habet vestem curialem, crucem & tentationes. Ro. 1. habet symbolum, sacramenta septem: habet stipendium, vitam æternam, quæ merces est operum bonorum.

Ioānes præcursor Messiæ, & ad salutis susceptionem præparator.

3 Reddit nos certiores de hoc regno Christi, & filium suum Ioannem dicit esse præcursorem Messiæ, & iam adesse, & vocat eum prophetam: quod nomen non nisi excellentibus & summis donis Dei præditis conuenit. Ait enim: *Tu puer propheta altissimi vocaberis.* vnde Mat. 21. Omnes habebant Ioannem sicut prophetam. *Præibis ante faciem domini parare vias eius.* Quia præparauit animos

mos hominū ad tantæ salutis susceptionē, ne si aduentus ille mentes hominū oscitantes & auersas inueniret, oblata salus auerteretur in cumulum exitij. Sequitur, *Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum.* Subaudi, præibis. Nam Ioannis prædicatio fecit vt intelligerent instare salutem, idque in remissionem, id est per remissionem peccatorum. Non ait ergo, ad dandam salutem, sed scientiam salutis. Nam Ioan. 1. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Suo enim baptismo, suáque prædicatione effecit, vt intelligerent sese peccatores, & scirent sibi opus medico, ac cognoscerēt iam adesse eum, qui solus omnium, omnibus per fidem Euangelicam largiturus sit salutem æternam, videlicet gratuitò condonatis peccatis. Remissio ergo hæc prouenit ex visceribus misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, hoc est, Iesus Christus. Nam vir oriēs, nomen eius, Zacha. 6. Perieramus siquidem, nisi ille pro sua genuina bonitate misertus esset nostri, nisi ille veluti sol quidam cælitus nobis exortus, dispulisset tenebras ignorantiæ nostræ, profligasset peccatorū caliginem, ac frigida corda suæ charitatis accendisset igne. Psal. 18. A summo cælo egressio eius. Sequitur: *Ad illuminādos eos qui in tenebris* (ignorantię, erroris, & infidelitatis, Ephe. 4.) *& vmbra mortis*, (hoc est peccato) *sedent. Ad dirigendos pedes nostros in viā pacis.* Venit igitur non tantùm vt remissionem peccatorum conferat, verùm etiam vt illuminet omnes credentes. Nam est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. de qua Isa. 9. & 42. agitur: & vt dirigat pedes nostros, id est affectus nostros, in viam Euangelicam, quæ via est pacis, quæ per fidem & charitatem humana diuinis conciliat, dirimens inimicitiam quę erat inter Deum & hominē. Nam nisi ipse direxerit, semper erunt obliqui: nisi det gratiam, semper affectus nostri erunt peruersi. Beda: Direxit gressus operum nostrorum, quatenus per viam veritatis quam monstrauit, incedere, atque ad mansionem perpetuæ pacis posimus intrare, quam promisit Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.

Baptismus & prædicatio Ioannis quid effecerint.

Remissio peccatorū ex visceribus misericordiæ Dei prouenit.

Iesus Christus sol oriens.

Sol iustitiæ Christus in quem finē cælitus nobis exortus.

Prædi

NOTATV DIGNVM.

Angelus quare prædixerit Zachariæ multos in natiuitate Ioannis gauisuros.

Prædicit angelus Zachariæ quòd multi in natiuitate Ioannis gaudebunt: Ne existimemus hoc ideo dictum, quasi conceptio Ioannis fuerit supernaturalis, vel quasi ipse aliquam diuinitatem ex se in sese contineat, quàm alij non habent: sed illud dixit angelus propterea quòd ipse futurus erat paranymphus atque præcursor Christi. Ipse erat baptizaturus Christum, & digito demonstraturus. Ideo dicit angelus quòd multi gaudebũt iam eum esse natum, qui non tantùm annuntiet, verùm etiam digito commonstret Christum.

EPILOGVS PRIORIS PARTIS.

1 *Imitabile exemplum omnibus parentibus in Zacharia & Elizabeth vtroque parente Ioannis. Erant ambo iusti coram domino, versantes in omnibus præceptis & iustificationibus domini irreprehensibiles.*

2 *Sterilitas non semper propter peccatum. Nam Patriarcharum coniuges steriles, vt Sara, Rebecca, Rachel, hic Elizabeth: & liberi stipendia sunt matrimonij: quæ si dat Deus, consecrentur eidem qui dedit Deo. Exemplum sit Anna Samuelis mater, 1. Reg. 1.*

3 *Catalogus laudum Ioannis & sui officij, magnus coram domino, Spiritu sancto replebitur ab vtero matris, Heliæ erit spiritu & virtute. Ex quo etiam habemus scopum officij prædicationis, conuertere homines ad dominum Deum, & præparare domino plebem perfectam.*

EPILOGVS POSTERIORIS PARTIS.

1 *Liberi & proles stipendia sunt casti & immaculati matrimonij. Hæc vicissim consecrentur Deo: sic parentes salui euadunt per liberorum generationem. si permanserint in fide, charitate & dilectione. 1. Timoth. 2.*

2 *Auspicia concionatoriæ functionis, manus domini erat cum Ioanne præcursore veritatis.*

Summa doctrinæ pietatis per impletum Spiritus sancto Zachariam paucissimis exposita. Visitauit Deus plebem suam, quasi longa infirmitate tabescentem, & quasi venditam sub peccato, vnici filij sui sanguine redimens.

IN DIE PETRI ET PAVLI Apostolorum, Epistola.

Eodem

Eodem tempore iniecit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia, &c. Finis Epistolæ: De omni expectatione plebis Iudæorum. *Act. 12.*

Qua sorte aut fortuna pij & Christiani à mũdo excipiantur in Petri et Iacobi persona declaratur.

Hæc lectio historica tria potissimùm discẽda nobis proponit. Principiò qua sorte aut fortuna pij Christianique homines à mundo expiantur, idque Petri persona nobis satis declarabit, neque minus Iacobi. Hũc sanè Herodes mundi satelles egregius, ob Christi nomînis professionem occidit: istũ verò apprehensum coniecit in carcerem, cuestigio simili supplicio post Paschæ festum (ni diuina prouidentia obstitisset) affecturus. In hoc non absimilis lupo, qui (teste Ambros. in hexameron) si semel gustet carnem aut sanguinem humanum, semper appetit. Apoc. 22. Qui nocet, nocebit adhuc: & qui in sordib' est, sordescet adhuc, &c. Dicit ergo Lucas, *Misit Herodes rex manus vt affligeret quosdam de Ecclesia, &c.* Tempus adesse cœperat de quo dominus prædixerat, Persequemini de ciuitate in ciuitatem: & qui occideret eos, arbitraretur se obsequium præstare Deo: absque synagogis fierent: velut agni inter lupos irent: Calicem quidem domini biberent, &c.

Matth. 23. Ioan. 16.

Matt. 20. Tres Herodes vt paris nominis, ita etiam paris criminis sacræ commemorant historiæ.

Tres Herodes fuisse sacræ cõmemorãt historiæ: qui sicut eiusdẽ nominis, ita & paris criminis fuisse legũtur. Hic ergo Herodes nolebat prædecessorib' suis crimine minor esse. Siquidem primus persecutus est saluatoris infantiam in nece bimulorum, Matt. 2. Secũdus occidit Ioannem Baptistã, Mar. 6. Mat. 14. & veste alba indutum irrisit Seruatorẽ, Luc. 23. Iste ergo Herodes conatur implere mensuram patrum suorum. Hinc versus:

Ascalonita necat pueros, Antipa Ioannem:
Agrippa Iacobum, claudens in carcere Petrum.

Videns ergo se apostoli Iacobi nece placuisse Iudæis, apposuit apprehẽdere & Petrũ, quib' plus cæteris inuisus erat, tũ quia princeps apostolorũ, tũ quia maioribus miraculis fulgebat. Sanauit enim infirmos verbo, vt patet de Ænea, Act. 9. imò per vmbrã. Act. 5. Iudeis Petrus leo fuit in via, & spina in oculis. Talis ipsis erat, qualis Ioseph suis fratribus, & Sauli Dauid. Hoc compertum

Matth. 16. Ioan. 21. Petrus Iudæis leo in via, et spi-

habens Herodes, quoniam rex nouellus erat, cupiebat impiæ gentis fauorem aucupari. Verùm quoniam non nisi scelere conciliari potest amicitia pessimorum, postquam occidit Iacobum fratrem Ioannis, etiam Petrum occidendum coniecit in vincula, & vt lupus pastorem inuasit, quatenus orbarum gregem totum disturbaret & dilaniaret.

Mala in oculis sunt.

Amicitia malorum nō nisi scelere conciliari potest.

Ex his satis constat quid non faciat princeps iniquus, quid non tentet iudex peruersus, ne fedibus suis deturbentur, & vt populi fauorem adipiscantur. Peruertunt omnem æquitatem & iustitiam, dicunt bonum malum, & malum bonum: amarum dulce, & dulce amarum: iustificant impium, & iustitiam iusti auferunt ab eo. Vnus ministrorum assistens, vt placeret domino suo, dedit alapam innocentissimo Iesu. Pilatus volēs placere Iudæis, adiudicauit fieri petitionem illorum, vt scilicet Iesus crucifigeretur, Barrabas autem liber dimitteretur. Sed audiatur Iacobus cap. 4. Quicunque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur. Item Psalm. Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent: cōfusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Ideo Apost. ait, Galat. 1. Non quæro hominibus placere. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.

Fauoris vulgi amor et ambitio omnē æquitatem & iustitiā deprauat, nihilque non truculentiæ excogitant.

Ioan. 18.

Marc 15.

Erant autem dies azymorum. Hæc verba facinus exaggerant locus enim & tempus nonnunquam culpam aggrauant: quia grauius est peccare die sacro vel loco quā prophano: vt qui diuinis rebus debuissent esse intenti, necibus & effusionibus sanguinum occuparunt: quemadmodum etiam apud Christianos modò cernimus sacris diebus plura homicidia, comessationes, ebrietates, omnéque genus lasciuiæ perpetrari, quàm aliis diebus. Hinc dominus Amos 5. ait: Odi & proieci festiuitates vestras, &c. Item Isa. 1. Sabbatum & festiuitates alias nō feram. Iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solennitates odiuit anima mea.

Locus et tēpus nōnūquam culpam aggrauant.

Herodes quum apprehendisset Petrum, misit in carcerē, traditque quatuor quaternionibus militum custodiendū, volens post Pascha producere eum populo. Vtique vt ad populi voluntatē occideretur. Non enim sufficiebat ciuitati sanguinum, Dei filium interemisse, nisi etiam credentes in eum

eum de terra deleret. Ecce, inquit dominus, ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat, &c. Erant, inquit, dies azymorum: vt qui prius Christi sanguine Pascha suum polluerant, etiam apostoli Petri nece semeipsos in eadem solennitate contaminarent.

Matth. 23.

Porrò summa cum industria Petrus arctis vinculis & forti custodia seruabatur in carcere, ne forsā is qui mortuos suscitabat, claudos firmabat, cuius etiā vmbra sola sanabat infirmos, arte qualibet aut virtute euaderet aut eriperetur. Sed quid? Frustra seruabatur ab omnibus, quem Deus & Dei virtus & sapiētia adhuc suę Ecclesiæ ministrum & doctorem & consolatorem habere volebat. Gladium (vt ait Propheta) euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum, vt sagittent in occultis immaculatum: vt decipiant pauperem & inopem: vt trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur. Vnde etiam Saluator comminatus est eis, dicens, Omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, requiretur à vestra generatione: relinquetur vobis domus vestra deserta.

Frustra seruatur ab hominibus, quem Deus ad Ecclesiæ vtilitatem adhuc vult habere in columen.

Psalm. 36.

Luc. 11.

Matth. 23.

Ea itaque piorum in hoc mundo sors est, præsertim verò fidelium Concionatorum, vt propterea quòd vnū Iesum Christum populo seruatorem, iustitiam, mediatorem, vitam, spem proponunt ac confitentur, habeantur odio, mendaciis impetantur, apprehendantur veluti facinorosi, iniiciantur carceribus, ligentur vinculis, lacerentur ferreis pectinibus, distorqueantur ignitis forcipibus, cædantur plumbatis, imponantur ignibus, præcipitentur in abrupta loca, suspendātur in cruce, saccis illigati immergantur aquis, occidātur gladio, & innumeris aliis suppliciis afficiātur. His profectò modis tractati sunt omnes sancti & iusti quotquot à condito mundo in præsentem vsque diem fuerunt. Et ne putemus ea casu fieri, ipse Christus & Apostoli ita etiam prædixerunt futurum. Sic nanque dominus ait Matth. 10. Tradent vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & reges ducemini propter me, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Sic dicit

Sors impiorum in hoc mundo & omniū vnū Iesum Christū cōfitentium.

Hebr. 11.

Paulus.2.Timo.3.Omnes qui piè viuere volunt in Christo,persequutiones pati necesse est. Ita & Petrus in priori sua canonica 2.ca.inquit, In hoc(ad afflictiones scilicet tolerandas) vocati estis, quia & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius. Quemadmodum verò ex intenta afflictione propter nomen Iesu & iustitiam, electi & pij cognoscuntur:ita inde & tyranni ac Herodis assecłæ deprehẽduntur. Quare nimirum omnes illi qui quenquam(siue is sit concionator, siue popularis) ob nominis Iesu confessionem insectãtur,veri sunt tyranni, & religionis hostes, quantumlibet etiam bonum prætendant zelum, & religionis amorem mentiantur. Et quandiu erunt Iacobi & Petri, tandiu & Herodes erunt. Hoc est, quandiu erunt in mundo pij,tãdiu erunt & tyranni ac persequutores. Non enim potest mundus pios ferre,quemadmodum nec Herodes Iacobum & Petrum ferre poterat. Hæreat ergo semper in cordibus nostris illud Sirachi: Fili accedens ad seruitutem Dei,sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Eccl.2. Vt autem verè patiamur vt pij, sicque cum Paulo gloriari iure possimus in afflictionibus:pij etiã revera simus, hoc est,vera germanáque prædíti simus fide,innocentérque viuamus. Si enim ob falsam hæreticámque fidem, aut ob impia facta affligamur, inanis fuerit gloria nostra, nihilque merebimur.1.Pet.4.

Quandiu erunt Iacobi & Petri tandiu & Herodes erunt.

Pij in afflictionibus constituti quomodo se gerere debeant.

Schismaticorum mos in angustijs.

Ecclesia Christi alia arma non nouit præter orationẽ et lachrymas.

2 Secundò proponit quónam pacto pij in huiusmodi constituti afflictionibus se gerere debeãt. Id tum in Petro tum in Ecclesia credentium clarè videre est. Quum enim Petrus seruaretur in carcere, precatio sine intermissione fiebat ad Deum pro eo ab Ecclesia.Non enim factiosorum aut schismaticorum more ad arma concurrerẽt reliqui discipuli, vi suum pastorem liberaturi, sed ad assiduas preces fugerũt. Christi nanque Ecclesia alia arma non nouit præter orationem & lachrymas. Decet etiam capitis sui salutem mẽbra desiderare & quærere: & æquum est subditos pro suorum(præsertim optimorum) incolumitate præpositorum satagere,quũ eiusmodi prælatorum incolumitas, salus sit subditorum. Hinc Paulus obsecrat primùm omnium obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones fieri pro omnibus hominibus, præsertim pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, &c. quia (inquit) hoc bonum est & acceptum cotã saluatore nostro Deo, &c. Non contemnendæ igitur communes Ecclesiæ preces,oratio iustorum efficax. Hierò.Impossibile est preces multorum non exaudiri. Apostoli in vnum orantes meruerũt accipere Spiritum sanctum. Act.2. Nec incassum ab Ecclesia pro Petro supplicatum est,quę suis precibus angelum euocauit in carcerem fœdum ẽ cæli palatio. Promiserat enim hoc dominus ipse discipulis dicẽs:Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et iterum:Si duo vel trẽs ex vobis consenserint super terram,de omni re quancunque petierint,fiet illis à Patre meo. Et fortasse propter hoc permisit dominus Apostolum suum comprehendi, vt fidelium precibus liberaretur, & ex ipsius liberatione, inuicta Dei virtus (qua potens est in se sperantes saluare) fidelibus innotescerẽt, & exinde maiori cum fiducia fideles in tribulatione constituti ad Deum in oratione confugerent, cui vtique est cura de illis.

1.Tim.2.

Ioan.16.

Matt.18.

Quare dominus Petrum comprehendi permisit.

Sic sanè & omnibus pro Christo afflictis factitandum est. Quoties ergo & nos affligimur, siue externè à malis hominibus, siue internè à satana & carne:toties ad precationem tanquam ad sacram anchoram confugere debemus, eámq; ad Deum citra intermissionem fundere. Plurimùm enim valet deprecatio iusti assidua, Iac.5. Et iubet etiam dominus,vt ad se in tribulationibus confugiamus,dum sic inquit: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te,& honorabis me,Psal.49. Vnde & Dauid alibi ait: Hi in curribus & in equis confidunt, nos autem nomẽ domini inuocabimus,Psa.19. Certè legimus Exo. 17.quòd cum pugnaret Iosue vnà cũm filiis Israël aduersus Amalech, Moses plus effecerit orando, quàm Iosue pugnando. Ideo nimirum & nos iam in præsenti nostra tribulatione cum primis confugiamus ad orationẽ,spẽque figamus omnẽ in domini auxiliũ:& ita haud dubiè cõsolationẽ in breui sentiemus.sic enim ait ille Psal.90. Quia in me sperauit,liberabo eum: protegam eũ, quoniã cognouit nomẽ meũ. Clamauit ad me, & ego exau-

In afflictionibus, ad precationẽ veluti ad sacrã anchorã confugiẽdum.

Moses plus effecit orãdo,quã Iosue pugnãdo.

diam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum, &c. Quod declarabit locus sequens.

3 Tertiò proponit qualem dominus se piis in afflictionibus declaret & exhibeat: quod ex angeli facto satis supérque ostenditur. *In ipsa siquidem nocte, cùm altero die producere vellet Herodes Petrum ad necem erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, et custodes ante ostiũ custodiebant carcerem.* Ex quo mortem se contemnere probat, qui in crastino moriturus, inter catenas & milites securus dormiebat. Non enim otiosè audierat dicentẽ Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Vestri capitis capilli omnes etiã numerati sunt, &c. Quamuis enim omnium terribilium maximè terribilis est mors (teste Aristotele) non adeò tamen terribilis est illis qui audierunt cęlestem illum philosophũ qui nos docuit non verbis tantùm, sed euidentibus etiã exẽplis hominem morte corporis non perire, sed distrahi: animam velut è molestissimo carcere educi in beatam requiem: corpus item aliquando ad gloriæ societatem reuicturum. vnde habet illud ἀξίωμα spiritus, Apoca. 16. Beati mortui qui in domino moriuntur. Nouerat enim Petrus scriptum esse Prouerb. 12. Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Item Sap. 4. Iustus si morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit. Cogitabat itẽ illud Apostoli, Siue viuimus, siue morimur, domino viuimus & morimur, quia domini sumus.

Mors tãetsi omnium terribilitũ terribilissima, non tamẽ illis qui illum cælestem philosophum audierũt, qui docuit hominẽ morte corporis non perire, sed distrahi.

Et ecce angelus domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitauit eum dicens. Surge velociter. Et ceciderũt catenæ de manibus eius. Dixit autẽ angelus ad eum, Præcingere, et calcea te caligas tuas. Prophetas & Apostolos cingulis vsos fuisse legimus, quorũ sibi Petrus ligamenta propter frigiditatem carceris ad horã laxauerat, vt tunica circa pedes demissa frigus noctis vtcunque arceret, exemplum prębẽs infirmis, quum vel molestia corporali, vel iniuria tentamur humana, licere nobis aliquid de nostri propositi rigore laxare. Sic Timotheus iubetur à Paulo modico vino vti propter stomachũ & frequẽtes infirmitates. 1. Timoth. 5. Et quia dicitur in Euangelio, Sint lumbi vestri præcincti. & iterum ab Apost. Calceati pedes in præparationem Euangelij

4. Reg. 1.

Rigorẽ corporeum aliquando laxare licitũ est.

Luc. 12.

Ephes. 6.

gelij pacis: spiritualiter virtutem prędicandi & Apostolicæ functionis resumere iubemur insignia.

Præcinctura & calceatio Petri quid prætendebat.

Iussus ergo se præcingere & calceare, fecit sic. Et rursum angelus ad eum, Circunda, inquit, tibi vestimentũ tuum, & sequere me, &c. vsq; *vltro aperta est eis.* Nihil obfuit exeũti custodum turba, sicut nec custodes exeunti Christo de sepulchro. Oppressi erant enim milites somno & sopore, quem immiserat illis Deus: vel cæcitate percussi erãt, sicut illi milites qui volebãt capere Elisæum. 4. Regũ. 6. Nec mirum præterea quòd cesserint ostia Petro, quem æternæ custodem deputauerat aulæ, ac suæ Ecclesiæ fecerit retinere cacumen, ac infernum superare. Matt. 16. Luc. 22. Tandem mirabiliter è vinculis liberatum eduxit è carcere in ciuitatem, sicque disparuit angelus ab eo. Sic solet cum suis agere dominus. Non sinit preces piorum esse frustraneas, neque deserit suos, quamuis ali quandiu appareat ac si omnem de iustis curam abiecerit: at tandem adest, sicque suam in ipsis liberandis exerit potentiam, vt omnes etiam impij fateri cogantur ipsum pro illis solicitum esse: id quod sanè Dauid experimento didicit, dum inquit Psalm. 33. Pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eũ. Moratur angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Item ibidem: Iuxta est dominus iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos dominus. Et 2. Pet. 2. Nouit dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos.

Deus non sinit preces piorum esse frustraneas, neque deserit suos, sed ipsis tãdè adest liberator.

Monemur itaque hîc ne defatigemur orando, néve ob dilationem auxilij diuini desperemus. Vnde & Habacuc sic vnumquémque nostrum affatur: Apparebit (dominus) in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit, Habac. 2.

Exhortatio cõsolatoria contra desperationem.

Vbi autem Petrus ad se rediisset, agnouit se à domino liberatum esse, eique ob id omnem tribuit gloriam, adeóque & aliis eam liberationem deprædicauit.

Nunc scio, inquit, vere quia misit dominus angelũ suũ, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione

plebis Iudæorũ: Qui nimirũ ardenti desiderio Petri mortem expectabant. Et sic verificatum est illud Salomonis Prouerbiorũ 10. dicẽtis: Expectatio iustorum lætitia. Et econtra expectatio solicitorum peribit. ibidem capite 11. Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo. Spes impiorum peribit, Prouerbiorum 10.

Auxiliatori Deo omnem nostrã consolationẽ nostrũq; bonum acceptũ ferre debemus.

Hoc exemplum monebit nos vt quotiescũque ẽ malis liberamur, aut subito alioqui gaudio donamur, id nõ acceptum feramus nobis ipsis, aut humanis viribus, sed vni Deo auxiliatori: ideóque huic debitas agamus gratias, & aliis quoque eius potentiam misericordiámque diuulgemus.

Quum Ecclesia hodie simul & diui Petri & diui Pauli Apostolorum memoriam solennem agat, mirũ alicui videri possit, quur ergo huiusmodi nobis nũc & Epistola & Euangelium proponantur, in quibus nulla omnino de Paulo mẽtio fiat, sed de solo Petro? Vt verò tollatur dubium hoc, sciendum est, nõ extare Epistolam & Euangeliũ quę expressè vtriusque meminerint, quęque in hodiernum festum (quod nimirum de illorũ martyrio est) aptè quadrent. Proponit igitur nobis Ecclesia Epistolã Euangeliúmque huiusmodi, quæ etsi literá tenus de solo Petro loquantur, re vera tamen conueniant & diuo Paulo. Nam vti in Epistola audiuimus in carcerem cõiectum esse diuum Petrum: ita & multis in locis habemus Paulum item detentũ esse in vinculis. Act. 10. & 21. Quemadmodum itẽ in Euangelio audiemus Petrum cõfessum esse quòd dominus Iesus sit & Christus, & filius Dei viuentis: ita & infinitis in locis legimus & Paulum omnibus coram vniuerso mundo illustrauit.

Epistola et Euangeliũ quæ literá tenus de Petro loquuntur, re vera etiam cõueniunt D. Paulo.

EPILOGVS.

1 *Certificamur hîc, omnes in Christum credentes, afflictionibus exerceri oportere, 2. Timoth. 3.*

2 *Nullum præsentius in afflictionibus ostẽditur remedium posse adhiberi, quàm fiduciam in domini benignitatem, & precationem assiduam. Ieremias oratione confortatur in carcere, Daniel inter leones seruatur, Susanna à falso crimine liberatur, Pueri in fornace tripudiant.*

3 *Dominus non derelicturus est suos, nec passurus vt supra quàm*

quàm possimus tentemur, sed daturus est gratiam, qua & afflictiones possimus pati, & ab iis liberari. 1. Corinth. 10.

IN EODEM DIE FESTO APOstolorum, Euangelium.

Matt. 16. Marc. 8. Luc. 9.

In illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, &c. Finis Euangelij: Erit solutum & in cælis.

HOc Euangelium complectitur tres doctrinas fidelibus omnibus diligenter obseruandas. Primò quęstionem de Christo, quis sit. Quum enim venisset in partes Cæsareæ Philippi quam Philippus Tetrarcha Itureæ & Trachonitidis tegionis in honorem Cæsaris sic appellauit, de fundamẽto fidei collocutionem fecit. vt sic nos eius exemplo, quo iter alleuiemus, quæ salutis sunt conferamus. siquidem ipse aderit comes, siue curru arcuato, siue nauigio, siue pedibus iter conficiatur. Hoc claruit Luc. 24. Nam hoc Matth. 18. promisit, dicens, Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Sed valde timendum hodie Deum rarò adesse peregrinantibus aut itinerantibus, quorum conferentiæ plus faciunt ad fidei religionísque catholicæ destructionem, quàm ædificationem. Væ mundo à scandalis, Matthæi 18.

Sermones nostri sint theologi & ædificatorij in omnẽ loco, quatenus dignetur nobis adesse Deus.

In hac ciuitate tradunt historiæ Romanos reges solitos fuisse tributa ab vniuerso regno percipere: ibi etiam descripto sub Augusto orbe, terrarum tributum soluebatur. Congruè ergo vbi descripto orbe numeratus est census, ibidem etiam dominus orbis, Rex regum, censum siue tributum fidei exegit à capitaneo animarum Petro. Christus enim hîc interrogat discipulos quid de filio hominis sentiant homines, & Apostoli. Non interrogat autem ex ambitione. nam ipse immortalem & æternam apud Deum patrem habebat gloriam. Nec interrogat ex ignorantia. nam ipse scrutator est cordium & cogitationum: quod sæpe re ipsa ostenderat, Iere. 17. Lucæ 11. Sed quærit propter discipulos, vt perspicuè scirent quis esset ille de quo ipsi erant per vniuersum terrarum orbem concionaturi: & vt haberent suæ doctrinæ apud

Tributum fidei exegit Christus à discipulis.

Interrogationis Christi ratio.

homines testimonium: & propter populum, vt & ipsi quem sectarentur, noscerent, nec non compertum haberent quæ sit Euangelica fides, quæ seruat credentes, sine qua nemo potest Deo placere, Heb. 11.

Opiniones de Christo ac Messia varia.

Variæ enim tunc erant de Christo ac Messia opiniones: *Alij dicebant eum esse Ioannem Baptistam.* Et hi fuerunt ex iis qui cum Herode existimabant eum post resurrectionem etiam donum accepisse operandi miracula. Nam Marci 6. dicitur: Audiuit Herodes rex (manifestum enim factum est nomen eius) & dicebat (de Christo scilicet) quia Ioannes Baptista surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in illo.

Alij Eliam. Qui etiam mouebantur ex eo quòd acriter reprehendebat & arguebat vitia: & expectabant quòd veniret, eo quòd Malach. 4. dictum sit, Ecce ego mitto vobis Eliam antequàm veniat dies domini magnus & horribilis.

Alij verò dicebant eum Ieremiam, aut aliquem prophetarum. Quòd simili sapientia præditus esset, quam tamen à nullo didicerat. Etenim Ieremias quum adhuc puer esset, in prophetam assumptus est, Ierem. 1. Hæc sentiebant homines. Nihil enim supra hominem de eo sentire poterant. Magnum hominem suspicabantur: Messiam, filium Dei, seruatorem orbis nõdum credebant. est autem hic cõmunis vulgi defectus vacillare, opinionibus duci, more paruulorum fluctuare, omni vento doctrinæ circumferri, & ad varias errorum partes claudicare. Contra tales olim Elias loquutus est 3. Reg. 18. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si dominus est Deus, sequimini eum. Si autem Baal, sequimini illum.

Ephes. 4. Vulgi communis defectus est vacillare, opinionibus duci. &c.

Quãnis autem discipulos verè de se sentire sciret: voluit tamen eos publicè suam sententiam etiam confiteri, dicitur enim Roma. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et Psa. 115. Credidi, propter quod loquutus sum. Vnde interrogat eos dicens:

Voluit Christus discipulos suos publicè suam fidem confiteri.

Vos autẽ quẽ me esse dicitis? Quasi dicat, Populus suo more vacillat, nec sibi constat: vos autẽ ab hominibus opinione alieni, & filij Dei per adoptionem gratiæ diuinæ qui me propius ac domesticè nostis, qui perpetui testes fuistis omnium quę gessi, quæque docui, miracula plura vidistis,

vidistis, méque iubente ipsi signa fecistis, age quæ vestra de me sententia est, & quem me esse dicitis? *Respõdit Petrus*: Omnium nomine, tanquã futurus ordinis Apostolici princeps & caput. *Tu es ille Christus filius Dei viui.* id est, Tu es Messias, saluator, redemptor, mediator, dominus, rex, sacerdos, pastor, magister, via, veritas, vita, semẽ mulieris, sanctificatio, & redẽptio, iustitia & iudex. Summa: Certa & indubitata sentẽtia profitetur Christum esse Messiã à prophetis promissum singulari quodã modo filiũ Dei. Ro. 1. Qui prędestinatus est filius Dei in virtute.

Confessio Petri clara et omnibus ad salutẽ necessaria.

Filium Dei viui appellat ad distinctionẽ idolorum & dæmonum, quos erronea gẽtilitas sibimet ad colendum vel ex mortuis hominibus instituit, vel ex rebus insensibilibus quos adoraret creauit: de quibus Psa. 113. Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, & Psal. 95. Omnes dij gentium dæmonia.

Filiũ Dei viui Petrus Christum confitetur ad distinctionem falsorũ deorum.

Verè clara sed necessaria fidei professio. sine hac nullus saluabitur, Ioan. 3. Marc. 16. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus ille filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius, Ioannis 20.

Sciendum autem hic est, sub cognitione Christi non simpliciter fidem intelligi, sed fidem viuam, & bonorum operum feracem: hoc est, qua non solùm credimus ipsum verè esse Christum, & viuentis Dei filiũm, verùm etiam ipsi tanquam Christo & filio Dei viui subiicimur, obedimus, & seruimus, Gal. 5.

Hinc elicimus duas doctrinas. 1 Necessariam esse cognitionem Christi ad salutẽ, ita vt corde credamus eum esse verum filium Dei. Nam absque hac cognitione nũllus philosophorum quantumuis eximiis dotibus decoratus, nullus etiam Iudæus & si religiosissimè legem Mosi obseruauerit, ingressus est regnum cælorum. Hanc doctrinam maximè catholicam confirmat ac docet Spiritus sanctus, qui (vt refert Lucas Act. 4.) per os Petri dixit: Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine domini nostri Iesu Christi. Augu. lib. de natura & gra. cap. 2. Si per naturam iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. si per legẽ iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. 2. Elicimus neminem hanc Christi cognitionem propriis

Necessaria Christi cognitio ad salutem.

Universidad de Deusto Biblioteca

Cognitio Christi cælestis Patris donũ est.

prijs viribus assequutum, nec suis meritis sibi promeruisse, sed Patre æterno reuelante sibi contigisse: cuius reuelatio nisi ex diuina misericordia Petro fuisset facta, cæcus in sua ignorantia permansisset. Hanc secundam doctrinam catholicam abundè confirmat Christus hodierno Euangelio, quando dixit, *Beatus es Simon bar-Iona, quia caro et sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Caro enim non reuelat, & sanguis non cognoscit Christum, sed pater cælestis, dicente Christo Matthæi 11. Nemo nouit filium nisi pater. Item Ioannis 15. Sine me nihil potestis facere. Et Paulo 2. Corint. 3. Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Item 1. Cor. 2. Nobis autem reuelauit per spiritum suum. Et Philip. 2. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere, pro bona voluntate. Ideóque & Paulus ait. 1. Cor. 12. quòd nemo possit dicere Iesum esse dominum seu Messiam nisi per Spiritum sanctum. Omnis ergo qui à patre didicit & quem pater traxit, cognoscit Christum, Ioan. 6. Hanc doctrinam docent Concilia, hanc habuerunt catholici patres, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Ambrosius, hanc & nos sequi tenemur.

Partes Episcoporum & Ecclesiæ prælatorũ sunt inuigilare super gregem suum, &c.

Ex prima hac huius Euangelij parte docentur primùm episcopi cæteríque ecclesiæ prælati suarum partium esse, diligenter inuigilare super gregem suum, diligentémque indaginem facere, quis rumor quæ fama de eis spargatur, an variis opinionibus circunferantur, an etiam nutent in fide, &c. ad hoc ipsum quoque eos monente apostolo Paulo. Act. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, &c. Item 2. Timot. 4. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, &c.

Curam habeant prælati de bono nomine.

Monentur quoque vt soliciti sint de bono nomine, ne malè audiant apud suos, inter quos oportet eos esse sal terræ, & lumen mundi. Matth. 5. Et Apostolus Philip. 2. Sitis sine querela & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ, &c. Episcopum oportet esse sine crimine, irreprehensibilem, & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt. 1. Timoth. 3. & Tit. 1.

Deinde docemur hìc omnes, quòd interrogati quid de

de Christo, déque eius religione sentiamus: animo intrepido & constanti semper & vbique confiteamur nos esse filios Christi Catholicos, Ecclesiæ Romanæ subiectos. Non licet fidem negare vel dissimulare, quanuis sit verbum crucis. Rom. 1. Non erubesco Euangelium. virtus enim Dei est, &c.

Fides Catholica non est negãda aut dissimulanda, sed constanti animo vbique confitenda.

2 Secundò complectitur doctrinam de Ecclesia, de cuius fundamento, authoritate & capite euidenter satis Christus nos instruit. Nam 1. dicit Christus, *Tu es Petrus,* Quasi dicat, Tu qui antea vocabaris Simon. Ioãnis 1. iam non tantùm Simon, sed Petrus es: nec vocaris tantùm, sed es verè Petrus, à me petra ita dictus, non huc aut illuc variis opinionibus vulgi vacillans. 2. Dicit: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quasi dicat, Super te petram firmissimam factum, Ecclesiam meam ædificabo, id est super te confitentem me verum Deum, ædificabo ædificium spirituale Christianorum, qui sunt lapides viui: ita tamen, vt tu propter excellentiam tuę confessionis & fidei dicaris pater fidei & multarum gẽtium in Ecclesia quam formo, sicut Abraham pater fuit multarum gentium propter fidem, Rom. 4.

Simoni imponitur nomẽ Petrus. Super petrum petrã factum firmissimam superstruẽda promittitur Ecclesia.

3 Dicit: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quasi dicat, Et contra hanc Ecclesiam in te Petro & super te fundatam, portæ inferi non pręualebunt. Multis machinis impetet eam satanas: draco tribulationum flumina in eam emittere non cessabit: sed meo præsidio stabit ædificium hoc inexpugnabile, tantùm maneat ista solida professio. Luc. 22. Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: sed ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Nihil efficient tyranni atque hæretici, etiam si in ipsum insurgant, per quos illecti homines ducuntur ad tartarum.

Petrus pater fidei & multarum gentium in Ecclesia. Apoc. 12. Ecclesia ex pugnanda prædicitur, sed inexpugnabilis fore promittitur.

1 Quòd hic sit genuinus sensus verborum Christi, probat scriptura sacra, & Ecclesia. Nam Marc. 1. dicit Petrum ante suam vocationem vocatum Simonem. Præteriens Iesus secus mare Galilęæ vidit Simonem, &c. Luc. 5. sem per vocat eum Simonem, narrans ea quæ fecerat ante suam vocationem, Matth. 4. eodem modo.

2 Ecclesia quoque tum Græca tum Latina ab Apostolis ipsis

ipsis vsquè ad nos, ita hæc verba intellexit. 3 Chrysostomus vnicum Græcanicæ Ecclesiæ ornamentum, homi. 55. in Matthæum, declarat hæc verba in hunc modum: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Si aduersus Ecclesiam non prævalebunt, multò minus aduersum me prævalebunt.

Doctores affirmantes Ecclesiã super Petrũ, fundatam enumerantur.

Sunt & patres qui constãter affirmant Ecclesiam super Petrum fundatam, quales sunt, Chrysostomus homi. in Matthæum, & super Ioan. hom. 87. Ambrosius in Lucam lib. 4. cap. 9. Origenes homil. 6. super Matth. & 8. super Ioannem. Hieronymus in Matthæum, & lib. 1. contra Iouinianum. Basilius aduersus Eunomium lib. 2. Cyprianus in epistola ad Pupianum, lib. 4. Epist. 9. Tertullianus lib. de præscriptio. hæreticorum. Hilarius etiam cum exclamatione admiratur tantam gloriam in Petro. Leo primus in sermone de festiuitate Petri, & serm. de anniuer. suæ Pont. assumpt. Grego. in regist. lib. 4. epist. 32. ad Mauricium Imperatorem.

Non negamus quod dixit Paulus 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Et Dauid Psal. 117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Itè Isaias 28. cap. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem pretiosum. Mat. 21 Marc. 12. Luc. 20. & 1. Pet. 2. Ecce pono in Sion (i. in Ecclesia) lapidem summum angularem electum, pretiosum: & qui crediderit in eum non confundetur. Rom. 9. Sed dicimus cum magno illo Leone, quòd id quod Christo est proprium, per communicationem & participationem cõmune sit Petro: sicut Christus est lux & Dei filius natura, & vera proprietate, ipse tamen vocat suos discipulos lucem mundi, filios Dei, per participationem: & ita quanuis Christus sit petra atque fundamentum primariũ, Petrus nihilominus per communicationem à Christo factus est petra, super quã Christus suam fundauit Ecclesiam, de qua agitur Apoc. 21. vbi Ioãnes se vidisse perhibet ciuitatem nouam Ierusalem descendentem de cælo à Deo paratam. & post pauca sequitur quòd murus ciuitatis habuit fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorũ, & agni: ipsi enim primi adhærentes fundamento primario, duodecim articulos fidei quasi duodecim fundamenta, super posuerunt fundamento prophetarum & apostolorum Christo: imò ipsis articulis, ipsum fundamentũ collocarunt: cuius structuræ spiritualis nos sumus lapides viui, Ephes. 2. Non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorũ, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.

Id quod Christo est proprium, per communicationem & participationem cõmune sit Petro. Fundamentum primariũ Christus, Petrus secundarium.

Lapides viui structuræ spiritualis sunt Christi fideles.

Ex hac doctrina variæ eliciuntur doctrinæ. 1 Illos esse in Ecclesia quam Christus instituit, qui huic petræ, Petro scilicet, compage fidei & charitatis vel solius fidei coniunguntur.

Qui in Ecclesia Christi sint.

2 Ecclesiam Catholicam, veram, sanctam & apostolicam, penes eos esse, qui huic Petro per confessionem fidei in Christum, & eius successoribus firmiter adhærent.

Ecclesia Catholica & vera penes quos sit.

3 Eos esse lapides viuos in hac Ecclesia, qui huic Petro lapidi viuificato ac pretioso, à Christo in fundamentum suæ Ecclesiæ delecto, compagine fidei, charitatis & obedientiæ cohærent, Ephes. 2.

Lapides Petri, sed tamẽ mortui in Ecclesia qui sint.

4 Eos esse lapides veros, sed mortuos, Ecclesiæ Catholicæ, qui quanuis vinculo charitatis inter se non cohæreant, cohærent tamen nexu fidei in vinculo pacis. Habet enim Ecclesia bonos & malos.

Abraham sicut propter excellentiam fidei fuit pater omnium Iudæorum in Christũ credentiũ, ita Ecclesia Petrũ caput suum agnoscit, patrẽ suæ fidei ac cõfessionis.

5 Sicut Abraham propter excellentiam suæ fidei fuit pater omnium Iudæorum qui credebant in Christum, adeò vt scriptura dicat quòd in ipso, id est, ad eundem modum sicut & ipse, benedicerentur, & quòd sit pater multarum gentium: ita Ecclesia Petrũ caput suum agnoscit, patrem suæ fidei, ac confessionis. Hunc omnes imitemur, & ipsi cohæreamus, vt possimus aliquando lapides esse cælestis illius ciuitatis Ierusalem.

3 Tertiò complectitur doctrinã de clauibus regni cælorum, quas Christus Petro eiúsque successoribus & Ecclesiæ vniuersali dedit. Sunt enim claues non materiales ex auro, argento, vel ferro, neque humano aliquo artificio inuentæ: sed est quædam supernaturalis potestas diuina virtute munita, quam Christus, qui omnia potest, in pri

Promissio de clauibus.

in primis Petro aliísque apostolis atq; eorum successoribus diuinitus concesit, qua scirent & possent dignos recipere in regnum, indignósque à regno secludere. Has claues Christus promisit Petro, quando illi dixit: Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et tibi dabo claues regni cælorum. Promisit etiam reliquis apostolis, quando dixit, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque solueritis, &c. Matth. 18. Dedit autem eas Christus quando

Claues quando dederit Christus.

post resurrectionem Petro dixit, Pasce oues meas, Ioan. 21. Et sicuti singulariter illas claues Petro promisit, ita singulariter Petro ipsas cõcesit. Theophylactus in Matthæum. Item quando Petro & apostolis apparens, insufflauit in eos, & dixit: Accipite Spiritũ sanctum: quorum

Claues regni cælorũ duæ.

remiseritis peccata, &c. Ioan. 20. Has claues Rabanus in Matthæum discretionem & potestatem nominat. Anselmus verò ipsam discernendi scientiam & potestatem appellat. Potestatem, qua liget vel soluat: discretionem, qua dignos vel indignos discernat.

Potestas et discernendi scientia.

Hæc doctrina incredibilem consolationem animabus omnium Christianorum adfert. Iucundum est enim, scire, quòd Christus in cælum ascendens, cælorum claues apostolo Petro & ipsius successoribus reliquerit. Hanc consolationem eximiam diabolus adeò nobis inuidet, vt per suas proles ipsam nobis adimere conetur. Siquidem vel ad verbum potestatem clauium referunt, vel omnibus renatis ex æquo collatas temerè & falsò affirmant. Nos verò Catholici tenentes quod omnes & vbique Catholici patres crediderunt, confiteamur potestatem hanc solis sacerdotibus tributam. nam solis apostolis Christus dicit, Quorum remiseritis peccata, &c. Ioã. 20. Et earum virtutem non in verbo, sed in effectu & actu confessionis sacramenti consistere.

Ingens consolatio omnibus Christianis, ꝙ Christus in cælum ascẽdens Petro eiúsque successoribus cælorũ claues reliquerit.

Potestas clauium solis sacerdotibus concessa.

Clauium excellentiam & inclytam virtutem ita prædicant patres tum Græci, tum Latini. Cyprianus lib. 1. epist. 2. ad Corneliũ inquit: Cùm permiserit ipse qui legem dedit, vt ligata in terris, etiã in cælis ligata essent: solui autem possent illic, quæ hîc prius in Ecclesia soluerentur. Bernardus serm. 1. in die Petri & Pauli: Claues regni cælorum tam singulariter accepit Petrus, vt præcedat

cedat sententia Petri, sententiam cæli. Chrysost. lib. 1. de sacerdot. eandem sentẽtiam confirmat. Iure ergo dicere possumus, quod olim dicebant Iudæi, Deuter. 4. Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis: Non est alia natio quæ habeat claues regni cælorum, sicut natio Christiana Catholica, quæ sedem Petri, Romanam Ecclesiam, matrem ac dominam confitetur.

Natio alia non est quæ habeat claues regni cælorũ, sicut natio Christiana Catholica.

APPENDIX.

Sicuti arx supra petram fundata, suo stabili innititur fundamento, siue irruant procellæ, siue tempestates: ita Petri sedes super petrã fundata, virtutem à Christo suo fundatore tam solidam habet, & tam firmam, vt nullis turbinibus aut procellis hæreticorum quãtumuis vehementibus oppugnata sit ruitura. Christus enim pro ipsa sede, pro omnibus qui eam gubernãt, patrem orauit, ne eius fides vacillet, nec deficiat generatio fidelium, Luc. 22. Etiam Christus cum ipsa est vsque ad consummationem seculi omnibus diebus, Matth. 28. Et quemadmodum fides Petri stabit, nec corruet: ita stabit in æternum, qui in obediẽtia huius sedis & charitate perseueraverit: Quia hi habent Deum patrem, Christum fratrem, Spiritum sanctum ducem.

Sedes Petri adeo firmiter virtute Christi fundata est, vt nullis turbinib⁹ aut procellis hæreticorum oppugnata sit ruitura.

EPILOGVS.

1 *Ars artium & scientia scientiarũ hîc docetur, cognitio mirũ Iesu Christi, q̃ est vita æterna: ad hanc cognitio Ecclesiæ, quæ est domus et habitaculũ Christi, extra quã non est salus.*

2 *Petri confessione articulus fidei nostræ cõfirmatur, quo cõfitemur Iesum esse Christũ, filiũ Dei vnicũ dominũ nostrũ. Hæc fides quæ à tam excellenti doctore discitur, suo fructu nõ caret. Nã vocat dominus Petrũ ob cõfessionẽ et cognitionem hanc beatũ. Beatitudò autem cõsistit in sempiterna pace, in perenni voluptate, & æterna vita: nec potest quid his ab vllo mortalium expeti excellẽtius aut iucũdius. Cõsequitur ergo, Christi cognitione nihil esse neq; vtilius, neq; magis necessariũ: ideoque verè dicit Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verũ Deum, & quem misisti Iesum Christũ.*

3 *Quid sit Ecclesia, ostẽditur, nempe domus mystica supra petram Christũ secundario supra Petrũ extructa: hoc est societas in Iesum Christum Dei filium verè credentium, hunc*

agnoscentium & amplectentium pro vero lapide angulari. Act. 4. Item quàm firma sit Ecclesia, credentiũ collectio: quòd videlicet omnes portæ inferorum non sint aduersus hanc valituræ non tyranni huius mundi, non Satan, nõ caro, non peccatum, non hæreses, quemadmodum nec imbres nec venti aliquid possunt aduersus domum supra firmam petram ædificatam. Qui enim est in Ecclesia is Christi mẽbrum, & Christus eius caput est si ergo Deus pro nobis, quis contra nos? Postremò quanta Petro data sit in Ecclesia potestas, nimirum regni cælorum occlusio et apertio peccatorum ligatio & absolutio, retentio & remissio. Exultet igitur pœnitens & cõuersus, cui Ecclesia per ministros aperit regnum cælorum, & absoluit peccata: at contrà contremiscat impœnitens, cui occludit Ecclesia vitæ ianuam, & peccata retinet.

IN FESTO VISITATIONIS B. Mariæ Epistola.

Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus, &c. Finis Epistolæ: Facies tua decora.*

Lectio præsens cur hodierno festo aptata sit.

LEctio hodierna ob id potissimùm legitur, quòd in ea habeatur dilectum saliisse in mõtibus. Nam hoc litera tenus in visitatione sanctæ Mariæ factum est. Dum enim illa festinanter in montana abiit, sicque & ascensu & descensu corpus mouit: haud dubiè ipse quoque puer Iesus (verus nempe dilectus) ea motione sursum ac deorsum motus est, atque ita saliit quodammodo.

Colloquiũ suauissimum inter Ecclesiam amicã, & Christũ dilectum.

Quo ad sensum internum ac mysticum complectitur suauissimum cõsolatissimúmque colloquium inter Ecclesiam amicam, & Christum dilectum, in quo quidem veluti in depicta aliqua ad viuum tabella nobis conspiciendum proponitur: primò quomodo Ecclesia affecta sit erga Christum: deinde quomodo Christus vicissim erga Ecclesiam affectus sit. 1 Primò colliquet, non secus

Ecclesia nõ secus erga Christũ affecta est, atque sponsa casta erga sponsum sibi dilectissimum.

ac casta sponsa erga sponsum suum affecta est, vt nihil impensius ardentiúsque cupiat, quàm vt eum præsentem possit videre, vocẽ eius audire, osculis ipsi adlubescere, & familiariter cum ipso colloqui. Ita, inquam, & Ecclesia hoc vnum impensissimè

Ecclesiæ ad sponsum suum ardens desiderium.

sissimè & semper desiderauit, & hodie etiã desiderat, vt vocem spõsi sui Christi iugiter audire, ipsúmque coram cùm cernere, tum alloqui possit. Initiò quidẽ corporalem ipsius præsentiam, conspectum, & colloquium & osculum expetebat. Vnde nimirũ hæc vota: Inclina cælos tuos, & descende, Psalm. 144. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem, Isaiæ 45. Vtinam cælos disrumperes, & descenderes, Isa. 64. Osculetur me osculo oris sui, Cant. 1. Veniat dilectus meus in hortum suum, Cant. 4.

Ecclesia nũc etiam spirituale sponsi præsentiã, gratiam, & mysticum colloquiũ esurit & sitit.

At nunc spiritualem sponsi præsentiam, nimirũ gratiam, & mysticũ colloquium, nempe verbum saluificũ, cùm primus esurit ac sitit. Hinc isti clamores: Excita potentiam tuam & veni, vt saluos nos facias. Deus virtutũ conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus. Deus virtutum cõuertere, respice de cælo, & vide, & visita vineam tuam, Psal. 79.

Ecclesia vera quæ sit, & quæ vere eius membra.

In hoc autem affectum huiusmodi Ecclesiæ perspectũ habere necesse simul & vtile est: Primò, vt discamus quæ sit vera Ecclesia, ea videlicet quæ ab vno pendet Christo, eiúsque verbum sedulò vrget: deinde, vt nostri faciamus periculum, & nostram conscientiam examinemus, num & nos verè Ecclesiæ simus membra. Certè nisi hoc pacto erga Christũ simus affecti, hoc est, & ipsum & ipsius verbum vnicè susciipiamus, alieniissimi erimus ab Ecclesia, adulteri & scortatores.

Sponsus dilectus vnde veniat & cur veniat.

In hunc ergo modum primo loco Ecclesia loquitur de dilecto suo, Christo nimirum, & præsertim duo de ipso nobis proponit. 1 Vnde is venerit, cùm ait, Venit saliens in montibus, transiliens colles. hoc est, venit è summo cælo, è sinu patris cælestis. Nõ enim de terra est, vt cæteri homines, Ioã. 3 & 5. Ideóque vocat illum Paulus dominum de cælo, & hominem cælestem. 1. Cor. 15. Venit autem propter Ecclesiæ suæ seu vniuscuiusque animæ salutem, quemadmodum & Ecclesia in simbolo canit: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descẽdit de cælis. Et venit quidem exertè saliens, hoc est, voluntariè, alacriter, ex amore: quemadmodum & ipsemet alibi dicit, Lusi in orbe terrarum, & deliciæ meæ sunt, vt sim cum filiis hominũ, Eccl. 24. Prouer. 8.

Incarnatio Christi saltatus dicitur.

Dilecti natura depingitur.

2 Cuius sit naturæ. Id inde elici potest, quòd comparatur ab Ecclesia capreæ & ceruo, quódque dicitur stare post parietem nostrũ, ac respicere per fenestras. Caprea acutissimi est visus, ita vt venatorem à longe prẽuidere possit, nec tamẽ ab illo videri queat. Ceruus verò fortis est ac celer, fugátque serpentes, ac omne venenum. Sic nimirum & Deus verè acutissimi est visus. nã videt omnia, ipse inuisibilis, Hebr. 4. Est quoque idem verè fortis, vt qui est omnipotens. Verè item celer, quippe qui nullo negotio vbique locorũ sit. Verè denique serpentium veneníque omnis fugator, quippe sanctissimus & purissimus ipse, omníque peccati & impuritatis osor atque profligator.

Quum igitur Ecclesia dilectũ suum Christum, capreę ceruóque comparet, aliud nihil eo vult intelligi quàm ipsum verè esse Deum, capreæ ceruíque proprietates spiritualiter habentem: quod sacræ literæ passim testãtur. Nam Hebr. 4. Non est vlla creatura quæ non manifesta sit in conspectu illius. Et Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Item Ephes. 4. Ascendens supra omnes cælos, implet omnia. Et denique, 1. Ioan. 3. Ad hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.

Dilectus spõsæ Deus & homo esse ostenditur.

Quòd verò dicit illum stare post parietem nostrum, & respicere per fenestras, eò innuit hominem quoque esse illũ, & hominis filiũ. Nam per parietẽ nostrũ & fenestras nostras, humanitas nostra seu nẽa caro intelligitur.

Christus erga Ecclesiã affectus ita est, atq; spõsus erga vnicè adamatã sibi sponsam.

2 Secundò proponitur quomodo & Christus vicissim erga Ecclesiam suam affectus sit. Colligitur enim ex superiori sensu, ipsum non secus erga eam esse affectum, atque sponsus erga vnicè adamatam sibi sponsam solet. Is verò nihil habet prius, nihil maiori studio conatur, quàm vt quamprimùm suæ adsit, oscula in eam figat, confabuletur ei, & omnino sese cum ea vinculo amoris indissolubili subdat. Ad eundem modum & Christus ipse hoc vnum molitur semper, vt suæ spõsæ Ecclesiæ adsit, eam gratiæ suæ osculis reficiat, eam per salutiferum sui Euãgelij verbum alloquatur, consoletur, confirmet, & sic prorsus vnum cum ea fiat. Hoc autem verum esse, re ipsa & olim testatus est, & hodie etiam testatur. Nam quemadmodũ principiò in corporali præsentia ab Ecclesia

Christus hoc vnum molitur semper, vt suæ spõsæ Ecclesiæ adsit.

clesia desiderabatur, sic etiam è cæli montibus saliens in hunc mundum venit: & stetit post parietẽ nostrum, hoc est, nostram assumpsit humanitatem, & similis factus est capreæ hinnulóque ceruorũ, hoc est, in similitudine carnis peccati apparuit nobis, ac posteaquàm per prospectum fenestrarũ & cancellorum, hoc est, per miracula diuinitatis suæ Ecclesiæ innotuisset, veluti ceruus fortissimus antiquum illum serpentem diabolum fugauit per passionem & mortem, & ita Ecclesiam perpetuò sponsam atque vxorem condonauit sibi.

Item quemadmodũ iam ab Ecclesia in præsentia spirituali desideratur, sic quoque hodie præsentissimus ipsi adest & colloquitur, nimirum per sacramenta, per mysticam gratiam, & per verbum suum saluificum. Hinc veniunt hę compellationes, Amica mea, columba mea, formosa mea. Amicam autem Ecclesiam vocat, quòd eã dilexerit in mortem vsque. Columbam verò, quòd simplex illa sit, & ipsi fidelis. Formosam denique, quòd eam lauerit ab omni peccatorum immunditia, & effecerit sponsam sanctam, & irreprehensibilem, non habentem rugam neque maculam, Ephes. 5.

Dilectus suæ sponsæ hodie etiã præsentissimus adest et colloquitur per sacramenta, per mysticã gratiã & verbũ saluificum.

Qua nimirum compellatione cum sequẽti, duo præcipua ostenduntur. 1 Quid Christus suo aduentu & descensu Ecclesiæ cõtulerit, cùm dicit hyemem trãsisse, hoc est, placasse patris irã. imbrem abiisse & recessisse, hoc est, abstulisse peccata, vicisse satanã, destruxisse mortem. Flores apparuisse in terra, & tempus putationis aduenisse, hoc est, omnia facta esse noua, recõciliatam esse iam Deo Ecclesiam, pacem & gaudium esse impetrata. Vocem turturis auditã esse in terris, hoc est, se Spiritum sanctum & Euãgelicam gratiam impetrasse, misisséque mundo. Ficus denique protulisse grossos suos, & vineas florentes suũ dedisse odorem, hoc est, donatum esse per se hominibus iustificationis donum, fidem, spem, charitatem, & reliquos spiritus fructus, saluréque; adeò æternam. Quòd autem Christus hæc omnia contulerit nobis, ex scripturis testatissimum est.

Dilectus Christus quid suo aduẽtu & descẽsu Ecclesiæ contulerit.

2 Cæterùm quid vicissim ab Ecclesia pro his tantis donis postulat ostenditur, éstque vt surgat & veniat, vtque ostendat ipsi faciem suam, & sonare faciat vocem suam

Quid dilectus pro tãtis donis ab Ecclesia postulet ostẽditur.

in auribus ipsius: hoc est, vt surgat à vitiorũ somno, veniat ad ipsum per fidem: vtque in sanctitate & iustitia seruiat coram ipso, atque ipsius nomen verbúmque & gratiam coram vniuerso mundo publicè confiteatur.

Luc. 1.

Nobis quid faciẽdũ, si tantis Christi fructibus participare cum Ecclesia cupimus.

Si ergo & nos tãtis Christi fructibus participare cum Ecclesia cupimus, essèque sic & ipsi illius amici ac formosi: surgamus itidẽ à lecto incredulitatis & vitiorum: veniamus ad illum in foramina petræ per fidem & fiduciam in ipsius vulnera: simus quoque coram ipso sancti & irreprehensibiles per charitatem, atque ipsum intrepidè confiteamur.

EPILOGVS.

1 *Amatoria sancta cãtica nuptiarum cælestium Christi et Ecclesiæ mystícè hìc videre licet, teste Augustino super Psal. 143. Plato duos tómentus est amores: alterum, internũ hominem quarentẽ: alterũ, externum petentẽ. Bene quidem pro ethnicorũ cacitate philosophatus est, sed ad amorẽ eũ qui Spiritus sancti est, pertingere nõ potuit. De amore isto vide Ro. 8.*

2 *Ecclesia confitetur Iesum esse Christum et filium Dei viuentis, éque cælo iuxta diuinitatem descendisse ad terras, vterúmque virginis introisse, & quod verbum caro factum sit, & habitauerit in nobis, Ioan. 1. & 3.*

Matt 11. Ioan. 8. Psal. 44. Matth. 5. Ioan. 3. Coloss 3. 1. Pet. 1.

3 *Singulari ex amore Ecclesiam Christus quasi sponsam euocat ab omni idolatria, & verbum Dei audiat, custodiatque, vt obliuiscatur patrónos penates, & exemplum suum imitetur, & bonis operibus studeat, vt ingenium Spiritus sancti per quem renata est, referat. Ecclesiæ quoque sponsæ refugium Christus sponsus declaratur.*

IN EODEM FESTO

Euangelium.

Luc. 1.

Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, &c. Finis Euangelij: Et reuersa est in domum suam.

Aduentus Christi humano testimonio ostẽditur factus.

HOc Euangelium complectitur tria. Primò, Per quos homines Deus pater salutiferum opus incarnationis Christi reuelari voluit, nempe per Mariã & Elizabeth. Vnde quum occultum Christi aduentum ostendisset angelico testimonio vt futurũ, nunc humano ostendit vt iam factum.

1. Timoth. 3. Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

Alius quispiam consuluisset, vt hoc negotium in primis denũtiaretur Augusto Cæsari, aut Herodi regi, qui deinde imperatoriis mandatis & regiis edictis vniuerso mũdo hoc mirabile opus publicassent. Sed noluit Deus hoc negocium publicari per imperatorem aliquem vel reges mundanos, vel pontifices populi: sed per simplices & pauperes mulierculas, iuxta illud, 1. Cor. 1. Quæ infirma & stulta erant mundi, delegit Deus, &c.

Hoc loco autẽ Maria virgo postquã suscepit nuntium angeli, & inuenit in virginali vtero filium Dei, audiénsque Elizabeth in senectute cõcepisse filium, non remorata tanta dignitate, exurgens à quiete contemplationis ad opera charitatis festinauit. Non quasi incerta de nuntio, non dubitãs de exemplo, sed læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, abiit in montana festino cursu, quatenus grandæuę seruiret iuuencula, quemadmodum filius quem gestabat, non venerat ministrari, sed ministrare. Maria maris stella, cælesti semine fœcundata prodiit in lucem, vt omnibus pietatis exemplis lucéret, maximè prægnantibus, quibus tum incumbit piis ac sanctis exercitiis intentas ésse. Simile exẽplum habent in Anna Samuẽlis matre, 1. Reg. 11.

Exemplũ pietatis & bonorũ operum præbet Mariæ prægnantibus.

Neminem sacra virgo salutat obuium, cum nemine nugatur in itinere, non circunspectat, quoniam verebatur diu inter homines palàm commorari: sed tãtum cogitat quomodo ad suam cognatã Elizabeth perueniat, eam salutet, ei gratuletur, fœlicitatẽ precetur, & illi ad tempus inseruiat. Qua in re exẽplum præbet omnibus integris virginibus & mulieribus, vt & ipsæ sint verecũdæ & honestè incedant. Contraria facientes, plerunque inuoluuntur criminibus. Hinc ait Ambros. Discite virgines non circuncursare per alienas ędes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Nã vt Gregor. ait, qui thesaurum in publico portat, ipso priuari desiderat. Turpe enim est tum virgines, tum mulieres quoslibet in plateis compellare homines, & aliquan-

Docentur virgines verecũdiã & honestatem.

Thesaurũ qui in publico portat, ipso priuari desiderat.

diu confabulari. Vulgare est, gallinam plurimum gracillantem statim deposituram ouum, aut iamiam deposuisse. Amat autem secretum vera virginitas: non euocatur ab ædium intimis, nisi prouocet officium. in publico properat, in officio lentior est. Dina tardàs ac curiosa ad videndum mulieres regionis alienæ, per Sichem filium Hemor Heuæi corrupta fuit: vnde nõ parua clades subsecuta est, Gen. 34.

Festinandum ad opera pietatis.

Docet præterea ad opera pietatis festinandum, & vt virgines alacres sint & festinæ ad officia necessaria. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia, vt dicit Ambros. Sic pastores festinantes venerunt in Bethlehẽ, Luc. 2. Zachæus festinãs descendit, & excepit Iesum gaudens, Luc. 19. Ambros. Discite vos sanctæ mulieres sedulitatem quam prægnãtibus debeatis exhibere cognatis. Mariã quę antè sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non à studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit.

Et intrauit domum Zachariæ, &c. Zacharias grandæuus, venerabilis ac sanctus domini sacerdos erat, & Elizabeth anus religiosa, in quorum laudem dicit Euãgeliũ: *Erant ambo iusti ante dominũ.* Docentur ergo hîc adolescentuli & adolescentulæ, seruorum Dei petere habitacula, & eorum requirere alloquia. Quemadmodũ enim qui tangit picem, inquinatur ab ea, & qui communicat superbo, induit superbiam, &c. sic qui cum electis graditur & sanctis, electus & sanctus erit. Hinc monet Ecclesiasticus 6. In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientię illorum ex corde coniũgere, vt omnem narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te. Et si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus, &c.

Adolescentulos et adolescentulas decet sanctorum petere habitacula, eorúmque requirere alloquia.

Colloquiũ familiare Mariæ & Elizabeth.

1 Secundò complectitur familiare colloquium Mariæ & Elizabeth. Nã Maria comiter salutat Elizabeth, precatúrque illi omnia fœlicia & prospera. Non enim est res exigua aut vana, vbi Christicolæ sese inuicem salutant. Hinc Christus apostolis præcepit, Luc. 10. vt siquãdo ingrederentur domum, dicerẽt primùm: Pax sit huic domui. Porrò hoc certũ est, siquãdo pius homo nos salutat, tùm Deus de cælo per eum hominẽ nos plurima salute impertit. Et quí eam salutationẽ fideli ac grato accipit animo tanquã à Deo optimo maximo depromptam: ei sanè nõ potest malè cedere, sed haud dubiè saluti erit.

Nõ res parui momẽti est, quãdo Christicola sese mutuò salutant.

Eandem B. Virgo quam angelo exhibuerat, hominibus quoque curauit exhibere humilitatem, & quod maioris est meriti & virtutis, etiam minoribus, iuxta illud Ecclesiast. 3. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiã. Sic Dauid 2. Reg. 6. fecisse legitur. Ludam, inquit, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, &c. Ambr. Didicistis virgines pudorẽ Mariæ: discite humilitatem. Venit propinqua ad proximã, iunior ad seniorem: nec solũ venit, sed etiam prior salutauit. decet enim vt quantò castior sit virgo, tãtò humilior sit. Nouerat deferre senioribus honorem, iuxta illud Leuit. 19. Corã cano capite consurge, & honora personã senis, & time dominũ Deũ tuum, ego sum dominus. Econtra Poëta dicit: Credebãt hoc grande nephas, & morte piandũ, Si iuuenis vetulo non assurrexerat. Pueri quadraginta duo Elisæo illudẽtes & accelamantes, Ascende calue, ascende calue: ab vrsis dilaniati & cõsumpti sunt. 4. Reg. 2. *Elizabeth vener ãda anus postquã audiuit salutationẽ Mariæ, exultauit infans in vtero eius.* Deum immortalẽ, quantũ hîc gaudij fuit, quàm familiares hîc sermones habiti, quanta hîc miracula sunt edita. Creator visitat creaturã. Deus hominẽ, dominus seruum, magister discipulum. Mater domini salutat matrẽ serui. Ioannes agnoscit saluatorem priusquam aspexit cælum: & intra materni vteri sinus, gestu prædicat eum quem olim erat sua voce prędicaturus: & susceptо singulari supra reliquos gaudio, exultat in vtero. Nam Ioan. 3. Amicus sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Aderat enim tempus quo impleretur angeli sermo, quo Spiritu sancto ex vtero ipsum replẽdum prædixerat, Luc. 1. Matres mutuò sese salutant extrinsecus, & infantes veteris maternis adhuc clausi congaudent. Nec mirũ. Si enim in præsentia arcæ veteris Testamenti sic iubilabat Dauid cum Leuitis (1. Paral. 15.) quantò magis Ioannem cum matre exultare decebat in præsentia arcæ viuæ, quæ saluatorem muudi continebat?

Humilitatem eandẽ quã angelo exhibuerat Maria, hominib⁹ quoque exhibere curauit.

Humilitatis ac reuerentia exẽplum præbet Maria virginibus.

Senio debetur honor.

Pœna in non deferentes senio.

Ioannes agnouit saluatorem priusquàm aspexit cælum, eúmque prædicat necdũ natus.

Messias & præcursor mutuæ inter sese con celebrant gaudia.

Elizabeth vt audiuit salutationẽ Mariæ, repleta est Spiritu

sancto. Repletus autem est Ioannes Spiritu sancto per cum quem gestauit Mariæ vterus, nempe, filium Dei Iesum Christum. Per eundem & ipsa mater Ioannis Spiritu sancto est repleta. Nam si dominus olim ad præsentiam arcę benedixit domui Obed-Edom (2. Reg. 6.) si Laban propter præsentiam Iacob (Gen. 30.) si Ægyptiis propter Ioseph benedixit: quantò magis ad præsentiam domini realem Zachariæ & Elizabethæ benedixit? *Et exclamauit Elizabeth voce magna.* Rectè voce magna, quia magna Dei dona cognouit, quę illum quem vbique præsentem nouerat, etiam corporaliter adesse sentiebat. Magna, inquam, voce, non tam clamosa quàm deuota, quia vocem verbi habuit in vtero, quemadmodū postea testatur dicens, Ego vox clamantis in deserto, Ioan. 1. Deuotio, magnus clamor in auribus Dei. Patuit hoc in Mose, cui à Deo dictum est. (Exod. 14.) Quid clamas ad me? Item in Anna, 1. Reg. 1.

Elizabeth Spiritu S. repletur.

Deuotio ingens, clamor in auribus Dei.

Spiritu sancto plena Elizabeth, non iam cōtinet animi sui gaudia, quę prius tacita latuerat, conceptū pudore dissimulans: sed ingēti voce, quā ingens affectus suppeditabat, exclamauit, ea promēs afflatu Spiritus, quę nec ex vteri rumore suspicari poterat, nec ex homine didicerat: & perinde quasi angelū audisset cū Maria loquentē, ita verbis angelicis suam gratulationem auspicatur, dicens.

Benedicta tu inter mulieres. Et verè singulariter benedicta inter omnes laudatas mulieres, quia à maledictionibus mulierum libera, de quibus primò Genes. 3. agitur: Multiplicabo conceptus tuos, & ærumnas tuas. In dolore paries filios. Deinde Exod. 23. Non erit infœcūda, nec sterilis in Israël. Et per eius partum à natis mulierum maledictio excluſa, in quo benedicendæ essent omnes gentes, Genes. 22. In semine tuo (ait dominus Abrahæ) benedicentur omnes gentes. Verè iterum incomparabiliter benedicta, quę & diuini germinis suscepit gloriam, & integritatis seruauit coronam.

Maria quot rationibus benedicta.

Eadem ergo voce hic Maria ab Elizabeth, qua à Gabriele benedicitur, quatenus angelis & hominibus veneranda demonstretur. Ad hoc nanque à Spiritu sancto edocta fuerat, cuius etiam opus est ad collaudandos sanctos incitare. Videant hic illi & confundantur qui laudibus

Angelis et hominibus Maria demonstratur veneranda.

dibus Mariæ inuident, qui eius honori detrahunt, qui suas mēnstruatas mulieres sacratissimo Dei tabernaculo æquare non verentur. Videant, inquam, quo spiritu agantur. Discant interim hic piæ ac syncerę mentes Mariam laudibus efferre, atque in summo habere honore, quæ angelis cælestibus ac sanctis hominibus, vtputa Elizabethæ, necnon alteri cuidam Euangelicæ mulieri adeò veneranda fuit. Nam sanctos decet collaudatio, maximè Mariam. Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua, inquit Ecclesiasticus cap. 44. Addit consequenter, *Et benedictus fructus ventris tui.* Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus vētris tui: sed quia ille te prœuenit in benedictionibus, ideò tu benedicta, sed inter mulieres. Ille verè benedictus non in hominibus vel angelis, sed (vt Apost. ait Rom. 9.) est benedictus in secula super omnia. Omnes enim in peccato concipimur (Psal. 50.) & natura sumus filij iræ, Ephes. 2. nam per fructum ligni vetiti gustatum, mortem incurrimus, Genes. 3. Per hunc autem fructum vitam consequimur. Prouerb. 3. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.

Blasphemi in Mariā refellūtur.

Luc. 11.

Psal. 32.

Fructus Mariæ benedictus in secula super omnia.

Fructus Mariæ fructus vitæ.

Alij filij fructus sunt parentū, hic solius ventris Mariæ fructus vnicus. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me?* Sed quis iudicauit Elizabeth quòd Maria esset mater domini? Haud dubiè Spiritus sanctus. Nā vbi is rectorē agit, ibi visus est acutissimus, auditus subtilissimus, sermo ardentissimus, opus beatissimum, & omnes artes sunt in summo gradu. Non ergo quasi ignorās hoc dicit, (scit enim esse Spiritus sancti gratiam & operationem, vt mater prophetæ à matre domini ad profectum sui pignoris salutetur) sed quasi humani nō sit hoc meriti, sed diuinæ gratiæ hoc munus esse cognoscat. Ipse enim spiritus qui ei donum prophetiæ quo matrem domini cognouit, contulit, munus pariter humilitatis quo se minus dignam eius aduentu iudicauit, præstitit. quasi dicat, Qua mea iustitia, quibus meis meritis accidit hoc mihi sterili & seni, hominúmque iudicio maledictæ, vt veniat tam humiliter & reuerenter, non in curribus arcuatis, & equis phaleratis, non in auro & gemmis pretiosis, mater domini mei ad me contemptam? Sic & filius eius postmodum locutus est Matth. 3. Ego a te debeo ba

Spiritus S. vbi rectorē agit, omnes artes sunt in summo gradu.

Prophetia & humilitatis dono Elizabetham Spiritus S. decorauit.

beo baptizari, & tu venis ad me?

Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ, &c. O quàm mira & cita Spiritus sancti operatio. Nulla in discendo mora est, vbi Spiritus sanctus doctor est. En vno eodémque momento cum voce salutantis nascitur gaudium infantis: quia cùm vox intrauit aures corporis, virtus spiritualis cor intrauit audientis: nec solam genitricem, sed & sobolem amore Dei aduenientis accendit. Subsilit puer nondum natus, velut occurrere gestiens domino suo, ac debitũ honoris officium exhibere, & applaudens voci quam Adam in paradiso timuit audire, & à facie domini fugit, sed non aufugit, Genes. 3. Adam de publico in absconditum fugit: Ioannes verò de abscondito in lucem gestit omnibus indicare agnum qui tollit peccata mundi, Ioan. 1. Sequitur:

Mora nulla in discẽdo est, vbi Spiritus S. doctor est.

Et beata quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei à domino. Hîc Elizabeth omnia tribuit fidei, bonorum radici. Non enim habuit diuitias & potentiam, de quibus mundano more posset dici beata. Psal. 143. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Nec erat ex filiabus pontificum Annæ aut Caiphæ, sed pauperculi ciuis Ioachimi, in vrbe Nazareth: inter vicinas simplex puella, quæ domesticis laboribus, parentibus, vt fidelis filia, inseruierat.

Beatitudinẽ Mariæ Elizabeth tribuit fidei, bonorũ omniũ radici.

Erat quippe ex regali stirpe Iuda, de tribu & domo Dauid: sed nihil spei erat reliquum, aliquid magni nasciturum de domo Dauid, Herode crudelissimè in eam sæuiente. Ecce quanta est virtus fidei, quæ etiam in matre domini commendatur, quam & charitate ornatam habuit, quando commendauit Mariam: & hanc in fide confirmauit, vocans scilicet eam beatam, & dicens omnia à domino dicta in ipsa completum iri. Nam absque dubio charitatis est, de alio magnificè sentire, & alios in fide confirmare.

Fidei & virtus quãta sit. Charitatis est de alio magnificè sentire & alios in fide confirmare.

Tertiò complectitur celeberrimum canticum Mariæ, in quo tres præcipuas virtutes & opera Dei commendat, scilicet 1 Misericordiam & clementiam Dei, quòd ipsam Deus respexerit, hoc est, sua gratia præuenerit, & magnificis accumulauerit honoribus, eligẽdo nimirum ipsam in filij sui matrem, cùm ait, *Magnificat anima mea dominum,*

Canticum Mariæ. Misericordiã & clemẽtiã Dei

dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Ex quibus verbis talem omnino laudandi exultandíque modum audimus, quem totus mundus ignorat, nec imitari potest. Si enim laudat quempiam, sola lingua eum laudat: & si exultat, aut in sese aut in rebus perituris exultat. Verùm Maria contrà magnificatura dominum, non lingua tantùm (hypocritarum more) illum magnificauit seu laudauit, sed & anima ac spiritu, hoc est, ex toto corde, per totam vitam, omnibus & corporis & animi viribus: exultans item non in sese aut suis meritis, neque in vllis rebus temporariis, sed in solo Deo seruatore suo exultauit ac glorificata est. Sic & nos laudare exultaréque debemus, si quidem Dei esse videri velimus. Si, inquam, laudare quid volumus, eũ laudemus solùm, quem omnis decet laus & gloria, dominum nempe: & laudemus quidem eum non verbis duntaxat, sed anima etiam tota, toto nimirum intellectu, omni voluntate, tota memoria, omnibus factis & cogitationibus nostris. Si item exultare & gaudere libet, non externis duntaxat gestibus lætemur, sed & cum primis spiritu: & exultemus non in sapientia aut iustitia nostra, non in generis nobilitate, non in diuitiis aut mundi huius voluptatibus, non in corporis robore, sed in solo Deo seruatore nostro, ad huius vnius gloriam. Ierem. 9. 1. Corinth. 1. & 2. Cor. 10.

commẽdat Maria, & ipsam respexerit. Isa. 29. Matth. 15. Prouer. 2. Iacob. 4.

Modus & rerus laudãdi Deũ & exultandi in eo ex Maria petendus.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctũ nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. His verbis (vt dictum est) immensam domini misericordiam laudat. Hanc clementiam declarauit Deus re ipsa: quia cùm facilè ditiores, potentiores, & pulchriores inuenisset virgines: attamen diuinos oculos coniecit in pauperculam virginem, eámque elegit præter meritum. Principiò ergo canit misericordiam diuinam erga se abundè præstitam, mox verò & eam quæ omnibus æquè hominibus expositа est concelebrat. Et dicit in hoc opulenter dominum erga se misericordiam suam declarasse, quòd respexerit humilitatem ipsius, hoc est, quòd ipsam coram mundo abiectam (pauperculam nimirum & fabro desponsatam) in matrem filij sui vnigeniti elegerit, sicque

Clementiã suam Deus re ipsa erga Mariã declarauit.

supra

supra cunctas totius mundi mulieres etiam sanctissimas extulerit: adeò vt & tunc & perpetuis temporibus ipsam pronuntiaturi sint beatam, non solùm credentes Iudæi, sed & omnes totius orbis nationes quibus ex ipsa contigerit Seruator.

Maria prophetat misericordiã domini nõ modo nõ in ipsa desitu rã sed etiã in totius mundi nationes propagãdam.

Posteaquàm verò Maria ineffabilem Dei erga se munificentiam dignis laudibus extulit, sit mox prophetissa, futuráque prædicit. Dicit enim misericordiam domini non modò non in ipsa desituram, sed & in alios quàm latissimè propagandam: non in Iudæos tantùm, sed & in mundi totius nationes, omni tempore, ad vltimum vsque seculi huius diem: verùm non in impœnitentes & incredulos, sed in timentes ipsum, in pœnitentes, & in filium suum Iesum credentes: iuxta illud Petri Act. 10. Non est acceptio personarum apud Deum, sed in omni gente quisquis timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Iam & in nos hæc domini misericordia opulentè effusa est: verùm videamus, vt grati simus Marię exemplo, vtque ex animo timeamus ipsum. Alioqui enim frustra illa in nos propagata fuerit. Ecclesiast. 43. Exaltate illum quantum potestis, maior est enim omni laude.

Cõmendat potentiam Dei Maria. Isa. 51. Psal. 32. Isa. 29. Psal. 33. 1. Reg. 2. Potentiam suam Deus re ipsa declarauit.

2 Commendat potentiam Dei, cùm ait, *Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mẽte cordis sui. Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.* Hanc potentiam declarat re ipsa, quia dispergit superbos mente cordis sui, & omnia eorum consilia reddit irrita. 1. Petr. 5. Deus superbis resistit, &c. Deturbat potẽtes de sede, & humiles euehit. Sic deturbauit Saul, Aman, Senes duos, & Iudęos, qui potentia sua diuinitus tradita abutebantur: & euexit Dauid, 1. Reg. 16. Mardochæũ, Esther 6. Danielẽ, Dan. 13. & Gẽtes, Rom. 9. 10. 11. in locum eorum. Esurientes implet bonis: non tantùm satiat, sed affatim implet, & diuites dimittit inanes. Sic Lazarus famelicus in sinu Abrahæ æterno gaudio & salute satiatur: diues verò in inferno sepultus, tacet in æterno igne, & nullum habet solatium, Luc. 16.

Hoc igitur vult dicere Maria: Deus Pater filiũ suum Iesum (quem ego iam gesto in vtero) mirandam in potentiam exeret, qui tamen humilis & inermis apparebit.

Humana

Humana enim potentia & authoritate formidabiles, habebunt filium meum pro imbecilli homunculo, ipsúmque & eius doctrinam cælestem extinguere tyrannide sua conabuntur: verùm ille humilitate & imbecillitate sua omnem illorum potentiam euertet, eósque è thronis suis in ima tartara præcipitabit.

Christus im becillitate, stultitia, et paupertate sua mũdanam potentiã, sapientiam, et terrenas diuitias euersurus prædicitur.

Humana sapientia turgidi, & qui religionis arcem tenere videbũtur, pro stulto ac seductore habebunt filium meum, ipsúmque irridebunt, ac odio prosequentur: at ille contrà verbo suo (vt ipsis videbitur, stulto ac despicabili) stultam facturus omnem eorum sapientiam, & tanquam veræ religionis hostes, æternæ damnationi obnoxios declarabit.

Diuites item tum opum fluxarum, tum iustitiæ humanæ, filium meum, vtpote pauperem, & quibusuis calamitatibus pressum aspernabuntur, nec proin ditescere iustificarique per ipsum volent: cæterùm ille efficiet interim, vt neque diuitiæ terrenæ, neque falsò arrogatæ iustitiæ, quid eis salutis adferant, sed verè pauperes, impiósque se in Dei iudicio esse sentiant.

Imbecilles robore dominandos, humiles exaltãdos, pauperes ditandos, stultos prosapientissimis hẽdos, &c.

Atqui qui coram mundo & in oculis propriis sunt imbecilles, hos filius meus robore fortissimo donabit, vt ne ipsæ quidem portæ inferorum valere aduersus eos possint. Qui humiles sunt & abiecti coram mundo, eos ille sua benignitate extollet. Qui stulti coram mundo habentur, hos ille faciet sapientissimos. qui pauperes sunt & opibus & spiritu, eos ille æternùm ditabit. Qui coram mundo & in oculis suis impij sunt, ipsos ille iustificabit. Qui denique de propriis meritis diffident, & esurient gratiam Euangelicam, cibabit pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit eos. En hæc Mariæ mens fuit. Moneamur hîc nos, vt ante omnia in imbecillium, stultorum, humilium, pauperum, & esurientium numero simus, quò & ipsi euehamur per Dei brachium, filium Dei & Mariæ, Iesum Christum.

à filio suo vaticinatur Maria.

3 Commendat Maria veritatem Dei, seu fidem in promissis, cùm ait, *Suscepit Israël puerũ suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula.* Hãc veritatem declarat re ipsa, quia recordatus est, non operum, meritorum atque votorum

Isa. 41. 30. & 54. Hier. 31. Psal. 131.

homi

Veritas dei seu fides in promissis à Maria cõmendatur.

hominum (non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, &c. ad Tit. 3.) sed præcipuè misericordiæ suæ. Ac si dicat Maria, Quicquid clementissimus Deus Abrahæ promisit, id in me perfectum est, nõ modò mihi, sed toti Israël, hoc est, omnibus credentibus, saluti: non ex merito nostro, sed ex benigna gratia quam Abrahæ & semini eius promisit, Gen. 22. Psal. 131. Ideóque & nostrarum cum primis partium erit, vt laudemus illum perpetuò, quemadmodum ob misericordiam & potentiam, ita & propter veritatem erga nos gratuitò declaratam. Erit verò & hoc nostrarum partium, vt tanta beneficia in nobis & constanti fide, & bonorum operum studio conseruare semper conemur, atque ita tandem & ipsi læti fruemur iisdem gaudiis, quibus iam fruitur Maria vnà cum omnibus sanctis. Amen.

Deus quicquid Abrahæ promisit id in Maria perfectum est.

EPILOGVS.

1 *Fides sana sacramẽta non comtẽnit, bene operari nõ suppetit. Sedet. Vtriusq; Maria exẽplar est, & post Mariã Elizabeth.*

2 *Sanctos decet collaudatio, maximè Mariã, qua omnium virtutum est specimen. Gloriosa ergo semper in Ecclesia de hac vera & viua ciuitate Dei sunt dicenda per quam tanta nobis bona prouenerunt.*

3 *Sanctorum gloria & laus redundat in duplicem Dei laudem & honorem. Vnde & eximium hic habemus in Maria diuinæ laudis & gratiarũ actionis paradigma, vt per quam acceptum beneficium soli diuinæ munificẽtiæ tribuit, Deum solum ob hoc & animo & spiritu laudauit, eique soli gratias egit pro tribus, misericordia, potentia, & veritate.*

IN FESTO MARIÆ MAGDALENÆ, Epistola.

Prouer. 31. *Mulierem fortem quis inueniet? &c. Finis Epistolæ, Et laudent eam in portis opera eius.*

Mulieris probæ officia. 5.

IN hac lectione duo præsertim considerandà veniunt. Alterũ est probæ mulieris officium, alterum eiusdem fructus seu præmium. Principiò, quòd ad mulieris probæ munus attinet, quinque hìc commendantur. 1. Fidelitas erga maritum, de qua sic lectionis initium habet. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* Res siquidem bona mulier fortis dabitur viro Deum timenti. Talem mulierem inuenire, est thesaurum ingentem inuenire. Prouer. 18. Corona siquidem est viri, capit. 12. Donum est Dei, cap. 19.

1. Fidelitas erga maritum.

Confidit in ea cor viri sui, & spoliũ non indigebit. Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ. Contrà otiosa, mollis, lasciua, morte est amarulentior, Eccle. 7. Pleræque enim mulieres sic comparatæ sunt, vt maritis suis neque corporis pudicitia, neque rebus domesticis, seruent fidem. Simul atque ille domum egressus fuerit, statim alium taurũ admittunt, mox comessantur & abliguriũt omnia, aut ia copulatrices suas transfundunt. In summa: Non potest tantum ille inuehere, quantum ipsæ eiiciunt. At mulier virtute prædita longè aliter affecta est. Sic ea marito fidem coniugalem seruat, ita res partas tuetur, vt siue ille domum veniat, siue egrediatur, omnia perinde sint in tuto. Amat maritum flagrantius, studiosior est pudicitiæ, quàm vt quippiam vel cogitet, nedum committat, quod illi sit fraudi. Hinc quoque diuinitus ordinatur, vt ille ipsi ex animo confidat, nihil de ipsa suspicetur, mali: imò potius contra obtrectatores eam defendat.

Mulierem bonam & fortem qui inuenit, thesaurum ingentem inuenit. Mulier otiosa, mollis, lasciua morte est amarulentior.

Ordinatio ne diuina maritus sit deli Cxori

Huiusmodi fidelitatem imitentur omnes quæ probæ mulieres & esse & dici volent. Virgines autem eandem & suo sponso Christo incontaminatam conseruent.

ex animo confidit.

2 Assiduitas in labore, cùm ad hunc modum in hac lectione sic sequitur: *Quæsiuit lanam & linum, & operata est libenter manibus suis. Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suũ. Considerauit agrum, & emit eũ. de fructu manuũ suarũ plantauit vineã. Accinxit fortitudine lũbos suos, & roborauit brachiũ suũ. Non extinguetur nocte lucerna eius. Manũ suã misit ad fusum, et digiti eius sustẽtauerunt colũ.* Multę inueniuntur hodie mulierculę quæ tempus aut dormiendo, aut ornando, aut edendo & bibendo, aut nugando consumant: vt verò curent rem domesticam, vt laborent, vt operentur, ne semel cogitẽt quidem: de quibus & Paulus ait. 1. Timoth. 5. Sunt (inquiens) otiosæ, ac discunt circuire domos: non solùm autem otiosæ, sed & loquaces ac curiosæ, loquentes quę nõ oportet. Verùm proba mulier contrà in hoc tota est, vt

2. Assiduitas in labore.

In mulieres otiosas & negligẽtes.

curet rem familiarem, vt laboret noctu diúque, vt parta & conseruet & augeat, ne iis dilapsis vnà cum marito & filiis laborare cogatur inopia. Hanc itaque assiduitatem omnes honestæ matronæ imitari satagant.

3 Liberalitas in familiam.

3 Liberalitas in familiam, cùm subditur: *De nocte surrexit, dedítque victum domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Non timebit familiæ suæ à frigoribus niuis omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Quedã matresfamilias tam sunt inhumanæ in domesticos, vt eas nõ pudeat macerare illos fame & nuditate Sæpe inusitata & irrationabilia ieiunia indicunt illis: sic labore assiduo opprimũt, vt viuere vix ipsis libeat. Ast mulier proba tam contrà ficita est pro suis, vt nihil patiatur illis deesse, quod vel ad victum vel ad vestitum requiritur. Si tenuioris est fortunæ, ipsa met potius totas noctes insomnes ducit & laborat, vt illis prouideatur. Talem ergo liberalitatem & omnes probæ fœminæ erga suos pro virili exerceant.

Mulierum quorũdam inhumanitas in domesticos.

4 Munificentia in pauperes, cum sequitur, *Manum suã aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem, &c.*

4 Munificentia in pauperes.

Quarundam aures vsque adeò obturatæ sunt, vt pauperum clamores non exaudiant: habent ædes tam liberas, vt ne semiobolus inde pendatur. Mulier autem timens dei sic affecta est, vt quæ aliæ ad ornatum & delicias vertunt, ipsa pauperibus eroget. Scit enim ornatum nullum deo gratiorem, quàm misericordiam & munificentiam esse.

Inclementia quarũdam mulierum in pauperes.

5 Oris sui custodia: vnde sequitur: *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clemẽtiæ in lingua eius, &c.* Hoc nonnullæ persuasum sibi habent, quicquid libet, sibi licere effutire, eóque deierant, obtrectant, execrantur, iocantur, nugantur, turpia loquuntur. In summa, sic oris gladium circunquaque vibrant, vt quis optimo iure in vaginam alapam infringere possit. Cæterùm mulier colens dominum, aut tacet omnino, aut parcè admodum loquitur, & nil nisi pia, honesta, & ædificatoria. Sapientiam deprompit, verbum domini laudat, domini legem suis proponit. En has proprietates, hęc officia habet mulier timẽs dei. Quidni verò? Bona arbor bonum fructum producit. Timor domini quum initium sit sapientiæ & omnis boni, non finit suum possessorem aliud vel cogitare, vel

5. Oris custodia.

Mulierculãrũ nonnullarum garrulitas execrabilis.

dicere, vel facere, quàm quod deceat, & se sit dignum.

2 Secundò ostendit præsens lectio, qui fructus probam mulierem sequantur, quæ ítẽ maneant præmia, cùm dicit: *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo. Surrexerunt filij eius, & beatissimã prædicarunt eam. Laudauit eam & vir suus, &c. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis operæ eius.*

Hic sex enumerat fructus mulierem bonam sequentes.

Fructus sex mulierem probã sequentes, seu præmia eandẽ manentia.

1 Hic fructus eam sequitur, vt marito sit corona glorię, vt is propter eam omnibus honorabilis habeatur.

2 Eam is fructus comitatur, vt bona fama & prospera valetudine sit fruitura per omnem vitam.

3 Quòd & liberos sit habitura minimè degeneres, sed probos & tales, qui sua vita eam laudent.

4 Quòd marito quoque sit placitura, vt ab illo vnicè & obseruetur & ametur.

5 Quòd etiam nihil illi, quod ad vitæ sustentationem attineat, vnquam desiderabitur.

6 Quòd & æterna lætitia ac beatitudine sit donanda.

Quibuscunque iam hi fructus, hæc præmia arrident, eæ hanc probę mulieris imaginem induant. Imò & omnes qui matrimonio volunt initiari, omnibus huc incũbant modis, quò tales sibi futuras vxores adsciscant. Nec dubium erit, quin huiusmodi si qui inuenerint, habeant pretium ipsis etiam gemmis pretiosius.

EPILOGVS.

1 *Mulier proba à multis virtutibus cõmendatur, reliquas quoque mulieres maximè concernentibus. Beatus vir cui talis contigerit.*

2 *Mulieris bonæ & malæ, sapientis & fatuæ conditiones variæ adumbrantur. Hæ fugiendæ, illæ amplectẽdæ omnibus mulieribus proponuntur.*

3 *Fructus & præmia mulierem sanctam concomitantia, coniuges ad similem probitatem prouocare debent.*

EPILOGVS MYSTICVS.

1 *Metaphorica locutione Ecclesia Catholica mulier fortis describitur, quam Ioannes in Apocalypsi amictã sole, id est,*

Christi, sidisse perhibetur, Apoca. 12.

2 *Vir huius mulieris Christus est caput Ecclesiæ: & Ecclesia subdita est Christo, Ephe. 5.*

3 *Variæ conditiones sponsi & sponsæ, in quibus virtutum chorus cernitur. Nam Christus dilexit Ecclesiam, & exposuit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per verbum, vt exhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.*

IN FERIIS IISDEM

Euangelium.

Luc. 7 *In illo tempore: Rogabat Iesum quidam de Pharisæis vt manducaret cũ illo, &c. Finis Euangelii, Vade in pace.*

HOc Euangelium valde consolatorium complectitur duo: Primò historiam, quę loquitur de tribus personis. 1 De Pharisæo, qui rogat Christum vt secum manducet. Et hoc signum fuit fauoris alicuius erga Christum, vt quidam putant. Quo docemur quales hospites ad conuiuia nostra debeamus inuitare, non momos, gnathones, lenones, ioculatores, aut eiusmodi nebulonum feces, sed ipsum Christum in suis membris, iuxta illud Lucæ 14. Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, &c. Viri iusti sint tibi conuiuæ, ait Ecclesiasticus cap. 9. Tobias quoque ait. 2. cap. Voca de tribu nostra timentes Deum, &c.

Hospites iusti et timẽtes deũ ad cõuiuia vocandi.

Alij tamen volunt dominum maligno animo ab hoc inuitatum: quòd contextui magis est cõsonum. nam cùm videret peccatricem accedere ad Christum, indignabatur, & ait intra se: *Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eũ: quia peccatrix est.* Hic vides Pharisæorum propriã naturam: nempe quòd magnificè de se sentiãt, opera & merita propria iactent, iustitiã propriã statuãt, alios præ se despiciant, & extremè aspernentur. Luc. 18. Et hi morbi animæ perniciosissimi non possunt curari, nisi Spiritus sanctus adueniat, atq; ex veteri Adamo nouũ hominẽ creet, sicuti dicitur Ioan. 14. Cùm venerit paracletus, suggeret vobis, &c. Nã animalis homo nõ percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. 1. Cor. 2.

Pharisæorum natura arrogãs & superciliosa.

2 Historia hodierna loquitur de peccatrice *quæ erat in ciuitate*, non quòd ibi aliæ peccatrices non essent: (Nam facti sumus immundi omnes nos, ait Propheta, & alius: Omnes declinauerunt, &c.) sed quia hæc famosa peccatrix erat, & mulier pessimæ famæ. Quanquàm lege diuina prohibitum erat genti Iudæorum, Deut. 23. Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël, lupanaria tamen & scortã in oppidis tolerabantur & permittebantur ad maius malum euitandũ, vt vult Aristoteles, quanuis non concedebantur: quemadmodum etiam nunc fit in Ecclesia. Ad hunc sensum facit similitudo quam B. Augustinus non absurdè adfert, inquiens. Si quis palatium pulchrum ædificet, & in aliquo angulo cloacæ fœtorem sustinere nolit, palatium totum fœtoribus implebitur. Vnde tolle cloacam de palatio, & aula fœtore efficitur inhabitabilis. Sic tolle meretricem de mundo, & sodomia totus efficietur reprobus.

Per excellẽtiã dicebatur peccatrix.

Minus malũ permittitur ad maius malũ euitandũ, sed nõ conceditur.

Similitudo apta.

Quænam hæc peccatrix fuerit, per nomen non aperuit Lucas, sed tantùm factum, vt declaret se non personam, sed vitium detestari. Nos verò non sic solemus. quando enim magnum aliquod crimen audimus commissum ab aliquo, apud omnes traducimus. nihil omittentes quod potest factum exaggerare, & condemnare personam peccantem. Christianorum est sic traducere & arguere peccata proximorum, vt videamur odisse vitia, amare verò personas.

Euangelista ostendit se non personam, sed vitiũ detestari.

Christianorum est sic traducere & arguere peccata, vt videantur odisse vitia et amare personas.

Hæc quia peccata sua agnoscit, & gratiam Dei esurit, *vbi cognouit quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi*, qui nullum repellebat ab sese, qui malis omnium omnibus promptissimè mederetur, sibi tota displicens, non veretur ingredi: non timet sibi ab hospite, neque à conuiuis, quamuis non esset ignara quanto fastu soleat Pharisaicum genus auersari peccatores, quũ ipsi intus grauibus maderent vitiis: sed cum fiducia intrat domum Pharisęi. ardor enim animi omnẽ pudorẽ excusserat. Quo nimirum docemur quòd nemo erubescat pœnitere, qui olim non erubuit peccare. nemo erubescat nec confundatur cõfiteri peccata sua. nemo verecũdetur ieiunare, pectus tundere, lachrymas fundere, &c. ne obnoxius fiat sententiæ Euangelicæ qua dicitur Luc. 9. Qui me erubuerit &

Pœnitẽtia ob neminẽ erubescenda.

meos sermones, hunc filius hominis erubescet, &c.

Attulit alabastrum vnguenti. Hoc est, attulit secum delicias suas: pristinæ vitæ (quam oderat) monimenta omnia, quibus antè malè placuerat sibi ac mundo, in Christum cuius amore flagrabat, effusura. Est autem alabastrum genus marmoris, in quo incorrupta seruantur vnguenta. erátque vnguentum quod secum ferebat, eximium, magnóque emptum. Olim autem qui voluptatibus carnis seruiebant, vnguentis impendiò delectabantur, præsertim in conuiuiis. Quod ergo tempore vanitatis ad voluptatem, nunc ad pietatem vertit. Cuius exemplo & nos si diuitiis, vestibus, cibis, aliísque Dei creaturis abusi fuerimus, denuo vertamus in obsequium Christi, & pauperum vsum. Isa. 58. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c. Et iterū: Quod superest, date eleemosynam.

Alabastrū quid sit.

Ad pietatem vertē da sunt ea, quibus alias quando ad vanitatē et voluptatē vsi sumus.

Et stans retrò secus pedes Iesu. Quoniam verecundia est quasi principium pœnitentiæ, retrò stetit, ac si illud Ierem. 31. dicere voluisset: Conuerte me, & conuertar, quia tu dominus Deus meus. Postquàm enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquàm ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusa sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Verè fœlix confusio & erubescentia. Est enim confusio adducens gloriam & gratiam, Ecclesiastici 4.

Verecūdia principiū pœnitētiæ.

Flens cœpit lachrymis rigare pedes eius. Quatuor narrat Lucas obsequia, de quibus Gregor. Cogitanti mihi (inquit) de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeū cor illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Discite quæso quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubuit. Non legitur hîc quid loquuta sit. Nihil ita precata fuerat, nihil confessa verbis, sed euidentius confessa est factis, efficacius precata est lachrymis. Sacrificium quippe Deo, spiritus contribulatus, &c. Psalmo quinquagesimo. Flens cœpit rigare pedes lachrymis, extergere capillis capitis sui, vnguento vngere, oscular ore. His operibus charitatis & misericordiæ ipsa suam fidem insigniter probat: & sunt certa argumenta

Quatuor peccatricis obsequia ī Christum.

Argumenta certa resipiscentiæ fidei, & charitatis.

argumenta resipiscentiæ fidei, & charitatis.

Tanto insuper rapitur impetu, vt Pharisæorum exprobrationes nihil moretur: quod rursus ingens fuit ipsius fidei & charitatis testimonium: sicut Christus ait, *Fides tua te saluam fecit.* Hæc autem fides mulieris nō fuit otiosa aut sine operibus, sed ex omni parte erupit. Nam secundum consuetudinem eius regionis Christo pedes suis lachrymis rigabit. Omnia quondam inhonestæ voluptatis instrumenta, vertit in obsequium illius qui solus est amandus. Illis quippe rebus & membris, quibus offensus est Deus, illis itidem placandus est, teste Apostolo Roman. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ, &c. Oculos quos olim spectaculis & scenicis ludis inquinauerat, stibio ad turpitudinem depinxerat, turpiter alios ad sui amorem pellexerat, salubri lachrymarum imbre expurgauit, qua si dicere voluisset hoc Ieremiæ 9. Heu iam scio & video quàm malum & amarum mihi est dereliquisse me dominum, & eius timorem non esse apud me. Et ideò exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam, Psal. 118. O fœlices lachrymæ. His enim cō scientia mundatur, hic imber erumpēs extinguit fulmē irędiuinæ, hic fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei. Exēplo sunt, Petrus, Dauid, Manasses, Ezechias, Magdalena, quæ tot effudit lachrymas, quot antè ex peccatis patratis conceperat gaudia. Cuius exemplo illachryme mus & nos, tantùm dolentes ob peccata commissa, quātùm in eorum patratione concepimus voluptaris & gaudij. Lauemus cum Dauide per singulas noctes lectum nostrum, & lachrymis stratum rigemus, Psalm. 6.

Ingens testimonium fidei & charitatis in peccatrice.

Fides mulieris non fuit otiosa aut sine operibus.

Illis rebus & mēbris placandus est Deus, quibus offensus est.

Lachrymis conscisē tia mūdatur, & fulmen iræ diuinæ extinguitur.

Capillis capitis sui extergebat. Lachrymarū imbre lotos pedes, non aliquo linteo, sed capillis suis extergebat, cor poris Christi humillimā partem, quos antea cōsueuerat ad carnis voluptatem vngere, tingere, comere, auróque intexere, contra illud 1. Petri 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circūdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus, &c. Hęc nimirum agens quò dignaretur Iesus mentis eius sordes abluere: quasi dicere voluisset: Miserere mei deus secundū

Ornamentum suum muliebre præcipuū obtulit in obsequium Christi.

magnam misericordiam tuam, Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, &c.

Signũ præcipui amoris in Christum.

Osculabatur. Nec his contentus mirus peccatricis amor, lotis & exterſis Iesu pedibus defigebat oscula. Ore quo vana & lasciua superbáque protulerat, osculabatur pedes Iesu. q.d. Fy peccatum, fy vanæ voluptates. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, dicere, Vadam & affluam deliciis, & fruár bonis. Vale munde immunde cum tuis vitiis & concupiscentiis. Mihi adhærere Deo bonũ est, ponere in domino Deo spem meam. Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.

Ecclé. 1. & 2.

Maria quot in se habuit oblectamenta. tot de se inuenit holocausta.

Vnguento vngebat: quo vti solebat ad carnis delicias explendas. Maria ergo quot in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta: ac conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum.

Id & nobis eius exemplo faciendum, vt scilicet peccata agnoscamus atque confiteamur. Threno. 3. Scrutemur vias nostras, &c. Credamus peccata nobis per Ecclesiæ sacramẽta remitti, propter meritum Christi. Luc. 24. Oportet in nomine eius prædicari pœnitentiam, & vt

Fidem nostrã per opera charitatis & misericordiæ declarare et manifestã facere debemus.

fidem nostram per opera charitatis & misericordiæ declaremus, & manifestam reddamus. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c.

Studium Christi præcipuum.

3 Historia hæc eadem loquitur de Christo: hic nullam prætermittebat occasionem docendi, prædicandi, & iuuandi, si qua spes melioris vitæ relsqua erat. Non quærebat suum commodum. Roma. 15. Christus non sibi placuit, &c. nec approbauit eorum peccata, scelera & flagitia. Psal. 5. Quoniam nõ Deus volens iniquitatem tu es. Sed in hoc intẽtus erat, vt perditas oues colligeret. Iuã. 11. Lucæ 15. vtque miseros peccatores & peccatrices à perditis suis moribus & flagitiosa vita conuerteret. Matth. 11. Venite ad me omnes, &c.

Calumnia Pharisæi aduersus.

Pharisæus hæc cõspicatus, quum fauere debuisset mulieri tanto affectu se ingerenti, tanta modestia sese deiicienti, tot indiciis testãti vitæ prioris pœnitudinẽ, cũm amare debuisset Iesu mansuetudinem, nullũ hominem à se repellentis, prouocatur ad vtriusque calumniam. *Si esset*

esset, inquit, *propheta, sciret publicã esse peccatricem, nec se tãgi permitteret.* Existimabat enim sanctos homines polui, si cum peccator vel colloquium habuissent. Hicque erat fastus falsæ iustitiæ, qua sibi placebant, Deo displicentes. Quæ enim sancta sunt, coinquinari non possunt, nisi vitiorum contagionem participent. Habitauit enim in Sodomis Loth, Gen. 19. 2. Petr. 2. Aspectu & auditu iustus erat, habitans inter eos qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. Iob frater fuit draconum, & socius struthionum, Iob. 30. Sic sancti lucent in medio nationis prauæ & peruersæ, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, Philipp. 2. Vnde hic Pharisæus de falsa iustitia superbus, nulla compassione motus, suæ fragilitatis oblitus, ægrum reprehendit de ægritudine, & medicum de subuẽtione. Necesse est enim cùm peccatores cõspicimus, nosmetipsos prius in illorũ calamitate defleamus, quia in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus. 1. Corint. 10. Qui stat, videat ne cadat. Gal. 6. Fratres, si præoccupatus fuerit quis in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, ne & tu tenteris.

Christũ & mulierem. Sancta coinquinarẽ nõ possunt, nisi vitiorũ contagionẽ participẽt. Peccatores cum cõspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus, qui in similibus aut lapsi sumus aut labi possumus

Christus ad cogitationes Pharisæi respondet, *Simon*, inquiens, *habeo tibi aliquid dicere: Duo debitores erant cuidam fœneratori*, &c. His verbis, hácque similitudine Christus ostendit cur in mundum venerit: nempe, propter peccatores. Luc. 5. Vtinam ex animo agnoscceremus debitum, & crederemus Deum per pœnitentiam velle debitum remittere: & deinde gratum quoque declaremus animum, sicut hæc peccatrix fecit, & Dauid Psal. 50.

Similitudo hanc ostendit Christus quod propter peccatores in mundum venerit.

Conuersus autẽ ad mulierem, animi propẽsione, vt mœstam erigeret: *Vides*, inquit, *hãc mulierem?* tu peccatricem vocas, toro corporis habitu præ se ferentem pœnitentis imaginem? Huius peccatricis pietas longe vincit tuã iustitiã qua tibi places. Numerat officia charitatis. *Aquam pedibus meis non dedisti*, quod est de cõsuetudine hospitalitatis, Gen. 18. 19. & 24. Item. 1. Timoth. 5. *Hæc lachrymis*, &c. De huiusmodi lachrymis Chrysost. sic inquit. Sicut vbi vehemens imber prorumpit, fit serenitas, sic lachrymis effusis oritur mẽtis trãquillitas, & perit caligo reatuum: & sicut per aquam & spiritum, ita per lachrymas

Matth. 6. Peccatricis pietas vicit Pharisæi iustitiam. Consuetudo hospitalitatis pedes abluere.

Sicut per aquam & spiritū, ita per lachrymas & cōfessionē denuo mundamur.

& confessionēm denuò mundamur. *Et capillis tersit, qui* præcipuum sunt ornamentum mulierum. 1. Corinth. 11. *Osculum* in signū charitatis, Rom. 16. *mihi nō dedisti*: ipsa pedes plus appretiata, etiam vnxit. Noli ergo perpendere quantum peccauit, sed considera quantum amet. Quò enim grauius peccauit, hoc sibi magis displicet, ac me cuius gratuita clementia liberata est à peccatis, vehementius amat. Vos vobis iusti videmini ob legis obseruationem, neque multum habere quod vobis ignoscat Deus, & ideò frigidius amatis condonantem.

Charitas operit peccata.

Et ideò fert sententiam de hac muliere, dicens. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multū. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* 1. Petr. 4. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. de qua Greg. sic ait, Quid fratres mei dilectionem esse credimus, nisi ignem? quid culpam, nisi rubiginem? Tantò ergo peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. Prouerb. 10. Vniuersa delicta operi charitas.

Iustitia pax est, sicut peccatum inimicitiæ cum Deo.

Cùm accumbentes Pharisæi intra se dicerent, *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Christus mulierē à se dimisit, dicens, *Fides tua te saluam fecit, uade in pace.* Quasi dicat, Vos offendimini quod huic mulierculæ me tam benignum exhibeam: quódque mihi arrogem etiam authoritatem propria remittere peccata, quod nemo prophetarum aut patriarcharum vsurpauit sibi: imò nec ipsi sacerdotes aliud sibi vindicarunt, quàm orare pro peccatis populi: sed quia in me credidit, atque dilexit quem vos contemnitis, remisi illi omnia peccata, pacem conscientiæ præstiti, ac iussi vt in pace vadat: hoc est, iuxta Theophylactum, in iustitiam. pax enim iustitia est, sicut peccatum inimicitiæ cum Deo. Beda, Vade, inquit, in pace, ne à via iustitiæ labaris in viam scandali. Rom. 5. Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum, &c. Philip. 4. Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Aduerte quòd postquàm

Post peccatorum remissionem, adiecit & operationē boni.

remisit ei peccata, non contētus est remisisse peccata, nisi adiecisset & operationem boni: Vade in pace, id est, Fac ea quæ te Deo concilient.

2 Secun

2 Secundo complectitur hoc Euangelium mysterium huius historiæ. Pharisæus significat Iudæos: Nam Iudæi Christum inuitabant, magno desiderio eius aduentum expectantes. Cùm autem venisset, contemnebant. Ioan. 1. In propria venit, & sui eum non receperunt. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines, &c.

Mysterium præsentis historiæ.

Pharisæus Iudæos significat.

Mulier significat Gentes. Nam Gentes simul atque diuinam misericordiam agnouere, Christum obuiis vlnis exceperunt. Act. 13. Audiētes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad æternam vitam.

Pedes Christi sunt Euāgelij conionatores.

Pedes Christi, conionatores Euangelij sunt. Hos debemus lachrymis rigare, capillis extergere, osculari, & vngere, hoc est, in concionibus diuini verbi debemus ex animo peccata nostra deplorare, & Deo cōfiteri, ac veniā rogare: ministris verbi, & egenis fratribus in rebus necessariis succurrere: mutuo nos amore complecti: in afflictionibus inuicē consolari, & ad pacem hortari: vt exemplo huius peccatricis per fidem & charitatē peccatorum consequamur remissionem, & vitam æternam, Amen.

EPILOGVS.

1 *Habes hic imaginem peccatoris, per improbitatem ardoris, & pertinaciam: fidei, verámque pœnitentiam, irrumpentis in regnum cælorum. Tales requirit Deus. Ioël. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Si ergo secuti sumus peccantem, iam imitemur pœnitentem.*

2 *Christi benignitas & clementia erga peccatores ex toto corde ad se conuertentes ostenditur: vt vbi abundauit delictum, superabundet & gratia, Rom. 5. Hinc Zach. 1. dicit, Conuertimini ad me, & cōuertar ad vos. Quemcunque ergo sui pigere cœperit, ad Iesum properet: in hunc effundat, quod prius prodigere solitus est in impias voluptates. Huius obsequio consecret omnia membra sua, quæ prius seruiebant fœdis cupiditatibus. Rom. 12. Obsecro fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, &c. 1. Corint. 6. Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno: glorificate ergo & portate Deum in corpore vestro.*

3 *Pharisæorum arguitur falsa iustitia. Vera nanq; iustitia compassionem habet: falsa verò dedignationē hinc & arguebant medicum cælestem, quòd succurreret miseris & agrotis*

pecca

peccatoribus, & ægrotos quòd malagma gratiæ & misericordiæ ab ipso susciperent. Qualis hospes, tales conuiuæ. Ad quos Christus Matth. 23. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

IN FESTO IACOBI APOstoli, Epistola.

Ephes. 2. *Iesu veniens Euangelizauit pacem vobis qui procul aberatis, &c. Finis Epistolæ: In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.*

Beneficia Iudæis & ethnicis credentibus per Iesum Christum Dei filium facta ab Apostolo enumerantur.

Ante conuersionem & fidem omnes eramus Dei capitales inimici, longéque ab eo separati, exules, profugi, & in omnes miserias lapsi.

HAec lectio Epistolaris duo præcipua docet. Prius est, quæ beneficia nobis tum Iudæis tum Ethnicis credentibus per Iesum Christum Dei filium contigerint, cùm his verbis dicit Apostolus: *Iesus veniens Euangelizauit pacẽ vobis qui longè fuistis, & pacem iis qui propè: quoniã per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrẽ. Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis cõciues sanctorũ, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorũ, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Eramus omnes antè tam Iudæi quàm gẽtiles, propter peccata & trãsgressiones nostras, Dei capitales inimici, longissimèque ab eo separati, & vt verè inquit Isaias, peccata nostra ab ipso nos veluti gladius diuiserant. Inde etiã exules factí & profugi, in omnes miserias prolapsi fueramus. Nam hinc conscientiæ morsibus impetebamur, illinc peccati stipendium (mors nimirum æterna) nos terrebat vndiquaque: Satan veluti tortor crudelissimus nos miserrimis exagitabat modis. In summa, nil nobis reliquũ erat spei, nisi desperatio, æterna abiectio, æterna damnatio, æternus cruciatus. Verùm pater ille indulgentissimus, præsummo in nos amore (qui plasma ipsius eramus) misertus nostri, suam & potentiã summam, & inexhaustam bonitatem exeruit, misitque filium suum vnigenitum Iesum ad nos in mundum, qui nos è manibus inimicorum nostrorũ liberatos, pristinæ innocentiæ & libertati restitueret. Is igitur propter patrẽ, & in nostri fauorem causſa

causſa nostra in se susceptа, factus est pacificator & mediator noster, soluénsque medium maceriæ parietem, hoc est, intercapedinem per peccatum inter Deum & nos obfirmatam, nempe inimicitias, per carnis suæ proprię oblationem, ac effusionem sanguinis sui, nos tum Iudæos tum Gentes suo patri reconciliauit, ita vt iam liberati simus à peccato, à lege, à morte, à satana & inferno, atque ambo ad ipsum patrem accessum habeamus per illum in vno spiritu. Atque sic pacem non nuntiauit solùm, sed & æternam nobis impetrauit: ita vt qui antè appropinquare Deo non poteramus, iam ad ipsum tutum habeamus accessum: & qui antè diaboli eramus serui, iam Dei patris filij charissimi simus: quique antè alieni eramus, & extranei, iam simus ciues, & domestici regni cælestis.

Christus factus est pacificator et mediator noster.

Ex seruis facti sumus filij, ex alienis ciues & domestici regni cælestis.

Hoc igitur pacto desimus esse (vt hîc Apostolus inquit) hospites & aduenæ, hoc est, alieni & inimici, & facti contrà sumus conciues sanctorum, & domestici Dei, hoc est, filij ac hæredes ipsius.

Iudæi itẽ sese à Deo alienarant, idque non solùm ante circuncisionem, sed & post: ideóque meritò hospites ac aduenæ dicẽdi erant, quemadmodũ & dominus Psal. 18. eos vocat filios alienos & inueteratos, claudicantes à semitis suis. Longè tamen remotius sese Gentes (progenitores nostri) à Deo alienarant, quàm illi. Hi enim aberrauerant adeò, vt neglecto Deo viuo & vero, mortales homines, imò bestias, quin & ligna lapidésque pro Deo adorarint: adeóque peius & propudiosius viuerẽt, quàm si bruta fuissent animantia aut belluæ, Rom. 1.

Iudæis longè remotius gentes sese à Deo alienarãt.

Hinc iam factum est, vt fuerint hospites & aduenæ, hoc est (vt Paulus ipse exponit) abalienati à republica Israëlis, extranei à testimoniis promissionis, sine Christo, spem non habentes, Deóque carentes in mundo: in summa, reiecti omnino & damnati.

Sed vbi venit Samaritanus ille verus, dominus noster Iesus Christus, pax nostra: non is Iudæorum duntaxat vulnera obligauit, eósque in diuersorium gratiæ & salutis duxit, qui nempe, aberant propius, sed & gentium (hoc est) nostra obligauit vulnera: eósque ac nos (qui longissimè aberamus) gratia & salute dignatus est. Inde

Samaritanus Iesus Christus nõ Iudæorum

nimirum

tãtum, sed & Gentiũ, hoc est, nostra obliguit vulnera.

Ad quantã fœlicitatẽ per Christum venimus.

Exhortatio ad cõstantẽ beneficẽtiæ Dei fidem atque gratiarum pro eadem actionem.

Munus nostrũ pro collatis bonis quod esse debeat.

In quem finem nos pater cœlestis per filiũ suum asseruerit.

Rom. 12.

Conatus nostri præcipuus esse debet, vt nosmet totos Deo constituamus habitaculũ in Spiritu S.

nimirum qui quondam eramus longinqui, nunc propinqui facti sumus per Christi sanguinem: qui antè Deum habebamus iratum, iam eundem habemus propitium ac patrem. qui prius eramus hospites & aduenæ, iam sumus conciues sanctorum, ac domestici Dei. qui olim satatiæ eramus structura, modò superstructi sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, ipsum summum angularem lapidem Christum Iesum. Eo, ad tantam fœlicitatem per Christum peruenimus, ídque exnimia charitate Dei, & ex mera Christi gratia, nõ autem ex nobis aut operibus vllis præcedentibus.

Admonemur hîc igitur primò, vt constanti fide credamus hæc nobis per ipsum contigisse, ídque gratis per suam immensam misericordiam: Deinde vt & omnem porrò in ipsius meritum ac gratiam fiduciam collocemus: persuasissimum habentes, vti antehac, sic & posthac ipsum nos respecturum. Postremò, vt gratias etiam illi & laudis sacrificium deferamus per omnem vitam.

2 Posterius verò est, quid vicissim nostri muneris esse debeat, quid pro tantis bonis debeamus illi refundere: quod his verbis explanat Paulus. *In Iesu Christo omnis ædificatio extructa, crescit in templũ Sanctum in dominũ: in hoc igitur & vos coædificemini in habitaculũ Dei in spiritu sancto.* In eum finem nos pater cœlestis per filiũ suum adiecit, vt essemus ipsius templum, sacerdotiũ, & regnum, in quo per spiritum filij sui habitaret, sacrificaret sacrificia iustitiæ, & dominaretur. Itaq; omnes electi quotquot fuerunt ab ipso orbe condito in præsentem vsque diem, propter tanta ipsis vniuersóque humano generi collata diuinitus beneficia, sese totos consecrarunt templum domino, vero functi sunt sacerdotio, vtpote corpora sua exhibentes hostiam viuentem, subdiderunt se ipsius dominio in obedientia maxima. Hinc ergo & nos iisdem affecti beneficiis, huc omnibus modis debemus eniti, quò nosmet totos Deo constituamus habitaculum in Spiritu sancto, hoc est, vt Paulus alibi ait, abnegãtes omnem impietatem & carnalia desideria, veluti superbiã, auaritiam, libidinem, luxum odium, & id genus alia, in hoc mundo porrò piè, castè, sobriè, humiliter, & iustè viuamus. Quòd autem re vera in hunc finem simus redempti, testis Zacharias

charias (Luc. 1.) Memoratus est, inquiens, dominus testamenti sui sancti, iurisiurãdi quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Testis est & dominus ipse Ioan. 15. Ego (inquiens) elegi & constitui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Testatur etiam Paulus Rom. 6. Liberati, inquiens, à peccato, serui facti estis iustitiæ. Testatur Petrus quoque in priori sua epist. cap. 2. Christus, inquiens, pertulit peccata nostra in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.

Quin & hoc nostri muneris erit, vt quando seruator nos à peccatis purgarit, in hac puritate porrò maneamus, quum ille pacem nobis impetrauerit, eam omnibus modis per vitæ innocentiam tueamur: posteaquàm ille filios nos Dei fecerit, tanquam filij charissimi ambulemus, quum denique conciues sanctorum, & Dei domesticos nos constituerit, cõcordiam & vnitatem conscientiæ conseruemus. Summa: Simus structura tanto digna fundamento, simus quoque habitaculum & templum tanto dignum inhabitatore. Porrò templum requirit & sanctitatem & religionem puram. Vt igitur & templum ipsius esse mereamur, sanctos nos ac religiosos esse necesse est, & ante omnia fide & charitate præditos. Nam teste Paulo, Christus per fidem & charitatem habitat in cordibus nostris, Ephes. 3.

Quales nos Christus fecerit, tales nos exhibeamus.

Structuræ simus tanto digna fundamento, simus et templum tãto dignum in habitatore.

EPILOGVS.

1 *Proponuntur bona per Christũ (ipsissimũ fundamentũ Apostolorum ac Prophetarũ) Iudæis et Gentibus cõcata & parta: quæ nempe sunt, quòd Euangelizauit pacẽ iis qui lõgè, & iis qui prope fuerũt, &c. quódq; qui olim eramus hospites et aduenæ, hoc est, à gratia alieni, ac à salute exclusi, iã sumus cõciues sanctorũ et domestici dei p Christũ facti, hoc est, vocati, recõciliati, sanctificati et saluati. Hæc definitio est hois christiani.*

2 *Primarium ac summum fundamentum Christus, lapis ille angularis. Secundarium fundamẽtum Apostoli ac Prophetæ. Super hæc fundamenta superstruxit nos Christus, hoc est, super semetipsum à Prophetis prædictum, & ab Apostolis prædicatum. His fundamẽtis omnes sancti vnicè nitiũtur, & in his*

Isa. 28. Psal. 117. Matth. 21. Luc. 20. Act. 4.

in his omnium spes recumbit. Præcipuè tamen superstruxit nos Christus super semetipsum, hoc est, infirmitates nostras, iniquitates q; portauit, & depẽdit, suorumq; meritorũ nos per fidem ac sacramẽta fecit participes. Isa.53.1.Pet.2.Tit.3.

3 *Finis huius spiritualis structuræ est, vt succrescamus in ædificium spirituale, hoc est, in templum sanctum domini per inhabitantem Spiritum sanctum, hoc est, corpora & corda nostra ipsi sanctificemus, ipsumque in nobis per fidem & charitatem habeamus habitantẽ. Tale templum perpetuam mansionem sibi sancta Trias vendicat. Qui diligens me, ait, audit, & seruat sermonem meum, ad eum venemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan.14.*

IN EODEM FESTO EVANGELIVM.

Matth.20. Marc.10. *In illo temp. Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, &c. Finis Euangelij: Et dare animam suam redemptionem pro multis.*

Ignorantia discipulorũ æstimantiũ Christi regnum fore mundanũ. Matth.19.

EVangelica hęc historia tria complectitur obseruatu digna. 1 Primò ignorãtiam horum duorum discipulorum, qui toties audierant Christi regnum fore spirituale: semper tamen putauerant illum futurum mundanum, quale fuerat regnum Saulis, Dauidis, Salomonis, Cyri, Alexandri, & aliorum monarcharum. Quoniam igitur sanguine Christo deuincti erãt, summum apud nouum regem se locum nacturos sperabant. Audierãt enim de honore duodecim sellarũ, sed rudes & adhuc humana somniantes, carnale scilicet regnum, statim à resurrectione venturum hoc regnum & hos honores credebant, quia dixit, Tertia die resurget. Vnde & post resurrectionem dicebant, Luc.24. Nos verò sperabamus quia ipse esset redempturus Israël. Quò ergo sibi quoque præcellentem dignitatem aliquam impetrent, cùm se nossent inter discipulos specialius diligi, specialius cum Beato Petro arcanorum conscios sæpe factos, quæ ignorãt cæteri, subornant matrem quæ pro filiis interpellet, vt possint esse tales in regno Christi, sicut Ioseph olim in Ægypto, Daniel in Chaldæa, Mardochæus apud Assuerum. Non enim succurrebat illis fuga magistri cùm volebat eum rapere populus vt sibi in regem constitueret, Ioan. 6. Nec

Ambitiosus honos mentes titillauit Apostolicas.

Nec audent quicquam ipsi proferre: sed matri illud negotium demandant, cogitantes, Si effecerit aliquid nostra mater, nobis in vtilitatem id cedet. Si repulsam passa fuerit, omnes mulieri illud imputabunt, & sic nos excusati erimus. Videmus hîc tam in matre quàm in filiis carnalem hominum sapientiam, quòd illa quæ Dei sunt non intelligat. Cõmune hoc parẽtum vitium est, vt liberis suis conditiones amplas & magnificos parent honores: & quòd malè affecti filiis, sæpe laborent, vt quod iniquè petunt, impetrent: & quod malè ambiunt, peius adipiscantur. Alij filiis suis militiam prouident, alij honores, alij diuitias. sed nemo prouidet Deum. Perditionem illorum magno pretio comparant, salutem autem illorum nec dono accipere volunt. si viderint eos pauperes, tristantur. sed si viderint peccantes, nõ contristantur: vt ostendant se corporum parentes, non animarum. Quanuis iuxta Paulum, 2. Corinth. 12. parentes debeant thesaurizare filiis, &c. non tamen debent illis iniqua, illicita, & humeris eorũ imparia officia aut beneficia procurare, sub quibus tandem succumbant. Talis olim fuit Neronis mater Agrippina, quę cõsulens Chaldęos phi losophos quid de filio futurum esset, cùm illi respondérent eum futurum Cæsarem, sed tyrannum, & matricidam, respõdisse fertur, Occidat, dum imperet. Adeò ambitiosa fuit illa mulier, vt non abhorruerit à proprio filio trucidari, modò cõtingeret illi imperium. Mater itaque hęc potius dehortari à proposito filios debuerat: sed re non considerata, accessit ad Iesum, procidit coram eo, adorat, petit, & dixit, *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexterum tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.*

Sapientia carnalista in matre quã in filiis.

Parentum vitiũ commune est liberis suis cõditiones amplas & magnificos parare honores.

Agrippinæ ambitiosissima.

Idem petierunt & filij, matrem secuti, imò preces matris descendebant ex voluntate filiorum. Hinc Marc. 10. dicitur, Accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes, Magister volumus vt quodcunque petierimus facias nobis. Verùm ne nos hãc Apostolorum ambitionem miremur, aut existimemus hos solos fuisse affectibus huiusmodi prauis implicitos: inueniuntur & hodie in omnibus propè hominum ordinibus paria vota. Magistratus quidam (non enim de omnibus loquimur) quærunt in Euangelio dispensationem seu dire-

Concionatores ambitiosi.

Vulgi ambitio.

Proles per sæpe subornant & solicitant parentes, ad consequenda illicita & noxia.

ptionem potius opum Ecclesiasticarum. Concionatores quoque plerique venantur Euangelij prædicatione honores, opes, vulgi fauorem, & gloriam huius seculi. At promiscua plebs sperat se in libertate Euangelica repertura ne decimas & census iure diuino cogatur pendere. Insolentes proles subornant quoque parentes ad consequenda plura noxia & illicita, puta honores, pinguia beneficia, primatus, &c. qui aliquando ad stiuam aptiores essent quàm ad præsaturā. Breuiter, uemo fermè est qui non apud pauperem Christū opes, & in rigida disciplina quærat licētiam. Contra quos Prouerb. 1. dicitur: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient? Et Psal. 4. Filij hominū vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mendacium?

Error Apostolicus.

Insignia regni Christi spiritualia.

Existimabant enim hi duo Apostoli Christi regnum aliis mundi regnis simile futurum: sed fallūtur. Nam in regno Christi sunt spiritualia, sceptrū, gladius, & armatura. Versatur enim circa Euangelium, fidem, orationem, spiritum, & sacramenta: & pugnat contra satanā, mortem, infernum & carnem. Nemo igitur in hoc regno quærat dies otiosos. Dicitur enim Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. & Lucæ vlt. Sic oportebat pati Christū, & ingredi in gloriam suam. Propterea respōdet Christus, & ait: *Nescitis quid petatis.* His verbis declarare voluit se non ignorare quo consilio illi subornassent matrem: vnde pius dominus nō exprobrat matri ignorantiam, quæ nondum erudita erat doctrinę Christi sapientia, sed filiis, qui à principio cum eo fuerant, & iam multa ex eo de contemptu mundi, & de commendatione dexteræ & non sinistrę audierant, & nihilominus adhuc carnales erant, & matrem ad hoc induxerant: nec illorum imputat temeritati, sed ignorantiæ. Nesciebant quid petebant, qui in regno cælestis patris quenquam ad sinistram Christi sessurum putabant, cùm in illa discretione nouissimi examinis omnes electi ad dexterā summi regis & iudicis legantur statuendi;

Ignorantia horum Apostolorū arguitur, non temeritas.

Matt. 25.

reprobi ad sinistram. Nesciebant quid petebant, qui regnum terrenum ambiebant. Ecclesiast. 1.

2 Nesciebant quid petebant, qui sublimitatem præmiorum potius à domino, quàm operū perfectionem quærebant.

rebāt. Ita enim præmia pollicetur, vt digna præmiis merita præmonstret: sic vitam donat æternam, vt angustam portam & arctam viam ad hanc esse decernat, Luc. 13. Contendite intrare per angustā portam. Ipsi autem exaltari voluerunt antequàm humiliarentur: antè metere, quàm seminare: nucleum edere, antequàm fregissent nucem. Hinc cōsequenter addit, dicens: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* de quo Psal. 115. Calicem salutaris accipiam, &c. *& baptizari baptismo quo ego baptizabor?* de quo Lucæ 12. Quibus verbis regni sedem quærentibus iter ad ipsum regnum ostendit: quasi dicat, Nemo extolletur, nisi antea humiliatus: nemo coronabitur, nisi qui pugnauerit, Lucæ 18. 2. Timoth. 2.

Præmia ita pollicetur Deus, vt digna præmiis merita præmonstret.

Galat. 6.

Iter ad regnum Christi ostenditur.

Passionem suam poculum nominat, quòd ab ipso magna cum auiditate sumpta sit: & baptisma eam vocat, quòd futura esset peccatorum purificatio, Apoc. 1.

Passionem suā cur poculum & baptisma vocet.

Bibitur verò calix ipsius, & sumitur eius baptisma tripliciter, fide scilicet, vita, & cruce. Fide quidem, vt passionem & mortem Christi credamus vnicum esse pretiū redemptionis animarum nostrarum. Vita autem, vt moriamur peccatis, ca: némque nostram cum vitiis & concupiscentiis & operibus illius per spiritū crucifigamus. Cruce verò, vt pro nomine Iesu, & iustitiæ ergò quascunque afflictiones tolerāter patiamur. His, inquam, tribus calicibus & baptismis instructi simus oportet, siquidem in regno partem nobis esse velimus. Nam tympanis saltationibúsve nunquam peruenimus eò. In regnis quidem huius mūdi, primò est in vigore honor & gloria, ac dein finis ferè miserabilis. verùm in Christi regno principium est labor & dolor, ac deinde gloria ac honor immortalis.

Calix Christi bibitur, & sumitur eo baptisma tripliciter.

Matth. 5.

Regni Christi principiū Labor & dolor.

2 Secundò complectitur Euāgelium præsumptionem horum fratrum. Cùm enim audirent Christi responsionem, non verentur dicere se posse & hunc calicem bibere, & baptismo illo baptizari. Auiditate consequendi quod optabant, sicut stultè postularant, ita temerè de se pollicentur. nōdum sibi satis noti. Sicque peccatum peccato augent, & ignorantiæ præsumptionem, pessimum in homine vitium, addunt. Simili modo Petrus ex propria suiipsius fiducia promittebat Christo, se cum eo nō

Præsumptio horum duorū fratrum nota tur.

tantùm in carcerem, sed etiã in mortem iturum, Matth. 26. Item Thomas dicebat ad reliquos discipulos, Ioan. 11. Eamus & nos, vt moriamur cum eo, &c. Sed quid factum est? Petrus ter negauit, Luc. 22. Thomas etiam tot Christi reuelationibus eum à mortuis resurrexisse non credidit, priusquam illum tangeret, Ioan. 20. Discamus inde, ne nimium fidamus propriis viribus. Dum enim sanitate & omni fœlicitate fruimur, securi sumus. Non facilè tyrannidem peccati, ac mortis sæuitiam, aut satanæ timemus furores: sed in agone constituti experimur nos sine singulari Dei auxilio subsistere omnino non posse, verúmque esse quod Christus dixit, Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. & illud Pauli 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.

Documentum pro nobis, ne nimiũ fidamus propriis viribus.

Patientia Christi erga hos duos fratres.

3 Tertiò complectitur hæc Euangelica historia patientiam Christi, quam ostendit erga hos duos fratres, quibus amicissimè respondet, dicens: *Calicem quidem meum bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini sedere autem ad dexteram & sinistram meam non est meum dare vobis: sed quibus est paratum à patre meo.* Quasi dicat, Patiemini quidem propter nomen meũ, hæredésque regni mei eritis: sed antea tamen omnes in me offendemini. Sed quia tandem cõpatiemini mecum, propterea etiam regnum à patre vobis paratum, possidebitis.

Martyrem facit nõ pœna, sed causſa. Difficilius est mereri infernum quam cælum.

Notandum hîc ex priori loco occurrit, quòd non dicit, Calicem vestrum, sed meum bibetis: hoc est, propter me martyrium & passionem subibitis, quia martyrem facit non pœna, sed causſa. Habent enim & mali suam crucem. Difficilius enim est mereri infernum quàm cælos, sicut fatentur Sapient. 5. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles. Latronis sinistri crux, nónne & ipsa crux erat? Atqui non crux Christi, sed satanæ, à qua nos dehortatur Petrus. 1. Cano. cap. 4. dicens: Nemo vestrum patiatur vt fur, aut homicida, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat, &c. Itaque & hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas in benefactis.

Ostẽditur item his verbis, quòd passio Christi & martyrum

tyrum suorum vnus calix & vna passio sit. Nam Christi martyres patiuntur tam dura tormenta, non quòd fures sint vel latrones, &c. sed tãtùm quòd sint Christiani. Huc pertinet quod Christus ad Saulum dicit, Act. 9. Saule Saule, quid me persequeris? Et idem postea Coloss. 1. dicit se supplere quę desunt passioni Christi. Sic ergo Christus & duo fratres isti eundem biberunt calicem, hoc est, pro nomine Christi. Nam Ioannes veraciter calicem domini cum fratre suo Iacob (qui ab Herode Agrippa gladio occisus est, Act. 12.) bibisse intelligitur, quia qui tãta pro veritate sustinuit, quàm promptus etiam ipsam mortem, si offerretur, exciperet, ostendit, Act 5.

Passio Christi et suorũ martyrum vnus calix & vna passio.

Ioannes etiam calicẽ domini bibit.

Notandum quoque est ex posteriori loco, quòd ad iustum iudicem pertineat, non ad gratiam dare dignitatem, sed secundum merita. Non est meum (inquit Christus) hanc dignitatem respectu consanguinitatis, prout petitis, dare vobis. Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Matth. 11. Non enim est personarum acceptio apud Deum, Ro. 2. Sed quibus paratum est. Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Audiant hæc & pertimescant, qui beneficia & dignitates ex personarum acceptione metiuntur & præstant, & hoc sæpe in perniciem Ecclesiæ. Hieronymus, Ecclesiastica, inquit, dignitas non debetur sanguini, sed virtuti. Nolite (inquit B. Iacobus cap. 2.) in personarum acceptione habere fidem domini nostri Iesu Christi gloriæ. Væ qui ædificatis Ierusalem in sanguinibus, id est, propinquis & cognatis. Micheæ 3. Abac. 2.

Ad iustũ iudicẽ spectat, nõ ad gratiã dare dignitatem, sed secundũ merita.

Regnum Christi quibus paratũ sit.

Dignitas Ecclesiastica non debetur sanguini, sed virtuti.

Duobus fratribus quidem paratum erat regnum cælorum, non quòd Christi cognati, non quòd ambitiosi, sed quòd Christi vestigia essent sectaturi, & animum in melius mutaturi. Dictum est enim illis Matth. 18. Nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, nõ intrabitis in regnum cælorum. Vtinam, inquam, principes huius mundi hoc exemplum Christi potius imitarentur: quàm exemplum Salomæ. Salome intercedit pro filiis suis, vt ad altiora prouehantur, siue digni sint, siue indigni: Christus autem non respicit vllam cognationem, sed digni-

Regnũ cælorum datum his Apostolis, non quòd Christi cognati, sed quòd eius vestigia essent sectaturi.

Christus nō respicit vllā cognatio nē sed idoneitatem.

tatem seu potius idoneitatem personarum. Iacobum & Ioannem præficit Ecclesiæ, non quòd cognati sunt, sed quòd ad munus Ecclesiasticum idonei. Facilè patiemur vt præ aliis tuos amicos, affines, cognatos & familiares nobis obtrudas, modò etiā præ aliis ad id muneris sint idonei. Iā verò præficiuntur Ecclesiis, quibus non essent porci cōmittendi. Ad haram illi pertinent, nō ad aram.

Patientia Christi erga reliquos Apostolos.

Cęterùm complectitur patientiā Christi, quam ostēdit erga reliquos Apostolos, qui offensi ægrè ferebant hos duos sibi præferri. Chrysost. Patitur dominus sæpe discipulos suos vel dicere aliquid, vel petere non rectè, vt ex eorum culpa occasiones inueniat docēdi regulam pietatis. nec enim est periculosus error præsente magistro. Sicut ergo illi carnaliter petūt esse super omnes, sic & isti carnaliter indignantur esse aliquē ante se de duobus fratribus. Itaque Iesus intelligens & duorū stultam petitionem, & aliorū indignationem ex eodē fonte proficisci, omnes simul aduocat, vt omnibus eodē pharmaco medicinam admoueat, vocatione sermonē antè demulcens.

Indignatio reliquorum Apostolorū contra hos fratres.

Ambitio tyrannica est, & grauis indigęs reprehensione.

Nouit quàm sit tyrannica, & graui indigens reprehensione plaga, ambitio: ideò acrius eos perstringit, & abiicit eos in infidelium & gentilium portionē, si inani gloriæ studere voluerint. Vnde Christus eos conuocans, dixit.

Marc. 10. Luc. 22.

Scitis quia principes gentiū dominantur eorum: & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos maior fieri sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus:

Philip. 2.

sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare: & dare animā suam redemptionem pro multis. q.d. Alij homines, quia regunt, clari sunt: & amare primas, gentiliū est.

Marc. 10. Luc. 18.

Amare primas gētilium est.

Nam dominatum & tyrannidē exercent in illos quibus imperant: & qui primates sunt, potestatē suam exercent in sibi subiectos. Populi enim malo, suæ consulunt authoritati: eáque curant, non quæ conducunt multitudini, sed quæ faciunt ad strepitum fortunæ gloriæque suæ.

Discipulos Christi humilitas cōmendat et honorabiles facit.

Meos autem discipulos humilitas commendat, & honorabiles facit: atque adeò qui maior esse voluerit gratia & gloria, debet his qui opus habent, ministrare. Nec enim in aliud sibi sumit primum locum, nisi vt omnium commodis inseruiat, nihil inde venans nec honoris nec compen

compendij. 1. Timoth. 3. Fidelis sermo: si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ne autem quis tergiuersetur, seipsum dominus proponit exemplum illis.

Exemplū humilitatis seipsum proponit dominus.

Ipse filius Dei viui est, dominus & magister omnium, rex regum & dominus dominantium, & tamen nullam omnino inter mortales sibi dignitatem arrogauit, sed omnium factus est nouissimus: quantò ergo iustius humilientur & inseruiant serui? Sed hoc exemplum imitemur & nos omnes, siue Ecclesiastici simus præsides, siue subditi: nam humiles exaltabuntur, Luc. 14. 18.

Dominus cur Apostolos permiserit labi.

Opus habebant hac correptione Apostoli: nam ex ignorantia & carnali prudentia eorum procedebant cogitationes. Sed permisit dominus eos ita labi, vt postea prædicatores Euangelij effecti discerent patienter ferre lapsos, Rom. 15.

Adhortatur autē Dominus vtrosque ad humilitatem & subiectionem, séque illis exemplum proponit, & vult dicere: Minimè putetis meum regnum vt mundanum administrari. Pater enim meus in mundo duos instituit ordines, mundanum, & spiritualem. Mundanum commisit administrandum imperatori, Regibus, Principibus, Comitibus, Iudicibus, Senioribus, &c. vt gladio externo defendant bonos, & puniant malos, Rom. 13.

Ordines duos in mūdo cōstituit Deus pater, mūdanum et spiritualem.

Spiritualem commisit administrandum Episcopis, Pastoribus, Doctoribus, Presbyteris, Concionatoribus, vt prædicent Euāgelium, administrent sacramenta, excommunicatione legitimè vtantur. Quasi dicat: Non decet vos gladio regnare externo, sed verbo diuino. Quare ex mea doctrina, & ex mea vita exemplum sumite. Ego enim dominus cæli & terræ, omnium vestrūm sum factus seruus. Præbete ergo etiam & vos erga omnes faciles, inseruite inuicem, ferte alterius imbecillitates, & in patientia, & spe afflictiones sustinete. Sic eritis veri discipuli mei, & hæredes vitæ æternæ. Amen.

Apostolos nō decet regnare gladio externo, sed verbo diuino.

EPILOGVS.

1 *Regnum Christi describitur non esse mundanum seu terrenum in quo sint Cōsiliarij, Satrapæ & aulici: cuius opinionem fuerunt aliquando Apostoli, sed spirituale, cæleste, & æternum, quare etiam spirituales requirit affectus, spiritualia exercitia: & fallūtur qui in eo quærunt mundanos honores,*

carnales voluptates fluxasque diuitias.

2 *Regnum Christi non occupatur vi aut armis, sed humilitate, fide, charitate, & impletione voluntatis Christi. Est autem voluntas eius, id quod à Iacobo & Ioanne exegit: nimirum vt in regnum ipsius ingredi cupiens, ipsius bibat calicẽ, ipsius baptizetur baptismate. Nec datur secundum personarum respectum sed præparatione patris ab æterno, hoc est prædestinatione. Ephes. 1. Et quanuis citra fidem, vitamque innocentem & afflictionum tolerantiam nequeamus (adulti præsertim) in Christi ingredi regnum, non tamen continget illud nobis ex meritis, sed ex mera gratia, rursum testante Apostolo. 2. Timoth. 1. Deus, inquiens, saluos fecit nos, & vocauit nos vocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam quæ data est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna.*

3 *In mundi regno quanto quis plus potestatis habet, tanto censetur magnificẽtior. At in regno Christi ille est maximus, non qui plus in alios habet potestatis, sed qui plurimum sese infra alios omnes humiliat, omnibúsque lubentissimè cæteris inseruit. Quod maximè pertinet ad magistratus Ecclesiasticos, nimirum vt quemadmodum sese vocant seruos seruorum Dei, sic re vera ab omni ambitione & tyrannide sint alienissimi seséque seruos & agnoscant & habeant: vt quemadmodum dicuntur Papæ & Episcopi, hoc est, patres & inspectores, sic quoque tales sese præstent: & quemadmodum dicuntur pastores & presbyteri, sic quoque pascãt & præsint pie. Seipsum dominus proponit exemplum illis.*

In Feriis D. Petri ad vincula Epistolam & Euangelium reperiet syncerus diuini verbi declamator in Festo Apostolorum Petri & Pauli.

Institutionis festi huius caussa.

INstitutum est hoc Festũ diligenti cura & opera Theodosiæ filiæ Theodosij Imperatoris vxoris Valentiniani, ad ritum Gentilium destruendum, qui primũ diem Augusti quotannis solennis celebrabant in honorem Octauij Augusti gentilis, ob victoriam eodem die contra Antonium & Cleopatram adeptã anno domini 425. Decretum est igitur à Pontifice & Regina impetratũ, in memoriam principis Apostolorum Petri, & vinculorũ eius, vt quod hominum

minum indiscreta religio faciebat gentili damnato, in bonum commutata, faceret Apostolorũ principi Petro, & sic ex iniquo principio, salubris conflata est religio. hoc ipsum diuersæ testantur historiæ Ecclesiasticæ.

IN FERIIS D. LAVRENTII Martyris, Epistola.

Qui parcè seminat, is parcè & metet, &c. Finis Epist. augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. 2. Cor. 9.

PRæsens Epistola ad subministrationẽ in sanctos, hoc est, ad eleemosynarũ inter pauperes distributionẽ vnicè spectat: & sunt tria præsertim quæ circa subministrationem seu distributionẽ huiusmodi nobis in præsenti cõmendantur.

Primum est quánam mensura, aut quãtum pauperibus fit distribuendum. de quo adducit Apostolus similitudinem à semente, cùm dicit: *Qui seminat parcè, is parce quoq; messurus est, Et qui seminat benigniter, copiosè etiã metet.* Qua nimirũ similitudine metaphorica (à re rustica sumpta) hortatur nos ad liberalitatẽ, innuítq; non parcè, sed largiter & liberaliter esse impertiendũ pauperibus: odit enim Deus contractam manum, diligitque contrà extensam, Eccl. 4. Vnde & de ipso scribitur, Psal. 144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Pauperibus quantũ & quæ mensura sit distribuendum.

Exhortatio ad liberalitatẽ in pauperes.

Cupiunt agricolæ vberes semper prouentus in agris suis: Sic & nos copiosam mercedem in benefactis & operibus nostris expetimus. Verùm si agricola vberes prouentus consequi vult, copiosè quoque sementem faciat oportet. Sic igitur & nos, si mercedem nostram copiosam esse volumus, copiosè quoque pauperibus elargiamur necesse est. Alioqui enim, quemadmodum agricola parcè seminans, parcè etiam metit: sic & nos si parcè demus, parcè quoque mercedem recipiemus.

Similitudo aptissima.

Parcè dans parcã mercedem recapturus est.

Si ergo (vt debemus) eleemosynas volumus elargiri, elargiamur liberaliter & copiosè. Sed hoc cum distinctione intelligi debet, vt nempe, pro facultate nostra demus largiter: Si habemus multum, multum demus: sin parum, illud imperriamur, Tob. 4. Marc. 12.

2 Secundum est quo animo seu intentione dandæ sint eleemosynæ, de quo ad hunc modum Paulus dicit: *Vnus-*

Quo animo seu intẽtione sint

dãda eleemosynæ.

quisque secundum propositum cordis, non ex tristitia, aut necessitate: nam hilarem datorem diligit Deus.

Largitas non tam in quantitate consistit, quàm animo.

Largitas eleemosynarum non tam in quantitate consistit, quàm animo. Hinc nẽpe est, quòd dominus Luc. 21. viduam pauperculam præ omnibus diuitibus laudauit, quum tamen nil nisi æra minuta duo misisset in gazophilacium: verè (inquiens) dico vobis, vidua hæc pauper plus quàm omnes misit. Hi enim omnes ex abundanti miserunt in munera Dei, hæc autem ex penuria sua vniuersam habitam substantiam misit. Si igitur animus sit hilaris & paratus, multum dedit, qui minimum etiam dedit, modò non potuerit dare commodè plura. Vnde & Tobias pulchrè monet filiũ: Quomodo potueris (inquiens) ita esto misericors: Si multũ tibi fuerit, abundanter tribue: sin verò exiguum, & hoc libẽter impertiri stude.

Cor rectum erit & synceras affectus, si vltrò & hilariter detur.

Cùm ergo Deus eleemosynarum remunerator in omnibus factis cor intueatur, vt nobis certò maneat præmium apud ipsum, cor & animum nostrum rectè affectum esse oportebit. Atita demum istuc erit, si demus vltrò & hilariter, non autem inuiti. Nam inuitum obsequium Deo displicet, vltroneum autem placet. Ad hæc verò & simplici animo demus oportet, hoc est, ob nullam auram popularem, sed in solius Dei gratiã, & ex amore proximi. Hinc nimirũ prohibet in Euangelio dominus, ne tuba ante nos canatur, ne sciat finistra quod facit dextra, Matt. 6. Hac igitur intẽtione demus, quoties damus.

Vana gloria in eleemosynarũ largitione fugitanda.

Vtilitas et fructus eleemosynæ.

3 Tertium est, quid fructus & vtilitatis distributionem eleemosynarum sequatur, de quo Apostolus consequenter infert d. *Potens est* (inquit) *Deus efficere, vt totum beneficium in vos exuberet, vt in omnibus omnem sufficientiam habentes, exuberetis in omne opus bonum, &c.* Putat vulgus Christianum si quid pauperibus impertiat, id suis facultatibus decessurum, séque egestate ob id præmendum: inquiunt enim: Tam exundãtem eleemosynam in alios effundere possem, vt & ego ipse ad mendicitatem quoque impellerer.

Vulgi diffidentia.

Duplex lucrum facit qui largus est in pauperes, temporale & spirituale.

Verùm Paulus contrarium hic probat, dicit nanque totum beneficium exuberaturum in nos, nos & omnem sufficientiam rerum temporalium habituros, & prouentu etiam iustitiæ bonorúmque operum accumulandos.

Vide,

Vide, sic Deus vnum opus duplici præmio remunerat: vt non immeritò dicat Salomon, Prouerb. 11. Alij diuidunt propria & ditiores fiunt, alij rapiunt aliena & semper in egestate sunt. Item. 19. Fœneratur domino, qui miseretur pauperis, Et Syrach. cap. 29. Fœneratur proximo, qui facit ei misericordiam. Si quis de hac re quærat exemplum, legat. 3. Reg. 17. de vidua in Sareptha.

Eleemosynæ non paupertatem, sed ditant.

Non pauperant igitur quenquam eleemosynæ: Nam duplex bonum operantur. Efficit enim Deus vt pauperum alumni & omnem in rebus corporalibus habeant sufficientiam, & in omnibus etiam bonis operibus ditescant, vt neque hîc deficiant, neque illic, huc etiam, & illud Tobiæ 4. spectat. Præmium (inquit) bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: Quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

Dispergamus igitur & nos, demúsque pauperibus sanctis nimirum, largiter & hilari animo demus, vt detur nobis: simus misericordes, vt misericordiam consequamur, Luc. 6.

EPILOGVS.

1 *Similitudine seminãtis & metentis, vt liberaliter simus benefici & spontanei, adhortatur Apostolus.*

2 *Beneficium hoc non peribit Nam quicquid Dei amore in sanctos confertur, Deus sibi collatũ imputat, Matt. 10. & 25.*

3 *Bona pietatis & iustitiæ pars est munificentia, qua sanctorum inopiæ subuenitur, Psalm. 91. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet, &c.*

IN FERIIS EIVSDEM MARtyris Euangelium.

Amen amen dico vobis, Nisi granum frumenti, &c. Finis Euang. honorificabit eum pater meus. Ioan. 12.

EVangelium hoc duas in se cõtinet partes. In priori Seruator noster Christus de sua ipsius morte, & ostendit, quid fructus inde sit promanaturum, cùm dicit, *Amen amen dico vobis, nisi granum frumẽti cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum*

ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit multum fructum affert.

Grano frumēti cur se comparet Christus.

Comparat se Christus grano frumēti ad differentiam aliorum hominum quorumcunque, qui vt plurimum palea sunt, hoc est, foris speciosi & intus vani: item ad nihil aliud quàm vel ad ignē vel ad cibum iumentorum apti. Christus autem granum est solidum in seipso, item ad cibum hominum ordinatum, iuxta illud Ioan. 6. Ego sum panis vitæ, &c. Hoc est, granum illud vnicum spei nostræ præsidium, nostréq; inopiæ solatium. Omnia alia grana vel putrefacta erant, vel à vermibus corrosa: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, ait Psalm. 13. Vnus hic Christus, vnum hoc granum horrea implevit Ecclesiæ. Verè mirabile granum, mirabiliter ortum sine semine, nec corrumpi potuit per originale aut actuale peccatum, solum sufficiens ad refectionem totius humani generis, solum denique & Ecclesiam & cælum replevit, vt verè dixerit Ioannes se vidisse turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, stantem ante thronum Dei, Apocal. 7. Hoc granum prius beatos angelos pauit, nunc autem granum frumenti, hoc est, etiam hominum cibus factum est. Hoc granum fœliciter exortum est de terra illa quam benedixit dominus, virgine scilicet gloriosa. Solum autem mansisset, nisi morte pro peccatis nostris satisfecisset, patrem reconciliasset, & cælum nobis aperuisset. In terram autem proiectum fuit, non quòd peccati vel mortis debitor esset Christus, sed vt vna mors eius multorum vitam fructificaret, sicut granum frumenti non idcirco proiicitur in terram quia vitiosum est, sed vt fructum adferat.

Granum Christi sufficiens ad refectionē totius generis humani.

Psal. 84.

Vtilitas & summa necessitas mortis Christi allegoricè ostenditur.

Sub his obscuris itaque & allegoricis verbis dominus comprehendit & summam necessitatem, & præstantissimam vtilitatem suæ mortis. Non secus cum Christo comparatum est, ac cum frumenti grano. Nisi granum in terram deiiciatur, & ibi veluti moriatur, solum incolume manet & infrugiferum. At nisi adferat fructum, omnibus hominibus fame pereundum erit. Ne igitur pereant homines, in terram deiiciatur, & computrescat granum oportet, hoc summa postulat necessitas. Ad eundem modum, si Christus (verum granum frumenti) in terram passionis se defici non siuisset, hoc est, passus, mortuus, & sepultus non fuisset, ipse solus incolumis mansisset, nec quid attulisset nobis fructus, hoc est, mansisset ipse quidem idem & talis, qui ac qualis erat, & de nobis fuisset actum omnino, periissemúsque omnes fame æterna, hoc est, æternùm fuissemus damnati.

Similitudo grani aptè quadrat passioni & morti Christi.

Iam contrà, quamadmodum granum frumenti, si in terram deiiciatur & ibi veluti moriatur, fructum adfert copiosum, emergit multo cum fœnore, pro vno grano centum reddit, latè campos lætis segetibus occupat, adeóque tota regionem vbere prouentu ditat, omnibus denique esurientibus suppeditat fructum, sicque à fame extrema homines liberat. Eodem modo Christus quum passus, mortuus & sepultus sit, multo cum fœnore resurrexit, attulítque fructus quampluri-mos vniuerso mortalium generi. Nam primò quidem famem illam nostram extremam, peccatum, inquam, satanam & mortem æternam profligauit: deinde verò reduxit nobis veram sanitatem & sufficientiam, Patrimirum fauorem, sempiternam iustitiam, veram æternámque libertatem, adoptionem filiorum Dei, Spiritum sanctum, & vitam denique hæreditatémque perhennem, vt iam certatim irruant etiam peccatores, & regnum cælorum vim patiatur, Matth. 11. Denique effecit vt à solis ortu vsque ad occasum laudabile sit nomen domini, & quòd non in vno tantùm vt olim, sed in omni loco offertur ei oblatio munda, &c. Hunc fructum, tantámque mortis Christi vtilitatem prævidens Isaias dixit cap. 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.

Mortuus et sepultus Christus, multo cum fœnore resurrexit, fructúsque multos attulit.

Rom. 4.

Psal. 112.

Malach. 1.

Hîc igitur & ad pœnitentiam permouerit, & ad fidem excitari, & ad gratiarum actionem inflammari debemus, dicum Psal. 101. Benedic anima mea domino, & noli obliuiscí omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, &c.

2. In posteriori parte de morte ac passione agit discipulorum suorū, hoc est, Christianorū omnium, & declarat, quæ inde ad eos vtilitas prouentura sit. Vult enim Ser-

uator

Seruator uult nos sui esse imitatores.

uator nos sui esse imitatores: imò & in hoc prædestinati sumus à Deo ante tempora secularia, vt simus conformes imagini filij ipsius: ergo & nos patiamur, moriamúrque oportet. Oportet, inquam, nam summa nos vrget necessitas. Nisi enim moriamur, perdemus vitam, quam nobis impetrauit Christus sanguine suo. Hinc subdit, *Qui amat animam suam perdet eam.* Hæc ad nos dicit, ne putare possemus ad solum Christum pertinuisse mori, pati, & crucem ferre, nihil autem ad nos, imò nobis licere in desidia & luxu viuere. Verùm non sic se res habet, ait Christus, *Qui amat animam suam perdet eam, &c.* Ac si dicat, Sicut nihil contulisset vobis mea incarnatio, nisi sequeretur mea passio, sic nihil vobis proderit in grana renatos esse, nisi omnino in vobis occidatur quod veterem illam redolet vitam.

Crux non tantùm ad Christum, sed etiam ad nos pertinet.

Anima hic vita corporalis intelligitur.

Anima hic ponitur pro vita corporali & naturali, sicut etiam Matth. 6. accipitur, cùm dicit Seruator, Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, &c. Amare autem est alicui bonum velle. Amat igitur animam suam qui vitæ corporali permittit quæcunque desiderat & appetit, econtrà autem ei parcit in omnibus quæ ipsi contraria sunt. Appetit autem vita corporalis quæ iucunda & delectabilia sunt, luxum scilicet, & voluptatem, diuitias, delicias, otium, &c. Econtrà fugit quæ dura sunt, laborem scilicet, ieiunium, vigilias, crucem, mortem, &c. etiam si sciat Deum talia præcipere. Mundanus igitur homo animæ suæ & vitæ optimè cõsultum putat, si concupiscentiis fræna laxet, quantumcunq; prohibitis, omniáque tristia longè repellat, etiam si aliud suadeat gloria Dei & charitas proximi. Atqui hoc modo anima seu vita non seruatur, sed perditur: qui enim concupiscentiis suis obsequitur in omnibus, facilè in morbos incidit corporis, attestante hoc Siracho & dicente: In multis escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt. Quapropter præmittit d. Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam, Eccl. 37. Deinde huiusmodi amator animæ suæ etiã æternaliter eam perdit. Nunquam enim videbit vitam. Hinc Sapiens Eccl. 18. ait, Si animæ tuæ præstes concupiscẽtias eius, faciet te in gaudium

Seneca.

Duplex vita malè amando præsentem vitam perditur.

gaudium inimicis tuis. Et Dauid Psalm. 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Et Apost. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini.

Ex grano igitur tritici disce, quomodo seruare possis animam tuam, scilicet, moriendo concupiscentiis. Granum non semper seruare poteris, si arcæ aut granario recondas ac ei parcas, forsassis enim aut à muribus deuorabitur, aut alio modo peribit, & à vermibus corrodetur. Si autem terræ recondas, tunc optimè seruasti, perit quidem vnum granum, sed resurgunt viginti aut triginta. Sic vitam istam velis nolis amittes, iam si eam impensè diligas & carnaliter, & eam perdes, & futuram non consequêris. Si autem eam pro Christo impendas aut alioqui mortifices, ac omnia cum Paulo, vt detrimentum æstimes, perit tibi quidem hæc vita, sed succedet melior. Ideò subdit:

Anima quomodo seruari possit ex grano tritici discitur.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit illam. Nõ hoc vult vt nosipsos occidamus, vitámque hanc violẽter nobis ipsis abrumpamus, id quod quidam malè suspicati sunt. Quomodo autem odiẽda sit anima aut vita ab ipso externo odio discę. Qui aliquẽ odit, nec vocem eius audire sustinet, nec vísum videre, nec in aliquo illi obsequitur, imo contraria ei semper facit. Sic anima cùm contraria legi Dei suadet, non audienda est, non obsecundandum concupiscentiis eius: sed quæ ei displicent facienda, qualia sunt crucem portare, abstinentia domare carnem, abnegare propriam voluntatem, &c. Qui sic animam suam odit & perdit, verè eam custodit. Primò enim non tot morbis eam obnoxiam habet. Qui enim abstinens est, adiiciet vitam, ait Ecclesiasticus cap. 37. Deinde seruat eam in vitam æternam, hoc affirmante Apostolo Rom. 8. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Etsi enim præsens vita deficiat, tamen succedit melior & æterna. Quemadmodum enim agricola qui frumentum suum deiicit in terram, ac eius veluti iacturam facit, illud demum egregiè & prudenter seruat, sibíque magnum frugum conciliat prouentum: sic & nos, si vitæ nostræ & temporalis & carnalis, propter Christum iacturam faciamus, insigniter seruabimus vitam nostram, pro tristitia carni nostræ inflicta referemus

Anima seu vita quomodo odium da sit, ab externo odio discere possumus.

Vita duplex seruatur vitam præsentem odiendo.

mus gaudium perpetuum, pro breui spreta voluptatula consequemur voluptatem æternam, pro temporali vita recipiemus sempiternam.

Et ne quis ab his quæ iam dicta sunt resiliat cum his qui dicebant, Ioan. 6. Durus est hic sermo, quo addat calcaria. Primò admonet nos vocationis, d. *Qui mihi ministrat*. q. d. In disciplinam meam vosmetipsos tradidistis, restat igitur vt non resiliatis, etiamsi ardua videantur quæ præcipio. Ministros Dei vos nominaris: restat igitur vt re ipsa hoc ostendatis. Signum crucis in fronte susceptistis & gestatis, non decet vt crucem fugiatis, & suauia sectemini. In baptismo iurastis mecum vos morituros, restat vt promissum impleatis, ne fidefragi inueniamini. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam. &c. Matth. 16. Et 1. Ioan. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ille ambulare. Secundò admonet nos sui exempli, *Me sequatur*, inquiens, Non, inquit, solus es, ego præcessi. Non præcipio nisi quæ per meipsum feci & facio. Nemo tam timidus qui si viderit ducem in prima acie pugnare, quin animum recipiat. Hæc igitur duo nos ad odium vitæ præsentis & amorem crucis quasi duo calcaria excitare debent, consideratio scilicet votiui in baptismo facti, & exemplum Christi. Cæterùm duo quædam hîc ponit ad discipulum Christi pertinentia: ministrare Christo, & sequi Christum. Non quidem exprimit certum aliquod ministerium, sed simpliciter *Qui*, inquit, *mihi ministrat. &c.* Quilibet enim in suo statu & officio Christo ministrat, si officium suum diligenter exequatur. Ministrare autem debemus non nomine tantùm, sed officio insuper & affectu, vt dicamus cum Paulo, Act. 6. Domine, quid me vis facere? Et iterum Psalm. 107. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, &c.

Vocationis nostræ admonemur.

Ministeriũ oportet sequi magistrum.

Exemplo suo prouocat nos ad se sequendum.

Duo nos ad amorẽ crucis excitãtia.

Quilibet in suo statu & officio Christo ministrare potest si illud diligenter exequatur.

Et vt facilius persuadeat, duas nunc addit promissiones. Prima est, cùm dicit. *Et vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Cum Christo namque perpetuò erunt & manebunt sui ministri & imitatores, Hinc ipse dicit, Luc. 22. Dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam. Et iterum. Ioan. 14. Veniam & assumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis. Itẽ Apoc. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum. Et Paulus 2. Timoth. 2. Si commortui sumus & conuiuemus. Non le ue autem præmium est esse cum Christo. Vbi enim malè quis esse poterit cum ipso? ipse vita, salus, lux & hæres omnium bonorum Dei. Hinc Sap. 7. Venerunt mihi omnia bona cum illa.

Promissionibus duabus inuitat nos ad se sequendum.

At ne quis præcedentem promissionem contemnat propter humilitatem Christi adhuc in terra conuersantis, addit maiorem: *Si quis mihi*, inquit, *ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Quis autẽ non videt magnum esse à Deo honorificari? Si magnum putant homines honorari à principe qui homo est, quantum erit honorari à Deo? Non autem exprimit quo honore ipsos honoraturus sit: tum quia satis innuitur, non leuem esse honorem quem ipse Deus dabit, tum quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt eum, Isa. 64. Hic igitur videre licet quàm verè dictum sit Sap. 3. Bonorũ laborum gloriosus fructus. Itemque Rom. 8. Non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam. Et iterũ, 2. Corinth. 4. Quod leue & momentaneum est tribulationis, æternum pondus gloriæ operatur, &c.

Non leuis honor est quẽ Deus dabit suis ministris.

Eia itaque, ministremus Christo, sequamur illum, nos totos & dictis & factis & cogitationibus ad ipsius doctrinam ac exemplum componamus, vitam hanc temporalem despiciamus, mundi voluptates calcemus, per patientiam in cruce & mortificationem contendamus ad gloriam.

EPILOGVS.

1 *Parabola grani proiecti in terram ostendit Christus vtilitatem & multum fructum mortis & passionis suæ. mors enim Christi, meritum nostrum salus, vita & resurrectio.*

2 *Exhortatio post propositam parabolam qua iubemur perdere animas nostras, non ad id valet vt se quisque interimat (quod inexpiabile nefas est) sed vt in se interimat carnalem affectum animæ, quo cum impedimento vitæ futuræ, præsens delectat. Ita de parentibus, vt qui eos amat, perdet, non more parricidarum interficiat, sed spirituali gladio*

tat nos ad se sequendum.

Verbi Dei caraalem affectum eorum occidat.

3 *Dulcissima promissio & dignitas ministrantium Christo: honorificabit eos Pater, hoc est, erunt cum Christo filio Dei: maiorem honorem accipere non potest adoptatus, quàm vt sit vbi est vnicus.*

IN SACRIS FERIIS ASSVMptionis Beatæ Mariæ, Epistola.

Eccle. 24. *In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate domini morabor, &c. Finis Epistolæ: Dedi suauitatem odoris.*

LEctio præsens propriè intellecta, æternæ sapientiæ filio nempe Dei, potius quàm matri conuenit, & duo nobis proponit.

Primò loquitur sapientia diuina de regno suo spirituali, & vbinam, seu inter quos regnet: & nihil innuit aliud, quàm regnare se in Ecclesia, quam multis epithetis exornat, vt omnibus Ecclesiæ indoles & proprietas fiat quàm notissima, ne quis sese falsò Ecclesiæ annumeret. Dicit ergo se iussu creatoris omnium (hoc est patris sui cælestis) regnare ac habitare in Iacob, in Israël hæredem agere, in electis radicari, in Sion esse firmatum, in ciuitate sancta requiescere, in Ierusalem habere potestatem suam, agere radices in populo honorificato, inter partes Dei sui habere hæreditatem, & in plenitudine sanctorum commorari. Quibus verbis indicat regnum suum esse in Ecclesia, vt dictum est, imò ipsam Ecclesiam esse regnum suum. Est itaque Ecclesia primò Iacob, hoc est, supplantatrix, quod scilicet peccata & carnem, satanæque suggestiones

Gen. 32. supplantet: est & Israël, hoc est, pugnans cum Deo,

Rom. 4. quòd contra spem in spem credat, Deique promissis & gratia nitatur. Est quoque electa, hoc est, Deo chara, & Dei vicissim amans. Est etiam Sion, hoc est, specula, quòd opera ipsius bona luceant omnibus.

Matth. 5. Est item ciuitas sanctificata, hoc est, communio sanctorum, quod vnanimitatem, pacem, concordiam, & charitatem constantissimè exerceat & conseruet. Est præterea Ierusalē hoc est, pacis visio, quòd pacem cum Deo habeat, & conuersationem suam gerat in cælis in superna illa Ierosolyma. Est ad hæc populus honorificatus, hoc est, regale sacerdotium, & sacerdotale regnum, quòd semper Deo offerat corpora sua hostiam viuentem, & carnem spiritui subiiciat ad obsequium Christi, & insuper pars Dei, & plenitudo sanctorum, quòd in iustitia & sanctitate viuat coram Deo cunctis diebus vitæ suæ, quòd huius sanctissimæ voluntati sese totam consecrauerit. Vide: huius indolis & proprietatis est Ecclesia, regnum Christi.

Sapientia diuina innuit se nō alibi regnare, quā in Ecclesia,

Regnum sapientiæ æternæ Ecclesia.

Imò ostendit etiam iisdem, vndénam suum regnum, vera inquam Ecclesia, cognosci & deprehendi possit: nimirum, omnes illos esse Ecclesiam ac Ecclesiæ viua membra, qui sunt spiritualiter Iacob, hoc est, supplantatores vitiorum: item Israël, hoc est, fide prævalentes: item electi, hoc est, charitate (certo nempe electionis signo) præditi: item Sion, hoc est, contemplatores cœlestium: item ciuitas sanctificata, hoc est, vnanimes & sancti: item Ierusalem, hoc est pacis studiosi: item populus honorificatus, partes dei, & plenitudo sanctorum, hoc est, omnium virtutum corona redimiti.

Ecclesiæ & eius membrorum indoles & proprietas.

Contra verò quicunque his notis carent, vtcunque immisceant se Ecclesiæ, & de Ecclesia glorientur, & visibiliter in ea conuersentur, non sunt tamen in Ecclesia Christi, sed in synagoga satanæ, nec possunt saluari vnquam, nisi notas has sibi concilient, ideòque nec inter tales Christus regnat. Expendamus igitur quales & nos esse oporteat, siquidem in Christi regno esse atque ab eo curari velimus.

Notis his carētes in Ecclesia vere nō sunt, sed in synagoga satanæ.

2 Secundò proponit nobis sapientia Christus, in suis verbis quonam regnet successu, cùm dicit, exaltatum se esse quasi cedrum in Libano, quasi cypressum in monte Sion, &c. Quibus sanè verbis rex noster suum regnum eminentius, fortius, suauius, fœliciúsque esse omnibus totius mundi regnis declarat, imò etiam se omnes vniuersi orbis reges longè superare, adducta arborum aromatúmque similitudine.

Successus regni Christi.

Regnum christi eminentius, suauius, felicíusque est se omnibus

Epitheta egregia per quæ vera Ecclesia cognoscitur.

1. Pet. 2. Rom. 12.

Indoles & proprietas Ecclesiæ regni Christi

Luc. 1.

Ecclesiæ & eius membrorum indoles & proprietas.

mundi regnũ declaratur.

Primò quidem Cedro sese comparat, quòd quemadmodum cedrus arbor est omnium altissima, ædificando aptissima, & nihil planè onerosa, ita & ipse solus sit altissimus, fundamentum & ædificator spiritualis ædificij, ac omnium oneratorum refocillator.

Cedrus arbor altissima. Ephes. 2. Matth 11.

Secundò autem assimilat sese Cypresso. quemadmodum enim Cypressus arbor est violentissimi odoris, adeò vt & serpentes fuget, ita & Christus morte sua amarissima & sacrificij Crucis odore serpentis antiqui venena fugauit.

Cypressus arbor violentissimi odoris.

Tertiò verò palmæ se confert, quòd quemadmodum palma in cacumine fructus fert longè dulcissimos, nec cedit ponderi, sed surgit aduersus pondus, ita & ipse Christus in crucis cacumine fructus nobis ediderit plurimos, non cesserit ponderi mortis & satanæ, imò vtrumque potentia deuicerit, nósque ab iis liberauerit.

Palma in cacumine fructũ fert dulcissimos.

Cæterum quartò Roseto sese facit similem, quòd quemadmodum rosa miræ pulchritudinis & suauissimi odoris est, sic & ipse sit speciosissimus præ omnibus filiis hominum, ac credentibus odor vitæ in vitam æternam.

Rosa flos miræ pulchritudinis & suauissimi odoris.

Porrò quintò Oliuæ sese confert. quemadmodum enim oleum hominis vires & corroborat & exhilarat, ita & ipse conscientias nostras verè suo spiritu ac gratia corroborat exhilarátque.

Oliua arbor corroborãs & exhilarãs.

Sextò verò comparat sese Platano. quòd quemadmodum Platanus latè ramos extendit, & fessos suo vmbraculo à solis æstu defendit, sic & ipse sua gratia omnia ambiat, ínque tentationum & afflictionum ardore sibi fidentibus succurrat.

Platanus arbor latè ramos extendẽs, fessosque suo vmbraculo ab æstu defendit.

Ita tandem & Cinnamomo, Balsamo ac Myrrhæ sese comparat. quòd quemadmodum hæc aromata mirè debile corpus confirmant, ad eundem modum & ipse sit credentium confirmatio, refectio, consolatio, gaudium, denique omnia. Talis ac tantus rex est Christus.

Cinnamomũ balsamum & Myrrha ar-

Quis iam nolit sub tali, tantóque rege lubens agere? Quis huius recusét tollere iugum, eiúsque subditus esse? Quis hunc nollet supra se regnare? Quum præsertim & suos clientulos faciat altissimos, latissimos, fortissimos, ac suauissimos, ne quis malorum ipsis possit incómodare, neque quis bonorum odisse eos queat. Agite itaque

itaque abnegemus regnũ mundi, carnis, & satanæ, atque hunc vnũ régẽ agnoscamus, exoseulemur, veneremur, audiamus, ac sequamur, simus ac permaneam⁹ in regno ipsius, simus ipsius populus. Ita enim & ab omni malo erimus tuti, & in perpetua viuemus pace, & nihil nobis deerit, & tandem regnabimus cum ipso æternùm.

bores aromaticæ debilia corpora mirè cõfirmãtes.

Nos filij Ecclesiæ abrenũtiemus regno mũdi, carnis & satanæ, & simus ac maneamus in regno Christi, simúsque ipsius populus.

Elogium sapientiæ diuinæ etiam potest accipi de deipara Virgine gloriosa.

Hanc ob causſam verba lectionis præsentis hodiernæ festiuitati dedicata sunt, nimirum quòd persona loquẽs inter cætera dicat, creatorem suum requieuisse in tabernaculo suo, & se exaltatam esse instar cedri, cypressi, palmæ, roseti, oliuæ, & platani. Nam hæc verba si iuxta literam sumantur, non ineptè conueniunt mátri virginis, vt cuius creator (vnigenitus nempe Dei filius Iesus Christus) in ipsius carne tâquam tabernaculo nouem mẽses requieuerit, quæque in assumptione sui exaltata sit supra omnes choros angelorum ad cælestia regna.

EPILOGVS.

1 *Sapientia dei Iesus Christus filius Mariæ non vbiuis vult morari, sed in hæreditate domini, quæ sunt animæ timentes Dei. Deliciæ sunt ei esse cum hominibus, sed non cum omnibus. Iacob elegit, Esau verò odio habuit. Cainum necem fratri meditãtem abominatur: simplicẽ autem Abelum, nihil mali suspicantem, fratris verbis acquiescentem, amplectebatur. Sic etiam idolatras & sanguinarios ethnicos auersabatur, Iudæos verò sanctorum patrum germen elegit.*

2 *Pulchris epithetis & notis Christi regnum scilicet Ecclesia, describitur, & vnde eius vera membra cognoscantur, apertè demonstratur.*

3 *Sapientiæ diuinæ altitudo captui nostro sese attemperat, quæ cùm sit incõprehensibilis & inuestigabilis, tamẽ cedri, cypressi, palmæ, rosæ, hierichũtinæ, oleæ, & platani cõparationibus, suã eminentiam, fortitudinem, et suauitatẽ explicat.*

IN IISDEM SACRIS FERIIS
Euangelium.

Factum est dum irent: & ipse Iesus intrauit in quoddam oppidulũ, &c. Finis Euangelij: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10.

PRoponuntur nobis hîc duæ mulieres sorores, Martha videlicet & Maria: & in vtraq; proponitur nobis peculiare singulareq; exemplum. In Martha commendatur nobis hospitalitas. Nam primò quod ad Marthæ personam attinet: audimus ex textu Euangelico Iesum intrasse quoddam oppidulum. Nam solitus erat hoc intrare, cùm à Galilæa in Ieruſalem celebraret ascensum, quia intermedium erat, quod Bethania vocabatur: & mulierem quandam Martham nomine excepisse dominum Iesum in domum suam. Hæc (vt Ambrosius vult) iam ab hæmorragia per Christum curata erat, ex quo illi quoque facta fuit deuotior. Martha ergo excepit eũ vt hospitem, sed ramen famula dominum, ægra saluatorem, creatura creatorem: & pascenda spiritu, dominum in carne pascendum suscepit, quoniam Christus quo ad humanam naturam cibi indigus erat: vnde & esuriebat & sitiebat. Ioan. 4. Potuisset siquidem sibi è cælo cibum prouidisse, vel ex nihilo creasse. In deserto videmus accessisse ad ipsum angelos, eique ministrasse. Similiter constat Eliam nutu Dei, corui ministerio alimentum suscepisse, qui ipsum diutius hoc modo poterat pascere: sed ille voluit & viduam aliquid mereri, benedictionémque propheticam accipere, ideóque mittitur ad eam in Sareptam. Sic & hic hanc gratiam voluit præstare, quòd se hominem pasci sinebat, vt mererentur piæ mulieres. Poterant quidem eodem modo Christum angeli cibare, sed habitu suo voluit ille inueniri vt homo, hancque his duabus sororibus impendere gratiam, vt se sineret ab eis pasci. Ingens quippe gratia est siquando pauper mendicus ædes diuitis petit. Datur enim tunc illi occasio promerendi vitam æternam, vtque sibi faciat amicos de mammona iniquitatis. Hinc Abrahamum dixisse legimus (Gene. 18.) Si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, &c.

Hospitalitas nobis in Martha commẽdatur. Oppidulũ quod intrauit Iesus Bethania vocabatur.

Martha hospita dominj.

Cibi indigus erat Christus quoad humanã naturam.

Matth. 4.

Ingẽtis gratiæ signum est, quoties nutu Dei pauper mẽdicus ædes diuitis petit.

Dilectionẽ proximi et dilectionis modum ex facto Martha

Ex hoc igitur facto & dilectionem proximi, & dilectionis modum discere debemus. Quemadmodũ enim Martha dominum excepit, sic & nos eundem debemus excipere. Excipiemus autem illum in pauperibus nudis & vagis, esurientibus & sitientibus. Quicquid enim his impende-

impenderimus, id sibi impensum putabit ipse, Matt. 10. & 25. Hos igitur excipiamus, cibemus, potemus, tegamus, consolemur: sic non minus excipiemus dominum, quàm ipsa Martha.

tha discere debemus.

Sed Martha excepit illum alacris & magno cum gaudio, fœlicem & beatam se repurans, quæ mereretur excipere ipsum dominum. Sic & nos quicquid impenderimus pauperibus, id impendamus alacriter & hilariter, non ex tristitia aut necessitate: nam hilarem datorem diligit Deus. 2. Corint. 9. 1. Pet. 4.

Christus quomodo excipitur hospitio.

Alacriter & hilariter pauperibus subueniendũ.

Præterea solicita erat Martha de apparatu conuiuij, satagens ac cursitans ne quid omnium deesset quæ ad excipiendum reficiendúmque dominum & eius discipulos pertinebant: nec hic vllis vel sumptibus vel laboribus parcebat. Ad hunc ergo modum & nos in excipiendis cibandísque pauperibus, imò & diligẽdis proximis, neque diligentiæ neque laboribus neque sumptibus vllis parcamus. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, ait senior Tobias ad suum filium, Tob. 4. Zachæus dimidium bonorum suorum dat pauperibus, Luc. 19.

Laboribus acsumptibus nõ parcẽdũ in excipiẽdis cibandísque pauperibus.

Ad hęc, quemadmodum Martha non famulorum aut ancillarum, sed proprio ministerio inseruiit domino & discipulis: ita nec nos pudeat aut pigeat proprio ministerio pauperibus inseruire: quin pudeat nos potius inertiæ & superbiæ nostræ. Isa. 58. Carnem tuam ne despexeris. Christus attrectauit leprosos.

Neminem pudeat pigeatque proprio mẽsterio pauperibus inseruire.

Hospitalitatis virtus ad omnes pertinet Christianos hospitia habentes, extenditque se indifferenter ad omnes. Vnde Chrysost. Quiescamus, inquit, ab hac absurda curiositate, vt simus personarum acceptores in recipiendis in domum nostram pauperibus. Nam Abraham circa omnes se ostendebat hospitalem, qui si curiosus seruator fuisset, refugientes ad se angelos hospitio non recepisset. Hinc monet Seruator Luc. sexto, Omni petenti te, tribue. Rationem assignat Chrysost. dicens, Non ex vita eorum quos recipis, tibi mercedem tributurus est dominus, sed ex tua intentione, voluntate, misericordia & bonitate. Discant ergo Christiani sine distinctione exhibere hospitalitatem, ne forte cui domum clauserint, ac humanitatem negauerint ipse sit Christus. Ad

Hospitalitatis virtus ad omnes Christianos pertinet.

hanc virtutem nos prouocare debet eius vtilitas & fructus. Nam bona temporalia multiplicat, vt patet de vidua.3.Reg.17. cui nec farina nec oleum defecit, propter Eliseum hospitio susceptum. A temporali malo præseruat, vt patet in Raab, Ios.2. saluata cum domo sua, quia nuntios Iosue susceptit. Sic Loth Gen.19. quia angelos recepit, cum filiabus suis incendium euasit: de quo Orig. Domus, inquit, hospitales ingressi sunt angeli: domus verò hospitibus clausas ignis & sulphur accendit. Audite qui peregrinis domum clauditis, qui hospites abigitis, Loth in Sodomis habitauit, alia eius bona gesta non legimus, quàm quòd angelos hospitio receperit, & ideo incendia ignis euasit. Præterea gratiam & salutem impetrat. Patet hoc in Zachæo Luc.19. cuius domui à Deo salus contigit, & 4.Reg.4. quando Elisei precibus hospitæ suæ filius à mortuis excitatus fuit. Tandem cæli hospitium confert, hoc nimirum testante Augustino. Præbe tectum, accipe cælum. Charitas ergo fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatis nolite obliuisci. per hanc enim quidam placuerũt, angelis hospitio receptis, Hebr.13. Rom.12.1.Pet.4.

Hospitalitatis fructus quadruplex.

2 Secundò in Maria auditus verbi Dei nobis commendatur, quam audimus ad pedes Iesu assedisse, sermonemque eius audiuisse. Semper in Euangelio inuenies Mariam ad pedes Iesu. Mortuo nanque Lazaro corruit ad pedes eius, Ioan.11. & in die resurrectionis voluit tangere pedes eius. Hic quoque sedet secus pedes domini: & dum parantur alimenta, ipsa soli Dei verbo vacabat. Postposuerat quippe hæc omnem corporis curam, sibi vacans, sibi attendens, sibique intendens, non ad erogandum, sed accipiendum solicita, & propensius auida. In nullo actu, sed in contemplatione tota erat, agens plus intentione quàm opere. Audiebat verbũ illius, quoniã semper verbũ bonũ eructabat, ad quod prę dulcedine liquefiebat anima eius, ac si dixisset cũ sponsa ad spõsum, Anima mea liquefacta est vt dilectus loquutus est.

Verbi Dei auditus in Maria sorore Marthæ nobis commẽdatur. Ioan.20. Semper se Mariã ad pedes Iesu compo suisse sacra testantur Euangelia.

Videtur quidem Maria multò pręstitisse minus quàm soror Martha. nam & hodie pluris sit dilectionis officium, quàm verbi Dei auditus. Est quidem hospitalitas & cura pauperum, opus Deo gratum, verùm non aliter nisi

Cantic.5.

Hospitalitas et cura

nisi hæc duo simul accedant: Verbi Dei auditus, hoc est fides vera & catholica (in verbo nimirum Dei fundata) cum primis nobis adsit necesse est. Nam quicquid sit extra veræ fidei vnitatem, abominationi est domino. Deinde verò & rerum cælestium cura, contemplatióque requiritur: vt videlicet agamus cælestem conuersationem in terris, vtque omne desiderium nostrum à terrenis eue hamus ad cælestia, & solius Dei gloriam quæramus in omnibus. Hinc dominus suo responso quo illam defendit, longo interuallo prætulit auditum verbi Dei officio dilectionis, curæque pauperum.

pauperum opus est deo gratum, verùm nõ aliter nisi simul accedant verbi Dei auditus, hoc est fides vera, & rerũ cælestium cura contemplatióque.

Docemur igitur hìc humanum iudicium in rebus diuinis planè mancum & cæcum esse, ideóque Dei iudicio omnia committenda. nam is solus nouit quid vel vilius vel præstantius sit. Martha enim ex illorum persona loquebatur, qui adhuc diuinæ contemplationis ignari, solum quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum ducunt: ideóque cunctos qui Christo deuoti esse volunt, huic mancipandos autumant. Nondum autem aduertebat magis delectatum Iesum pascere auidas sui mentes, quàm corporeas escas accipere.

Iudicium humanum in rebus diuinis persæpe mãcum & cæcum est.

Sed consideremus quónam modo verbi Dei auscultatio præferenda sit dilectionis officio. Non nudè & solis corporeis auribus audiebat Maria verbum Iesu, sed & internis, hoc est, animo & toto affectu. Credebat nimirum verbo Dei, totáque interim amore desiderióque rerum cælestium rapiebatur, adeò vt terrestrium oblita esset, nec audiret nec videret Martham sororem sic discurrentem apparantémque. Huiusmodi igitur verbi Dei auscultatio in tantum placuit Christo, vt dixerit ad Martham, Mariam optimam seu meliorem partem elegisse, quæ nec auferretur ab ea.

Modus quo verbi Dei auscultatio præferenda sit dilectionis officio in Maria notandus.

Vnum, inquit, *est necessarium*. Q.d. Vna re in primis & maximè opus est, auditu videlicet verbi Dei, ac vera fide, internáque pietate. Ratio est, quia quicquid Deo gratum, & animæ salutiferum esse debet, id iuxta verbi Dei præscriptum, & in fide spiritúque fiat necesse est. Nam quicquid cum verbo Dei pugnat, abominatio est coram Deo. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Quicquid non procedit ex spiritu, hypocrisis est. Summa: Verbum

Vnum sum opere nobis necessarium quid sit.

Quicquid cum verbo Dei pu-

gnat, abominatio est coram deo. Rom. 4. Psal. 118.

Sine verbo Dei omnia sunt tenebræ, sine hoc languent omnia charitatis officia.

Exhortatio.

Dei est lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris. Sine hoc omnia sunt tenebræ, sine hoc languent omniæ charitatis officia. Similem autē habemus locum Act. 6. vbi Apostoli verbi ministerium, mensarum ministerio anteposuerunt. An non sanctissima est institutio Baptismi & Sacramentorum? tamen his præfert Paulus ministerium verbi. 1. Corint. 1. Huc & locus Luc. 11. facit: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Monemur igitur hîc vt quidem cum Martha sedulò in pauperibus & proximis charitatis officiis excipiamus dominum, verùm ante omnia cum Maria assideamus ad Iesu pedes, verbumque eius audiamus, hoc est, iuxta verbum Dei omnia nostra & dicta & facta componamus, domino adhæreamus fide firma ac viua, ac huic seruiamus in spiritu ac veritate, omnibusque rebus terrenis postpositis ad cælestia anhelemus. Sic denique & nos partem meliorem elegerimus, quæ nec auferetur à nobis vnquam.

EPILOGVS.

1 *Duas vitas hæ sorores in Ecclesia demonstrant, actiuam scilicet, & contemplatiuam. Martha quidē actiualem, qua proximo in charitate sociamur, demonstrat. Maria verò contemplatiuam, qua in Dei amore suspiramus.*

2 *Vna & sola est theoria, id est, contemplatio Dei, cui meritò omnia iustificationum merita, virtutumque studia postponuntur.*

3 *Pars Martha non reprehēditur, sed Mariæ laudatur. & optimam partē elegisse Mariā dicit. vt intelligatur etiā pars Marthæ bona. Quare autem pars Mariæ optima sit: subinfertur, cū dicitur, Quæ nō auferetur. Actiua enim vita cū corpore deficit: contēplatiua autē vita hîc incipit, vt in cælesti patria perficiatur. Charitas enim nunquam excidit. 1. Cor. 13.*

Sensus mysticus seu allegoricus eiusdem Euangelij.

Quoniam Euangelica historia vltra ascensionē Christi, & Apostolorum diuisionem non protenditur, nec de obitu Mariæ eiúsque assumptione aliquam mentionem facit, ideo ordinatione Ecclesiæ (quæ Spiritu sancto regitur, vt patet Ioan. 4. quæ & columna & firmamentum dicitur

dicitur veritatis. 1. Timoth. 3.) Euangelium hoc in assumptione glorioſæ virginis matris domini Mariæ legitur. Nam tametsi quo ad literam ad sorores duas Martham & Mariam refertur, secundum mysticum tamen sensum, locum etiam suum habet, si de virgine matre intelligatur. Vnde non incōuenienter ipsi aptari potest, quæ vtriusque vitæ energiam summè habuit, quæ & partem elegit optimam. In sacra quippe scriptura, res vna & eadem multoties inuenitur diuersa significare, sicut leo, hœdus, ignis, & aqua, vel etiam sol, &c. Est enim leo de tribu Iuda, Apoc. 5. & est leo qui circuit quærens quem deuoret. Est hœdus emissarius qui peccata nostra portauit, cuius figuram habes Gene. 22. est & hœdus à sinistris qui damnatur, Matt. 25. Est ignis quem misit dominus in terram, & quem vult vt ardeat, Luc. 12. est & ignis qui super impios cadat, vt non videant solem. Est aqua cuius flumina fluunt de ventre credentis, Ioan 7. est etiam aqua cuius tempestas nos demergat. Est sol iustitiæ, qui nos illuminet, Ioan. 8. est quoque sol, qui nos non vrat per diem. Similis ratio est de castello. Licet enim castellum aliàs malum significet, vt illud de quo dicitur Matth. 2. Ite in castellum: vbi & additur, quod contra vos est: tamen hîc castellum in quod intrauit Iesus, singularem & intemeratam virginem intelligimus. Fuit nanque domus domini firmiter ædificata, benéque fundata supra firmam petram. Vnde non ineptè comparatur mulieri sapienti, quæ ædificauit domum suam supra petram. Nam descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerūt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat supra petram. Econtra Eua non castellum, sed domus infirma, superba, & fatua fuit, super arenam ædificata, turbinibus & procellis tentationum euersa, & ideo fuit ruina illius magna.

Mysticè præsens lectio non incōuenienter de B. Virgine interpretari potest, quæ vtriusque vitæ energiam summè habuit.

In sacra scriptura sæpe res & natura diuersa habet signi ficata.

Maria castellum est quod Iesus intrauit.

Eua non castellum fuit sed domus infirma.

In primis Martha commendatur in hoc, quòd dominum Iesum exceperit in domū suam, & distracta sit circa frequens ministerium: sed hoc factum longè perfectius in matre domini deprehenditur. Hæc enim excepit illum non in domum materialem, sed in corporis sui castissimi domicilium: & si quis vnquam ministrando illi occupatus fuit, hæc sanè in eius ministerio distracta fuit

Hospitalitatem longè perfectius exercuit Maria

omnium

ria mater Iesu, quàm Martha. Luc. 2. et 11

omnium maximè, vt quæ illũ carne vestiuerit humana: & si quid nebat aut texebat, domino in vestitum apparauerit: illum adhuc paruulũ vberibus suis lactauerit: pannis inuoluerit: vnà cum illo in Ægyptum fugerit: illius anxiam curam egerit, adeóque & gladium doloris propter illum senserit, & summatim nullius alterius Marthæ indiga, nullius egens ancillæ opera, ipsa omne obsequium exibuerit, cæteráque misericordiæ opera illi præstiterit. Verè in illam competit quod hic dixit dominus, Martha, Martha solicita es, & turbaris circa plurima.

Maria quã solicita, & quantũ turbata fuerit. Ioan. 19.

Quantum putatis Maria turbata fuerit, quo mœrore affecta, quando vidit illum vinctum circunduci de loco ad locum, immaniter capi, flagellari, ludibriis affici, tandem in cruce siti torqueri, mortéque turpissima extinguit? Quando vnquam huiusmodi Martha fuit in terra, quæ tantis affecta sit doloribus, tot emacerata curis? Certè dicere potuit: Domine, non est tibi curæ quòd omnes amici, proximi, & noti relinquant me solam ministrare? Iube vt me adiuuent. Si ergo Martha meretur laudem suum ob factum, multò sanè iustius virgo mater ob suum laudata est.

In vita contemplatiua mater Iesu longè superauit Marthæ sororem Mariam. Luc. 1. Coloss. 2. Luc. 2. Nullus homo vnquam vn

Cæterùm Maria Marthæ soror euehitur in hoc laudibus, quòd assederit ad pedes Iesu, verbúmque eius audierit, ac sic optimam elegerit partem. At quis vnquam magis ad pedes Iesu assedit, quàm mater ipsius Mariæ? hæc nanque etsi mater esset domini, tamen ipsius sese humilem ancillam agnouit. Quis item verbum Iesu auidius audiuit quàm ipsa? Beata enim pronuntiatur, quòd credidit domini verbis. O quanta contemplationis dulcedo fuit in Maria, quando Spiritu sancto superueniente, & virtute altissimi obumbrãte, ipsum Dei filium concepit? Quid de Deo non sapiebat, in qua sapiẽtia Dei latebat, & in cuius vtero sibi corpus aptabat? Christus enim Dei sapientia, & Dei virtus. 1. Cor. 1. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi. Conseruabat enim omnia verba, angelorum, pastorum, magorum, aliorúmque iustorũ, necnon ipsius filij, conferens in corde suo. At quis vnquam melius gustauit & vidit quàm suauis est dominus quàm Maria? Inebriabatur enim ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potabatur.

tur. nec mirum, quoniam apud eam, imò in ea erat fons vitæ, de quo manabat: tanta perfectio vtriusque vitæ. Quis denique partem elegit meliorẽ quàm ipsa? Elegit nanque in domo Dei sui esse magis quàm in tabernaculis peccatorum. Nam etsi multis externis rebus hîc occupabatur, omne tamen eius gaudium & vniuersa lætitia erat in vno quod solum permanet cæteris transeuntibus: ideóque & nũc agit in gloria filij sui, cælestibúsque gaudiis saturatur. Nam pars Marthę ablata est, quum nihil iam habeat cur perturbetur, sitéque solicita vt seruiat domino vt infantulo, cui nunc omnes angelorum chori inseruiunt sedenti in throno cæleſti. Iam non turbatur amplius, nec est quòd cum illo fugiat in Ægyptum à facie Herodis, quia Christus ascendit in cælum, Herodes detrusus est ad inferos. Iam nõ turbatur propter Iudæos, qui tunc occupati erant in capiendo domino, in præcipitando de monte, in lapidando, quum illi nunc subiecta sint omnia, & inimici eius sub pedibus eius prostrati. Nihil iam flagella metuit: non virgas, non clauos, non crucem denique formidat. Resurrexit nanque Christus, neque moritur, mors illi vltrà non dominabitur, Rom. 6. Pars ergo Marthæ ei ablata est, sed bono suo, quia pars Mariæ in ea perficitur, quæ non auferetur. Sicut enim compassa est, ita & conglorificata. 2. Timo. 2. Et quia patienti nunquam defuit. ideo nunc ab eo pascitur, eúmque contemplatur facie ad faciem, quem hîc contemplabatur fide. O fœlix visio, videre non solùm corporis Christi claritatem (qua conspecta Petrus, omnium quæ in cælis siue in terris sunt, oblitus, ait: Domine bonum est nos hîc esse) sed & deitatis. nam. 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est. Verè oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. 1. Corinth. 2. Si fulgebũt iusti sicut sol in regno patris eorum, qua ergo gloria in cælis sacra virgo colitur, quæ domino cæli præbuit hospitium sui sanctissimi corporis, & super omnes dilexit? Exaltata est super omnes choros angelorũ. In bonis repletum est desiderium suum, à filio susceptа comitantibus angelis. Nam Lazarum legimus ab angelis deportatum in sinum Abrahæ, Luc. 16. Adfuere angeli domino nato, Luc. 2. mulieribus

quam per fecit. & vidit & gustauit, quàm suauis est dominus, quàm Maria.

Pars Marthæ ablata est Mariæ.

Pars Mariæ in sacra virgine Maria per ficitur, quæ nunquam ei auferetur. Rom. 8. Matth. 17. Matth. 13. Maria exaltata super omnes choros angelorum.

ribus ipso rediuiuo. Matt. 28. Discipulis, ascendente ipso. Act. 1. nec dubiũ quin arcam fœderis domini templum, sacrarium Spiritus sancti, cum iubilo in domum deduxerint. Dauid 2. Reg. 6. Inò & filius festiuis illam amplexibus, vt matrem & talem matrem decuit, iuxta se in throno collocauit, 3 Reg. 1. Famulo suo B. Stephano de ergastulo carnis egressuro cõspicuum se præbuit, Act. 7. Multò magis matri. Nam Ioan. 14. promisit, Iterum veniam, & assumam vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis. Item Ioan. 12. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Sed quo honore? Ioan. 17. ait Christus: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi & ego sum, illi sint mecum, vt videant claritatem meam quam dedisti mihi. Extendit ergo verus Noë manum suam extra arcam, & apprehendit columbam, quæ modò videt Deum facie ad faciem, gaudétque cum filio in æternum. Si igitur Maria soror Marthæ ob suum factum laudibus est digna, longè certè magis Maria mater domini ob sua præclara facinora laudem meretur æternam.

Filius festiuis amplexib' mater occurrit eamq; iuxta se in throno cælesti collocauit.

Videte: huc solum respexerunt illi patres veteres, qui Euangelium hodiernum ad præsentes matris virginis ferias ordinarunt.

IN FESTO BARTHOLOMÆI
Apostoli Epistola.

Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, &c. Finis Epistolæ: Quæ superabundauit in nobis.

Ephes 1. Deo gratiarum actiones agendæ propter quinque erga nos beneficia.

IN hac lectione ostēdit Apostolus nos Deum debere laudare, & ei gratias agere propter quinque sua erga nos beneficia. Vnde Apostolus considerans Dei erga nos dignationẽ in vocem gratiarum actionis & laudis erumpit: dicens: *Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi.* Deus est Christi, vt incarnati: pater verò vt coæterni & consubstantialis verbi, Deo patre hoc ipsum per Psal. testante. Ipse, inquit, inuocauit me, Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ.

Deus pater Deus Christi dicitur vt incarnati pater verò, vt coæterni & consubstantialis verbi.

Quo

Quo exemplo nos Apostolus informat vt idem faciamus, scilicet benedicamus ac laudemus Deum, & gratias illi agamus. Deum etenim benedicimus, quum illum (sicuti verè est) bonum dicimus: quum summè bonam esse Dei maiestatem, potentiam, iustitiam, sapientiam, clementiam, misericordiam, beatitudinem & æternitatem fideliter confitemur, totis animæ viribus cupientes, vt hoc ipsum de Deo sentiant & dicant vniuersi. Gratias illi agimus, quum bona quæ ab ipso recepimus, in ipsum fideliter referimus, & illa ei cuius sunt ascribimus, nec vllatenus inde nostram, sed suam gloriam quærimus, dicentes cum Psal. Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Porrò Deum laudamus, quando mente sapimus & intelligimus Deum in omnibus operibus suis & multò magis in semetipso summè laudabilem esse, & suę bonitatis dignitatem, laudem omnem in immensum superare. Sicut enim intellectu creato comprehendi Deus non potest, ita nec par est laudari. Hæc ergo tria creatori nostro Deo debemus, & ad ea illi fideliter persoluenda nos semper intenta mente & animo grato decet esse solicitos, iuxta verba Psalm. Benedicam dominum in omni tẽpore: semper laus eius in ore meo. Et iterum, Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in seculũ misericordia eius.

terni & cõstantialis verbi.

Deus quomodo à nobis benedicitur.

Deo quomodo gratias agimus.

Deũ quãdo laudamus.

Creatorì nostro tria hæc debemus, benedictionem, gratiarum actionẽ & laudem.

Laudandus & benedicendus est Deus, quia benedixit nos in omni benedictione spirituali, non temporali aut carnali, quomodo Iob olim benedixit, & Iudæis, sicut scriptum est Genes. 27. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundãtiam frumenti, vini, & olei: seruiant tibi populi, & adorent te tribus. & Deuter. 28. Dei mandata seruaturis dicitur: Benedictus eris in ciuitate, & benedictus in agro: Benedictus fructus ventris tui, & benedictus fructus terræ tuæ, fructúsque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum: benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Omnes hæ benedictiones carnales erant: Nostra verò benedictio spiritualis est, & adeò munifica & liberalis, vt nihil ex ea desit, quando quidem & immortalitate donamur, Dei filij, & Christo cohæredes effecti. Merito igitur in omni benedictione dixit. Qui enim

Ratio cur laudandus & benedicẽdus Deus. Iob. 1.

Prima est benedictio, qua nos benedixit, nõ tiporali sed spirituali.

2. Benedictio.

(ait

Rom. 8. (ait Apost. alio loco) proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

Et ne quis putet hanc benedictionem in terra refundendam, addit, *in cælestibus*. Nam Iudæorum benedictio duntaxat in terris erat, & ideo non spiritualis, sed corporalis tantùm erat. Si audieritis me, inquit, bona terræ comedetis, Isa. 1. In nostra verò benedictione cælestia & diuina omnia in præmium promittuntur, sicut testatur hæ voces, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, Matth. 5. Item, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, Matth. 3.

Benedictio Iudæorũ in terris erat.

In nostra benedictione cælestia & diuina omnia in præmium promittuntur.

Et ne rursum existimet quis, nostris meritis hanc nobis benedictionem prouenire, subiunxit Apostolus, *in Christo*, hoc est, non vt quondam benedictio temporalis per Mosen Iudæis cõtigit, sed per Christum benedictio ista spiritualis nobis obuenit, Tit. 3.

Benedictio Dei nõ nostris meritis nobis prouenit, sed per Christum.

2 Benedicendus est Deus, quòd *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Potior & dignior est electio, quàm benedictio. Nam multi excidunt à salute priùs à Deo benedicti, non tamen perire possunt electi. Sicut ergo nos per Christum benedixit, ita & per eundẽ elegit, hoc est, per fidem in Iesum Christũ, qua & benedictionem consequimur, & electione efficimur digni. Quicunque igitur in Christum fidem non habent, maledicto subiacentes reprobantur. Et ne quis putet vel præuisa à Deo merita nostra huius electionis causam esse, dicit quòd elegit nos ante mundi constitutionem, videlicet priusquam essemus. Ad hoc, inquit, elegit nos Deus, ne torpeamus, existimantes nil esse vltrà virtuti studendum, vt vitam assequamur æternam, quum iam pro Dei arbitrio qui salui fient sint electi: sed vt sancti simus, & sine labe, & in ea sanctitate viuamus, quam baptismo ablutis largitus est dominus, idque in conspectu eius, non autem in præsentia hominum more Pharisaïco. Quia verò nos sponte

2 *Electio.*

Benedicti à Deo multi à salute excidunt, electi verò perire non possunt.

Deus quare nos elegit.

Spõtaneus nos elegit Deus ex sola sua bonitate.

1. *Ioan. 4.*

ipsum, omnia nostra in charitate Dei & proximi facientes, vt per huiusce modi charitatem sanctificati, diuina electione simus non indigni. 1. *Cor. 16.*

3 Benedicere debemus Deum, *Qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorũ Dei per* IESVM CHRISTVM *in ipsum*. Superius dictũ est electionem maius aliquid esse quàm sit benedictio: verùm hic dicit Apostolus quòd adoptio electione ipsam præcellit. Hoc enim diuinæ benignitatis summum est indiciũ, quòd nos filiorum & nomine & gratia dignatus est. Videte, ait Ioannes, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus. Et hæc quidem adoptio per Iesum Christum efficitur. Pater enim prædestinauit filium, filius autem nos ad patrem duxit. Hoc itaque bonum tam grande non interuentu serui cuiuspiam, sed per Dei filiũ nobis obuenit. Vt enim homo per adoptionis gratiam Dei filius efficeretur, filius Dei prius factus est filius hominis, vt particeps factus nostræ humanitatis, nos suæ diuinitatis tribueret esse participes. Verbum enim caro factum, potestatem dedit omnibus qui per fidem se receperunt, filios Dei fieri, Ioan. 1. Non per carnalem aliquam generationem, sed per regenerationẽ spiritualem ex aqua & Spiritu sancto, de qua ait Ioan. 3. Nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. Et quoniam vniuersa propter semetipsum operatus est dominus, ideo cõsequenter subdit: *Secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ*. quasi dicat pro peteret prædestinauit futurum vt nos in filios adoptaret, vt suæ in nos benignitati & benevolentiæ satisfaceret. & vt gratiæ & munificentiæ ipsius gloria palàm manifestaretur, & vt nos per hæc ipsius gloriã & bonitatem agnoscentes, ipsum ampliori charitate complectamur. *Prædestinauit nos* inquit, *secũdum propositum voluntatis suæ*. Nã id vel maximè vult Deus, vt nemo pereat, sed magis vt conuertatur & viuat, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. 1. Timoth. 2. Ipse tamen nolentes nõ cogit, sed volẽtes trahit: de quo tractu Dei filius ait Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Qui autẽ trahit volẽtem, trahit etiam humi iacentem, modò præbeat manum au-

3 *Adoptio.*

Benignitas diuina summũ est indicium quod nos filiorum & nomine & gratia dignatus est.

Vniuersa propter semetipsum operatus est dominus.

Deus maximè vult vt nemo pereat, sed vt conuertatur & viuat, Deus nolẽtes nõ cogit sed volentes trahit.

xiliatori. Dum enim id cupimus & precamur, vt operi manuum suarum (id est nobis ipsis) porrigat dexteram, tunc inopes manus nostras ad ipsum auxilij petendi gratia extēdimus. Quod si non fecerimus, etsi ipse nostram velit salutem, quia tamen nos non volumus, ad salutem nobis nihil proficiunt ea quæ alioqui efficacia sunt: non quòd infirma sit eius voluntas, sed quia saluare non vult inuitum. Hoc patet in Paulo Act. 9. & Elyma. Act. 13.

4 Gratificatio.

4 Deum laudare & benedicere debemus, quòd in gratia sua (non in nostris meritis) *Gratificauit nos in dilecto filio suo.* hoc est, acceptos nos coram se fecit & gratiosos per dilectum filium suum. Quemadmodum si quis fœtidum quempiam squallentem, scabie multa affectum, tabidum & informem, quem curandum accepit, confestim decorum & incolumem cunctisque gratum reddat: sic Deus omni nos deformitate squallētes, per filium suum iucundos reddidit & hilares, formāq; præstantes, vt huiusmodi decorem nostrum ipse concupiscat, dicente prophera: Et concupiscet rex decorem tuum, illum vtique qui intus est, quia omnis gloria filiæ regis ab intus.

5 Redemptio.

Ioan. 3.

Isa. 53.

5 Gratias agentes Deum benedicere debemus, *quia in filio Dei habemus redemptionem per sanguinē eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis.* In dilecto, inquit, Dei patris filio habemus redemptionē illā quam misit dominus populo suo. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, & poneret in eo iniquitates omniū nostrum, & propter scelus populi percuteret eum, & esset disciplina pacis nostræ super eum, qui peccatum nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. O domū omni maius æstimatione, quod nemo potest mereri, & quod solus potest dare Deus. *In quo*, inquit, *habemus redemptionem per sanguinem eius, &c.* Quos antè proscripserat, nunc per sanguinem suum redemit, venditos scilicet per peccatum: quibus per Isaiam prophetā dicitur: Gratis venūdati estis, & sine argento redimemini. Verùm ne putaremus tantæ gratiæ donum quasi nostris meritis redditum, & non potius esse diuinæ munificentiæ gratuitum donum, omne meritū in immensum excedens, adiecit: *Secundū diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis.* Quū igitur tāto nos ille

Per sanguinē Christi redemptionem accepimus.

Isa. 52.

nos ille emerit pretio, non debemus nos rursum peccati seruitio mancipare. Empti, inquit, estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro, sicut & ille peccata nostra pertulit in corpore suo super lignū. *1. Cor. 6.* *1. Pet. 2.*

EPILOGVS.

1 *Ad gratiarum actionem pro Dei benedictione, electione, adoptione, glorificatione, & redemptione, suo exēplo nos prouocat Apostolus, ne propter ingratitudinem accipiendis in futurū Dei beneficiis indigni reddamur, quæ alioqui exsiccat fontem pietatis, fluenta gratiæ, & rorem misericordiæ Dei. Ad locum, inquit Sapiens, vnde exeant flumina, reuertuntur, vt iterum fluant, Eccles. 1.*

2 *Christo mediatore saluandis omnia diuinæ munificētiæ beneficia obuenīūt. Ipse siquidē factus est nobis sapiētia, & iustitia & sanctificatio & redēptio: vt quemadmodū scriptū est, Qui gloriatur, in domino glorietur. 1. ad Cor. 1. & Ierem. 9.*

3 *Thesaurum gratiarū & misericordiæ suæ super nos Deus aperuit, vt nostram exinde inopiam non modò leuaret, sed etiam ditaret. Gratia enim eius superabundauit in nobis.*

IN FESTO EIVSDEM APOSTOLI

Euangelium.

In illo temp. Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior, &c. Finis Euangelij: Et sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. *Luca. 22.* *Mat. 20.* *Marc. 10.* *Luc. 23.*

IN hoc Euangelio tria videmus, scilicet primò contentionem Apostolorum intempestiuam, quisnam inter ipsos primas in regno Christi tenere debeat. Quoniam enim dominus in cœna meminerat de regno Dei, incidit rursus inter discipulos adhuc infirmos, & carnem ex parte sapientes contentio, quis à morte domini primatum haberet in regno Dei. Matthæus ait: Audientes decem indignati sunt &c. Vix dum Christus duorū fratrum morbo medicatus fuerat, & ecce aliud malum oritur. Decem enim illi eodem morbo se laborare prodiderūt, nempe ambitione. Hæc enim illos ad petendum primatū, hos autem ad indignationem cōcitauit. Indignabātur enim contra duos, quòd parum agnoscentes mediocritatem

Mat. 20.

Ambitio duos fraētres ad pētedum prīmatū, et reliquos contra duos.

Iuguos decẽ Apostolos ad indignationem cõcitauit.

Ambitio fons bellorũ et diſsidiorum.

Ambitio cauſſa fuit quod Romani totũ orbem macularunt ſanguine humano.

Imperfectio diſcipulorũ non parũ nobis profuit. Ioan. 20.

Hiſtoria hac duplices habet auditores.

Euangelio nemo abutatur in deteriorẽ partem.

Diſceptatio diſcipulorũ de primatu orta eſt ex ignorantia. Luc. 24.

ſuam, primum locum auſi fuiſſent poſtulare, qui potius aliis debebatur. Hi enim ſunt affectus eorum qui in aulis principum viuunt. ſibi quiſque placet, ſibi quiſque poſſi cetur honores. & vnus alteri inuidet. Habes autem hic ex quo fonte bella & diſsidia oriantur, nempe, ex ambitione. Inter ſuperbos enim ſemper ſunt iurgia, Prouerb. 13. Hæc fuit cauſſa quòd Romani totum orbem macularũt ſanguine humano, nec alia cauſſa nunc bella excitat, quàm ambitio principum, quibus leuius videtur plurimum Chriſtiani ſanguinis fundere, quàm leuem aliquam iacturam externorum facere.

Sed interim nemo miretur ſic affectos fuiſſe diſcipulos. Nondum enim Spiritum ſanctum acceperant. Longè aliter poſtea affecti ſunt. Non parum autem nobis profuit eorum imperfectio. Hinc enim plerunque Chriſtus ſumpſit occaſionem docendi ea, quæ pietatis ſunt: ſicut incredulitas Thomæ, noſtræ fidei facta eſt confirmatio. Quod autem Chriſto hic contigit, hoc ſibi quiſque prælatus polliceatur, ſciat ſe inter infirmos eſſe, nec vnquam otij tempus eſſe.

Habet hæc hiſtoria duplices auditores. Quidam ſuam imbecillitatem inde agnoſcunt, & vitam emendant, atq; gratiam oblatã cum fide in humilitate ſuſcipiunt. Quidam verò cauſſas & occaſiones peccandi inde ſumunt: vt malitiam ſuam, ſanctorum caſibus & lapſibus excuſent. Admonitum ſe igitur quilibet ſciat, ne Euangelio in deteriorẽ abutatur partem: neque ſub prætextu eius, cordis ſui exerceat malitiam, ſed diſcamus potius ex hac & aliis hiſtoriis noſtram humanã imbecillitatem (ſenſus enim & humani cordis cogitatio ad malum prona ſunt: Gen. 8.) & Chriſti erga lapſos ineffabilem bonitatem.

Diſceptatio oritur inter diſcipulos de primatu in regno Chriſti ex ignorantia. putabãt enim illud fore mundanum. Vbi monemur, non ſtatim ex vna concione putare nos omnem capere diuinarum rerum intellectum, ſed ſæpe eſſe domini verbum audiendum. Cùm enim hi diſcipuli errent, qui tot Chriſti cõciones audierant: quid de contemptoribus verbi fiet? Monemur quoque fidem non eſſe cuiuſlibet, ſed ſingulare donum Dei. Non tantùm igitur audiendum eſt verbum: ſed orãdus eſt etiam Deus,

Deus, vt ſuo Spiritu ſancto agente in nobis ſit efficax.

Peccarunt diſcipuli dupliciter, ambitione & contentione. Liberũ arbitriũ in rebus diuinis nihil omnino valet ſine dei gratia.

Peccant autem diſcipuli dupliciter, ſcilicet ambitione & contentione. Non conſiderant quod Chriſtus dixerat, Seruus non eſt maior domino. Et illud, Filius hominis tradetur. Item, Mitto vos ſicut oues in medio luporum, Matth. 10. Videmus igitur liberum arbitrium in rebus diuinis ſine Dei gratia nihil omnino valere. Dicitur enim. Rom. 8. Qui ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. Ibidem præmittitur, Sapientia carnis inimica eſt Deo.

Quadruplex vſus ex diſcipulorũ imbecillitate nobis capiendus.

Hæc igitur de diſcipulorum imbecillitate ſcripta ſunt in noſtrũ vſum: Primò vt nobis ab inani caueamus præſumptione. Secundò, ne ægrè feramus nos corripi verbo diuino, cùm hodierno adhuc die Euangelium Apoſtolorum arguat imbecillitates. Tertiò, omnes contentiones huius mundi eſſe de rebus nullius momenti. Quartò, in primis verbi miniſtros omnem debere operam dare, ne inter eos de primatu oriantur contentiones.

Patientia Chriſti erga ſuos diſcipulos.

Secundò videmus in hoc Euangelio patientiam Chriſti erga diſcipulos, qui debuerant conſiderare tempus ab omni contentione alieniſsimum. tum enim dies inſtabat dominicæ paſsionis: & conciones præceptoris ſui, de regno ſpirituali inchoando erant, non de mundana exercenda potentia. Non tamen eos dominus reiicit, ſed (vt Matthæus dicit) vocauit eos ad ſe, tanquam ad ſalutis medicum, à quo mitigarentur: tanquam ad pacis vinculum, quo vnirentur tanquã ad virtutis magiſtrum, à quo inſtruerentur: vt ab errore reuocaret, vt ad pacem reformaret, vt regulam debitæ prælationis proponeret, vt nõ eſſet denarius ſine binario charitatis. Ideóque familiariter increpat, & amiciſsimè erudit, & dicit: *Scitis quia principes gentiũ dominantur, &c.* Nolite, inquit, quippiã imaginari in regno cælorum, quale videtis in regnis mundanis. Longè aliud regni genus eſt, quod beneficiis conſtat, non vi. ſpiritualibus præſidiis obtinetur ac defenditur, non violentia: perſuaſione dilatatur, non neceſsitate. Fuerunt qui ex his verbis occaſionem arriperẽt erroris, dicẽtes Chriſtianos tanquã liberos per Chriſtum, nulli hominum ſubiici debere, quemadmodũ & quidam Iudæorum tributum non pendendum Cæſari cenſuere, Matth. 22. Sed hunc dominus errorem corrigit, dicens,

Occaſio erroris quorundã ex his verbis erronea & falſa.

cap. eodem. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Nulla enim communitas sine rectore stare potest, Prouerb. 11. Vbi non est gubernator, populus corruet. Vnde Iudic. 17. In illis diebus non erat rex in Israël, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

Communitas nulla sine rectore stare potest.

Discrimen facit Christus inter suũ regnũ & regna mũdana.

Facit itaque discrimen inter suum regnum, & regna mundana. Nam in regno Christi, eos qui præsunt, aliis inseruire oportet. In regnis verò mundanis primates potenter regnant, & ab omnibus eis est inseruiendum: quemadmodum Genes. 10. de Nemroth legitur quòd cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram domino. Sopho. 3. Principes eius in medio eius quasi leones rugientes. Siquidem principes huius mundi dominatum exercent in eos, in quos habent magistratum. non enim persuadent, vt ament honesta, sed metu supplicium deterrent à maleficiis, Rom. 13. & honorem exigunt à suis, etiamsi non promereantur: imò, quò propius accedunt ad tyrannidem, hoc plus honoris exigunt à suis, & interim magnificis titulis honorantur. Vocantur principes, patres patriæ, seruatores, consules, quòd potestate sua premant inferiores. Tale est regnum gentium. Prouerb. 28. Leo rugiens, & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem veruntamẽ non semper impunè. Eccl. 8. Interdum dominatur homo homini in malum suum. Isaiæ. 10. Væ qui condunt leges iniquas, &c. Talem quoque comminationem olim dominus dedit Ioachim filio Iosiæ regis Iuda, Ierem. 22. Chryso. Principes mundi ideò fiunt, vt dominentur minoribus suis: principes Ecclesiæ, vt seruiant minoribus suis: vt proprias vtilitates negligant, & illorum procurent, nec mori timeãt pro salute ipsorum. Non ergo extollat præsidentem dignitas, ne ab humilitatis beatitudine corruat: illud autem nouerit, quòd humilitas vera ministerium plurium est. Sicut enim qui pluribus ministrat vulneratis, abstergẽs cuiuslibet vulneris saniem, non sumit ex ministerio illo caussam elationis: sic multò minus cui commissæ sunt curæ fraternorum languorum, vt omnium minister, redditurus pro omnibus rationem, humilis esse debet atque solicitus. Eccl. 32. Rectorem

Principes mundi quò propius accedunt ad tyrãnidem, hoc plus honoris exigũt à suis, & magnificis titulis gaudẽt honorari.

Principes mũdi ideò fiũt, vt dominentur minoribꝰ, principes Ecclesiæ, vt seruiãt minoribus suis.

Simile pulchrum.

te posuerunt? noli extolli. esto in illis quasi vnus ex ipsis, &c. Quò ergo quisque maior est, hoc minus sibi vendicare debet violẽtiæ potestatis, & gloriæ. Nec enim huc spectabit, vt suis dotibꝰ quas accepit à Deo, premat inferiores, sed prosit ac subleuet: nec sibi vindicabit honorem, sed Deo totũ transcribet: nõ quòd non sit in hoc futurus ordo, sed quòd is qui delectus est ad pri-matum, vt aliis dux sit ad pietatẽ, adeo seruiat omnium cõmodis, vt videatur minister potius esse, quã princeps. Fauorem non ambiet, sed promerebitur animus ad benefaciendum omnibus promptissimus: autoritatem tuebitur vitæ integritas, non supercilium aut fastus. Nunc ad verba exhortationis, suimet exemplum adiungit humilitatis, dicens: *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Nã in cœna pedes lauit, corpus & sanguinem in cibum & potum ministrauit, necnon optima fercula gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro administrat. Psal. Gratiam & gloriam dabit dominus.

que maior est, hoc minus sibi & dicare debet violentiæ, potestatis, & gloriæ.

Exemplũ humilitatis sese præbuit Christus suis discipulis.

Sed hoc loco quæritur, num Christus reiiciat magistratus politici ordinem? Respondetur: Non, sed magis illũ confirmat, non tamen à suis Apostolis & concionatoribus illũ vult administrari. Nam Rom. 13. non est potestas nisi à Deo. Et Prouerb. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Quæritur item, num Christianus possit bona conscientia administrare magistratum? Respondetur, Ita, & multò rectius quàm alij homines ãbeo. Propterea dicitur hoc loco principes vocari beneficos, quo vocabulo illos sui admonet officij. Et Ro. 13. dicitur omnẽ potestatem esse à Deo. Item 1. Petr. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ, &c.

Magistratus politici ordinẽ non reiicit Christus, sed confirmat.

Conscientia bona Christiano potest administrare magistratum.

At his postremis temporibus, huius mundi princeps (Deo propter peccata cõniuente) omnia confundit. Videmus enim Ecclesiastici status homines neglecto suo officio mundana exercere negotia, bella gerere, prouincias vicinas deuastare, arces & oppidula occupare, cõtra dictum Pauli, Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus. 2. Tim. 2. Contrà magistratui politico præfecti, neglecta iustitia & iudicio, reformationes Ecclesia rum pro temporis cõditione, contra sacram scripturam

Ecclesiastici prælati, & magistratus politici iuræ sibi mutuo præripiunt.

& Apostolicam doctrinam instituunt: contradicentes damnant, eiiciunt, occidunt, &c. venationibus, crapulæ & voluptatibus inuigilãt: ac ita in hoc mundo omnium ordinum est mera confusio.

Omniũ ordinum in hoc mundo mera est cõfusio.

Tertiò, videmus hìc promissionem, qua Christus suos aduersus futuras & iam illis imminẽtes calamitates consolatur, cùm dicit: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* perseueranter: quia nemo mittens manum ad aratrũ, & aspiciens retrò aptus est regno Dei, Luc. 9. *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnũ, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël.* Quasi dicat: Bono tantũmodo estote animo discipuli charissimi. Hactenus enim mecũ multa estis perpessi aduersa quare & regnum vobis adornabo, non temporale, sed æternũ. faciã vos principes non huius mũdi, sed cæli: sed eo modo illud suscipietis regnũ, quo me id suscipere videtis, per multas scilicet, tribulationes & afflictiones. Sed cõuertetur mœror vester in gaudiũ, & gaudiũ vestrũ nemo tollet à vobis. Hoc ita futurũ restatur Christus in oratione sua, Ioã. 17. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecũ, vt videãt claritatem meã, &c. Et Iacob. 1. Beatus vir qui sustinet tentationẽ: quoniã cùm probatus fuerit, accipiet coronã vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Item Paulus 2. Cor. 1. Sicut socij passionum estis, ita & cõsolationis eritis. Quis huius regni gloriã exprimere, quæ mẽs excogitare possit? Verè id quod in præsenti est momẽtaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videtur, sed quæ nõ videntur. Quæ enim videtur, tẽporalia sunt: quę autẽ non videntur, æterna. 2. Corin. 4.

Promissio Christi consolatoria aduersus futuras calamitates.

Modo eod. prædicit Apostolos suscepturos regnũ, quo & ipse illud esset suscepturus, per multas, scilicet, tribulationes, et afflictiones.

Patienter igitur feramus afflictiones propter Christi nominis confessionem: & perseueremus in vera fide vsque ad vltimum nostræ vitæ terminum. Qui enim perseuerauerit vsque ad finem, saluus erit, Matth. 10. Non enim initio, sed perseuerantia Christi regnũ exquiritur. Nam Iudæ bonum initium, sed malus exitus fuit: contrà, Paulus malè cœpit, bene finiuit. Sic & quidam discipuli retrò abierunt, dicentes: Durus est hic sermo, &c. & iam,

Regnum Christi nõ initio, sed perseuerãtia exquiritur.

iam non cum domino ambulabant. Petrus verò ait: Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes, Ioan. 6.

EPILOGVS.

1 *Contentionem, carnis vitium, corrigit magister cælestis, & Deus pacis quod semper ferè nascitur ex ambitione. Maximè hæc pestis permultos in Ecclesia concitat tumultus, imò multos turbat pacem habentes & pacem amantes.*

2 *Dominatio tyrannica longè absit quum à magistratu prophano Christianorum, tum Ecclesiastico. Decet enim vt rectorem subditis disciplina patrem, & pietas matrem, & humilitas seruum exhibeat ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa, sed vbique seruetur discretio.*

3 *Vera via ad veram gloriam ostenditur: quæ est humilitas, gloriæ mundanæ fuga, & tribulationum tolerantia. Nam si commortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & conregnabimus. 2. Tim. 2. Atqui nos speramus aliã & compendiariam viam esse, si quis se omnibus præferat, nemini inseruiat. Tales fuere aliquando filij Zebedæi. Matth. 20.*

IN FERIIS DECOLLATIONIS sancti Ioannis Baptistæ, Epistola.

Expectatio iustorum lætitia, spes autem impiorum peribit, &c. Finis Epist. ex altabitur ciuitas. Prou. 10.

QVm natura nostra deprauatior sit, quàm vt scire possimus, quid fugiendum, quid item amplectendum, vtrunque ex hac pulchra antitheſi deprehendere licet, in qua Sapiens contraponit pios & impios, vtrorunq; vitam, & vtrorunque exitũ: vnde tria potissimùm occurrunt considerãda.

Antitheſis pulchra ad discernendum inter pios & impios.

Principiò (vt omnia dilucidiora fiant) scitu necessarium est, quinam re ipsa sint pij, simplices, & recti: qui è contra, sint impij, duplices & praui. Illi igitur sunt verè pij, simplices & recti, siue iusti, qui de propria iustitia, propriis meritis, propriis operibus desperantes, ex toto corde credũt, censent, & agnoscunt dominũ solum suum esse Seruatorem, suam iustitiam, suorum operum auctorem, suum auxilium, suam spem, consolationem, fortitudinem, &c. Quam definitionem dominus ipse cõfirmat, Ierem. 9. Non glorietur (inquiens) sapiens in sapientia

Pij qui verè sint, simplices et recti.

sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me quòd ego sim dominus faciens misericordiam, & iudicium & iustitiam in terra: hæc enim placent mihi. Et Paulus 1. Corinth. 1. Ex Deo (inquiès) vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia & sanctificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in domino glorietur.

Impij, duplices, & iniusti qui sint.

At illi cõtrà impij, duplices, praui, & iniusti verè sunt, qui (teste Ieremia cap. 2.) relicto fonte aquæ viuæ, fodiunt sibi lacunos contritos, non continentes aquam: hoc est, qui aspernati Dei iustitiam, sapientiam, sanctificationem, auxilium, suæmet ipsorum iustitiæ, sapientiæ sanctitati nituntur. De his ait dominus in Euangelio:

Piorum & impiorũ vita.

Vos estis qui iustificatis vosmetipsos, sed scrutator cordium Deus est, Luc. 16.

Iam considerandum, quæ vtrorunque vita sit. Nã hinc certissimò deprehendemus nos vel pios vel impios: Primò piorum vita duabus notis deprehenditur: verbis scilicet & operibus, de verbis sic Sapiẽs inquit: *Os iusti parturit sapientiã: labia iusti considerant placita.* de operibus verò: *Simplicitas iustorũ diriget eos, iustitia rectorum liberabit eos.* En, pij, iusti, & simplices, nihil aliud loquuntur, quàm vtilia & salutaria, quàm ex quibus proximus docetur ac ædificatur ad pietatẽ, quemadmodũ Pẽtrus 1. ca. 4. monet, & Paulus Ephes. 4. nihil aliud operibus suis exercent & testantur, quàm iustitiam, simplicitatem, & æquitatem: faciunt cuique, quemadmodum sibi & aliis velint fieri: Vbi iam has deprehenderimus notas, ibi re vera adest pius, iustus, simplex. Non enim potest arbor mala bonos fructus facere, nec arbor bona malos fructus.

Vita piorũ duabus notis deprehẽditur, verbis scilicet, & operibus.

Verba & opera piorũ vtilia, salutaria & iusta.

Matth. 7.

Impij quoque ex verbis & factis cognoscuntur.

2 Secundo loco, quemadmodum pij, sic & impij tum verbis, tum factis certò cognoscuntur, nam sic Sapiens inquit: *Os impiorum peruersum: simulator ore decipit amicum suum.* & hoc de verbis: de factis verò infert: *Suppliciatio peruersorum vastabit illos, in insidijs capientur iniqui.* Vide, impij nihil loquuntur aliud quàm praua, inutilia, noxia, dolosa: quàm ea, quibus proximum decipiãt, pertuertant, & ad impietatem alliciant: nihil item aliud faciunt, agũntque, quàm meram iniustitiam, fraudem, iniquitatem. Vbi hæ itaque notæ videntur, ibi impij adsunt certissimè. Non enim potest bona arbor malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus, Matth. 7.

Verba & opera impiorum inutilia, noxia, dolosa.

iniusta & iniqua.

3 Tertiò, vtrorunque ponit præmium, quum dicit: *Expectatio iustorum lætitia, spes autem impiorũ peribit. Fortitudo simplicis via domini, & pauor his, qui operantur malũ. Iustus in æternum non commouebitur, impij autem non habitabunt super terram.* Ecce, pij hic sentient tranquillitatem, & lætitiã conscientiæ, confortabuntúrque in via domini, & post hanc vitam saluabuntur æternùm: impij contrà, hic sentient vsque pauorem & desperationem, & tandem æternùm eradicabũtur. Varij huius vtrorunque exitus etiam testis locuples est Isaias, cap. 65. Iam eligat quisque nostrum alterutram viam, vel impiorum vel piorum, aqua nanque & ignis appositæ sunt nobis. Sed si sapimus, eligamus piorum potius consortium, vt cum sanctis & electis & nos sancti & electi simus.

Præmia piorum & impiorum.

EPILOGVS.

1 *Vtilis & necessaria antithesi Sapiẽs cõtraponit pios & impios, vt iuxta Philosophũ: oppositæ iuxtaseposita elucescãt in deque scire possimus quid fugiendũ, quid itẽ amplectendum.*

2 *Duabus præsertim notis distinguit pios ab impiis, & vicissim impios à piis, verbis scilicet & operibus: diuersa enim loquuntur, diuersa itẽ operantur. Hi artam viam inambulant ad vitam, isti latam currunt ad perditionẽ, Matth. 7.*

3 *Fidelium gaudia, & impiorum supplicia, vtrorunque dispar exitus & præmium, quemadmodũ disparem amplexi sunt vitam. Qui bona fecerunt, ibunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij, Ioan. 5.*

IN FERIIS IISDEM EVANGELIVM. *Marc. 6. Matth. 14*

In illo temp. Misit Herodes, ac tenuit Ioannem, &c. Finis Euangelij: attulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.

IN præsenti Euangelio, quod annuam recordationem decollationis D. Ioannis Baptistæ nobis ob oculos ponit, quatuor proponuntur, quæ non solùm ad historiæ faciũt veritatẽ, verũ etiã ad peculiaria aliquot dogmata.

Primò

Herodes Antipa Ioannem coniecit in vincula.

1 Primò quidē expresè dicit Marcus personam, à quo Ioannes coniectus sit in lacū Herodem, videlicet, regem manus in Ioannem iniecisse, vinxissèq; in carcere illum, & tandem etiā decollari eum iussisse. Hic est ille ipsus Herodes qui Iesum videre desiderauit multo tempore, Luc.23. qui & Pilato assensum dedit in mortē eius, & dictus est Antipa, filius Herodis Ascalonitæ, qui pueros innocentes trucidauit, sub quo Christus & Ioannes nati fuerūt. Herodes versipellis, aut (vt B. Hieronymus vult) pellicens interpretatur. Nam finxit se pium, cùm crudelissimus esset. Hinc Christus dixit de eo (Luc.13.) Dicite vulpi illi, quia dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodie & cras, & tertio die cōsummor. Hic tenuit captiuum, qui ad hoc laborabat, vt eum & alios adduceret illi, qui soluit à funibus peccatorum, Psal.145. Tenuit Ioannem, innocentem, quo nemo sanctiōr, teste Christo, Matth.11. In cuius natiuitate multi gauisi sunt, qui plusquàm propheta extitit, imò angelus ac præcursor Messię, qui præparauit viam domini, qui testimonium perhibuit de lumine, & agnum digito ostendit, qui tollit peccata mundi, qui tantæ abstinentię fuit, quòd locustis ac melle siluestri pastus sit, atque pelle camelina tectus. Hunc, inquam, Ioannem, tot Dei gratiis fulgentem tenuit Herodes, ac vinxit in carcere, vt se probaret malitiæ paternæ imitatorem. Nam vulgò dici consueuit: Ratò filios suis parentibus emendatiores euadere.

Herodes interpretatur versipellis, aut pellicens.

Herodes paternæ malitiæ imitator.

Potestatem & gladiū tradidit Deus magistratui nō vt pios persequantur, sed defendant a tyrannorum furore.

Hoc nēpe exemplū dānat in magistratu tyrānidem & abusum potestatis, monētq; magistratū, ne accepta potestate abutātur, ne pios ac innoxios opprimāt. In hūc finē Deus potestatē & gladiū illis tradidit. non vt pios persequātur, sed vt malis sint terrori, horúmq; malitiam compescant, piósque ab horū tyrānide defendant, Rom.13. & 1.Pet.2. Nō ergo manus iniicere debent in pios & innoxios, vti Herodes fecit: sed in impios & flagitiosos, vt pij securi viuere possint. Si verò omninò tyrānidē pro animi libidine exercere volēs, eundē certē sortiētur finem, quē omnes tyrāni sortiti sūt, & prę sertim Herodes ille.

Caussa vincularū Ioānis adulteris.

2 Secundò ponitur caussa captiuati & decollati Ioannis. Propter Herodē (inquit Euāgelista) captus est & occisus, quòd scilicet increpasset Herodem propter incestas illas nuptias

nuptias cùm Herodiade scortatrice, fratris sui etiámnum viuētis vxore, initas, quod omnino prohibitū erat in lege. Nā Exod.20. dicitur, Non cōcupisces vxorē proximi tui, mulò minus fratris tui. Nā Leu.20. habetur, Qui duxerit vxorem fratris sui, rem illicitā facit: quanuis post mortē fratris, licitū erat alteri fratri semen fratri suo suscitare, Deut.25. Propriā enim vxorē Aretæ nēpe, regis Arabiæ filiā, propudiarat: & fratris sui Philippi Tetrarchæ Iturææ & Trachonitidis regionis, Luc.3. cōtrà coniugē, Herodiadē inquā, Aristobuli fil.ā & Agrippæ maioris sororem, vi rapuerat: sed sic, vt illa (scortū nēpe pessimū) vltrò & ex pactis incestū illud matrimoniū susceperit. Quia ergo Herodes nolebat venire cū aliis ad baptismum pœnitētię, ideò Ioannes venit ad ciuitatē, & arguebat Herodē dulciter non pharisaïco fastu, & dicebat: *Nō licet tibi habere vxorē fratris tui*, dicebat Ioānes Herodi quòd erat legis, q̄ erat iustitiæ, quod erat salutis, certè non q̄ erat odij, sed amoris. Et ecce qualē cōsequutus est ab impio pro pietate mercedē. Malos enim qui corripit, offendit, incurrit odiū, qui arguit criminosos. Talē nanque mercedē solent ferre, qui liberius audēt impios arguere. Sic Christus odium tulit pro dilectione, Psalmographo teste. Quòd igitur obtrūcatus est Ioannes, id tam impij quàm pij cōmune cum ipso habēt: at caussam, cur sit capite plexus, soli pij cū ipso habent communem, non impij. Quia nō mortis suppliciū, sed mortis caussa discernit pios & impios. Nequaquam ergo propter flagitia, aut malefacta occisus est: nam erat sanctus, iustus, innocens: atque ipse etiā Herodes sciebat ipsum virū esse iustū ac sanctū. Sed occisus est propter iustitiæ, & veritatis professionem, quòd scilicet Herodem de incestu & adulterio arguisset. veritas nempe, peperit odiū, & parricidium hoc. Hanc solam ob caussam in Machærunta & vinctus & decollatus est, teste etiā Iosepho. Sed quidnā extrusit odium huiusmodi? Sola certē turpis & impura libido.

Herodes propriā & legitimam vxorem repudiarat.

Non mortis suppliciū, sed mortis caussa discernit pios & impios.

Caussam aliā occisionis Ioannis addu cit Iosephus.

Adducit autē Iosephus aliā caussam huiusmodi captiuationis & occisionis. Antiq. lib.18. ca.10. nēpe, quòd veritus sit Herodes, ne fortè doctrinæ Ioannis persuasionē, populi à suo regno discederēt, quum præsertim viderent plebē in omnibus obedire illius præceptis: maluerítque

igitur

igitur preuenire illũ nece ante inuocationem, quàm pòst turbatis iã rebus serã agere pœnitẽtiã: ideóq; vinctũ illũ in castellũ Macherunta abduxisse, ibíq; esse obtruncatũ.

Caussa præcipua mortis Ioannis fœda libido fuit.

Verùm vtut hãc caussam publicè Herodes fortè prætexuerit, intima tamen & potissima caussa (vt diximus) fœda illa libido fuit. Hæc & Herodi & Herodiadi altè Insederat, nec animus erat relinquere: ob id Ioannis admonitio vtriq; cõsciuit bilem. Hinc cùm rescisset Herodias, Ioannem sic Herodẽ increpasse, insidias tẽdebat illi conabatúrq; eũ per sese occidere. Verùm quum hoc commodè efficere nõ posset propter turbã, quæ pro non vulgari propheta eũ habebat, permouit ipsum Herodẽ, vt is illũ caperet & occideret. Videmus igitur hîc, qui sint fructus spurei amoris: quãtúmq; malũ sit, audire mulierem libidinosam. Inter cætera maximè duo sunt quæ plus appetũt mulieres, honorari scilicet & diligi, sicut clarè videre licet in Apemen filia Bezacis, 3. Esd. 4. Herodias ergo sciẽs se ab Herode ardẽter amari, eiúsq; illicitã copulam (vt sibi videbatur) maioris esse honoris, nimirum eo q; Herodes rex esset potẽtior & famosior Philippo viro suo: ne vtroque priuaretur, sed licentius libidini & põpis indulgeret, vitę sanctissimi viri tetẽdit insidias: adeò fornicatio, vinũ, & ebrietas auferunt cor, Osee 4. Vnde non immeritò mala mulier dicitur ab Origene, initiũ peccati, expulsio paradisi, & arma diaboli. Nã diabolus nõ potuit variis suis tentationibus superare virũ sanctum Iob, vexauit tamẽ eum, plurimúmq; molestiæ intulit per malam mulierẽ, propriam nempe vxorẽ, dicẽtem ei, Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo & morere. Item Prouer. 7. de mala muliere sic dicit, Multos vulneratos deiecit, & fortissimi interfecti sunt ab ea. Hinc Chrisost. Æstimo (inquit) in hoc mundo nullã bestiã comparabilem malæ mulieri. Quid leone sæuius? dracone atrocius? nihil ad mulierẽ malã, de qua Eccl. 25. Cohabitare draconi & leoni melius est, quàm cũ muliere mala. Nec hæc Sapiens ironicè dixit, Ex rebus gestis disce manifestius. Danielẽ in lacu leones reueriti sunt, iustũ verò Naboth Iezabel interfecit, 3. Reg. 21. Cetus Ionã in vẽtre custodiuit: Dalila Sãsonẽ crebrius circũuenit. Dracones & aspides Ioannẽ in deserto manẽtẽ reueriti sunt & trẽmuerunt:

Duo præsertim appetunt mulieres, honorari scilicet, & diligi.

Prauæ mulier diabolo peior.

Bestia nulla comparari potest malæ mulieri.

muerũt: Herodias cũ filia, Ioã. caput detrũcari curarunt.

Herodes interim metuebat Ioannẽ sciens eum virũ iustum quo ad homines, *& sanctum*, quo ad Deum. Propter populi seditionem timebat eum occidere, non autẽ amore Dei & legis prohibẽtis, insontem occidere. Timor namque Dei corrigit, timor verò hominũ differt peccatum, non aufert voluntatem. Nam duo erãt in Herode: timor Ioannis, & amor mulieris, sed amor ille vicit timorem.

Malitimẽt bonos, vt Nero Senecam non amore Dei & legis diuinæ, sed timore seditionis.

Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Vulpinum hoc fuit eius figmentum coram populo. Gaudent enim nonnunquam mali principes habere domi viros insigni probitatis opinione celebres & commendatos: non vt horum consiliis obtemperent, sed vt quod agunt ex animo suo, ex horum consiliis agere videantur apud ignaram plebem. Vnde in aliis quidem rebus leuioribus frequenter illius monitis paruerat: hîc, vbi præcipuè conueniebat obtemperare, ob turpissimum mulieris affectum, virum sanctum incarcerauit, quem turbæ etiam Christum credebant. O quot hodie habet sibi similes, qui simulant sese libenter audire verbi præcones, sed quamprimùm arguuntur, occultis insidiis nituntur eos tollere de medio, veritatémque supprimere. Et multi correctiones Euangelicas audiunt, sed à peccatis minimè resipiscunt. Sic Herodes libidinis facibus ardens, perire maluit, quàm ad pœnitentiam reuerti. O periculosum vitium & contagiosum adulterium. Osee 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus: Sed Deut. 27. dicitur: Maledictus, qui dormit cum vxore proximi sui. Et Apoc. 2. Qui mœchãtur, in maxima tribulatione erunt, quia Apoc. 21. Pars eorum erit in stagno ardenti sulphure & pice. Grauius enim est furto, quod morte plectitur. Prouerb. 6. Non grandis est culpa cùm quis furatus fuerit, furatur enim vt esurientem animam impleat: Qui autẽ adulteratur, propter cordis inopiam perdet animam suã. Nam adulteri peccãt in Deum, violando sacramentum, de quo Christus Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non separet. Item peccant in proprias coniuges fidem frangendo, & falsos hæredes substituendo. Peccant etiam in proles, quibus hoc damni inferunt, vt inhabiles ad Ecclesiasticas dignitas, vel

Lectiones Euangelicas multi audiũt, sed à peccatis nõ resipiscũt.

Periculosũ vitiũ adulterium, & furto grauius.

Adulteri peccãt quasi drisoriã.

officia

officia publica exercenda reddantur. Peccant tandem in proximum, quem admittunt secum commisceri. Vnde

Adulteri duplici pœna à Deo puniuntur.

iuxta sacram scripturam, punit Deus adulteros, temporaliter. Non recedet (inquit dominus per prophetam ad Dauid) gladius de domo tua in sempiternum. 2. Reg. 12. æternaliter, iuxta illud 1. Corinth. 6. Fornicatores & adulteri regnum Dei non possidebunt. Ité Ephe. 5. Heb. 13. Rom. 1. Hoc ergo exemplũ dehortatur nos a libidine & ipsi in similia flagitia propellamur. Ac cùm primis

Magistratus lõgè ab sint ab Herodis exemplo.

monebuntur magistratus, vt ij quàm longissimè ab Herodis exemplo absint: hoc est, ne ipsi iis flagitiis obnoxij sint, quæ in aliis punire & solent & debent.

Concionatores monẽtur & exẽplo Ioannis fortiter liberéq; peccata arguant.

Cæterùm vt & sacerdotes, concionatoresque hinc aliquam doctrinam hauriant, monentur hi, vt (Ioannis exemplo) fortiter, libereque peccata & peccantes redarguant, quantuncunque etiam sibi conscisc̃t periculum. Non nesciuit sanctus Dei propheta, quali ingenio prædituς esset Herodes: non ignorauit quantum sibi conflaturus esset periculum, si vera fide libertate ẽque propheticâ Iaruam regi, & regio illi scorto detraheret: nihil tamen vel ipsum mortis discrimen vel indignationem principis summam, vel regalem etiam auctoritatem reuertus, in faciem & apertis verbis scelus opprobrat, peccantémque meliora docet. Debent ergo & concionatores eadem constantia & libertate accusare scelera citra figuram, peccatoresque commonefacere ad pœnitentiam, sed citra dicacitatem & petulantiam, solius diuini zeli gratia. Clama, inquit dominus, propheta, ne cesses, annuntia populo meo scelera eorum. Et Paulus. 2. Tim. 4. Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.

Isa. 58.

Gradus cõsanguinitatis & affinitatis non infrengẽdi.

Obseruandum quoque hic est gradus consanguinitatis & affinitatis non esse Euangelica prædicatione abolitos: ideóque nemo in his sibi sub Euangelij prætextu nimium debet permittere, sed sequi diuinam & naturalem legem, præterea & honestatem ac decorum Christianum, ne connubium euadat in incestum, vide de hac re Leuit. 18. & 20. Item Deut. 27.

Peccatum in Spiritũ

Adhæc permoneri etiã Herodis exẽplo debemus, ne peccemus in Spiritũ sanctũ, nec confessæ & agnitæ veritati

rati renitamur: quemadmodum ille sciebat Ioannem vi rum iustum ac sanctum esse. & nihilominus tamen illũ occidit. Nam huiusmodi peccata nõ remittuntur, neque in hoc seculo, neque in futuro, Math. 12.

sanctum à nobis cauere debet.

Tertiò ostẽditur ex hoc Euangelio quãdo decollatus sit Ioannes, qua itẽ ratione ac via ad cædẽ ipsius peruentum sit, nihil prius habebat Herodias, quàm vt Ioannes extingueretur. Et si autem eò permouerat Herodem, vt caperetur ille: non tamen statim assequuta est, vt simul occideretur, quòd nimirum, adeò obseruaretur is ab Herode. Obseruauit igitur opportunitatem, nempe diem natalem Herodis: sciebat enim tum ad ebrietatẽ vsque potare regem, eóque vt ad impuritatẽ omnem, sic & ad cædem esse proclivum, Vnde sequitur in textu.

Cùm dies opportunus accidisset &c. Iuxta morem ethnicorum celebrauit diem Herodes natalem, in quo nihil voluptatum genialium non adhibebatur, quem diabolus ad impium facinus idoneum adinuenit. Raro enim conuiuiis malorum deest impietas. Nam dum corpus refectione resoluitur, cor ad inane gaudium, imò ad omne flagitiũ relaxatur, vt patet Exod. 32. Sine Cerere & Bacho friget venus (ait quidã): venter autem mero æstuãs, spumat in libidinem. In conuiuio Vasthi regina repudiata, Hester 1. Amon à fratre occisus, 2. Reg 13. Hinc Seneca monet, Prius videndum est (inquit) cum quibus comedas, quàm quid comedas. Item Cato, Conuiua raro. Et Prouerb. 23. Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus & dantes symbola, consumentur.

Ethnicorũ more Herodes diẽ natalem celebrauit.

Conuiuiis malorũ raro desit impietas.

Nullos alios legimus diem natalem obseruasse, nisi Herodem & Pharaonem, vt quorum erat par impietas, esset & vna solemnitas, quam vtérque sanguine fœdauit, tanto interim Herodes nequior, quòd sanctum veritatis doctorem trucidarit. Filij vtíque huius seculi natalem concelebrant diem, quia post mortem gaudia eis nulla restant, nam mortuo homine impio nulla erit vltra spes, Prouerb. 11. quæ dies magis (si saperent) lugenda esset. nam Iob. 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, &c.

Herodes et Pharao vtrique natalem celebrarũt sõlẽnitatem, tanto & pariter impietatis fuere.

Cùm ergo magno luxu fastúq; instructa cœna natalicia exhiberetur principibus, tribunis qui millenis præfecti sunt, & primatib⁹ Galileę, ingressa est cõuiuiũ puella Salome, Herodiadis & Philippi filia, vt indecora lasciuaq; saltatione delectaret conuiuas. Et quò turpius saltauit, eo magis afficiebat regẽ, simúlq; accumbentes, quo plures essent suæ crudelitatis testes. Malis nanque principibus ac huius seculi nobilibus magis placet saltus lasciuus & cantus musicus, quàm sermo diuinus: chorisatio, quàm deuota supplicatio: magis prophana cõuiuia, quã dominica mensa. Non enim sapiunt carnalibus spiritualia, 1. Corinth. 2. Cythara & lira & timpanum & tibia & vinum in conuiuiis vestris, & opus domini non respicitis, Isa. 5. Sed vbi hæc meretricula hanc saliendi artem didicerat? Certè à matre impudica & lasciua. Tritum enim est prouerbium, Mali corui malum ouum. Curauerat enim mater, vt hæc saltaret, vtque saltatione huiusmodi à rege impetraret quiduis, & sic demum sancti viri caput. Audiatis hæc virgines quæ tripudiis commanem fœminarũ sexum & saltationibus deturpare nõ veremini, audiatis viri, qui magnifica conuiuia ebrietate plena cõsectamini. Vbi saltus lasciuus, ibi diabolus certè adest, ibique incendit ignem concupiscentiæ. quia habet ibidem ignem & stramen, Prouerb. 6. Nunquid gerret quis ignem in sinu suo vt non ardeat? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. Caro enim mulieris, ignis inficiens est. Et ideo monet Sap. Eccle. 9. Cum saltatrice ne assiduus sis, habet enim venenosum sibilum, afflatũ sirenarum. Colloquium illius quasi ignis exardescet. Et Prouerb. 5. Fauus distillans labia meretricis, nouissima illius amara quasi absynthium. Hinc August. ait de. 10. chordis. Melius est, minus malum die dominico arare, quàm chorizare: die dominico lanam texere quàm impudicè saltare. Neque enim deus dedit nobis pedes vt cum camelis saltemus, sed vt cum angelis chorum faciamus. Sed & quàm periculosum malum sit insolens saltus arguit dei vindicta Exo. 32. vbi triginta tria millia occisi sunt.

Malis placet,

Malicorui malũ ouũ.

Vbi saltus lasciuus ibi diabolus adest.

Ait ergo regali magnificentia rex puellæ, *Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi: & si dimidiũ vsque gni mei petieris dabo tibi.* Pollicetur haud inscius quid petitura sit, cũ iuramento, vt intercedente iureiurãdo, non posset non interficere innocentem, quasi inuitus, sed lege adactus, lege contra legem abutens. O vocem stultissimo ac temulento rege dignam, Hieronymus dicit iuramentum debere hos habere comites, veritatem, iudicium & iustitiam, iuxta illud Iere. 4. Iurabis, viuit dominus, in veritate, in iudicio, & iustitia. Primò nemo debet leuiter, sed ex necessaria causa & discretè iurare, & quantum ad hoc requiritur iudicium. s. discretionis ex parte iurantis, & hìc nulla fuit necessitas. Deinde in iuramento requiritur veritas: vt neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum, & hìc nullo pacto fuit veritas per quã iuramentum verax esse probari poterat. Tertiò requiritur iustitia perquam confirmetur quod licitum est, & hìc omnino fuit illicitum, sic occidere innocentem. Iudicio ergo caret iuramentum incautum: veritate autem iuramentum mendax: iustitia autem, iuramentum iniquum siue illicitum.

Iuramentũ tres comites habere oportet, S. Tho. 2. 2. quæst. 89. artic. 3.

Puella ergo ne perderet tantam occasionem, & mox hac regij pectoris abuteretur libidine, quemadmodum hanc fabulam matris instinctu cœperat agere, non audet ilico petere quid vellet: sed egressa è conuiuio, consuluit matrem. At incœsta mulier nihil cunctata, neque quicquam habens charius morte sanctissimi viri, veritane quando Ioanni reconciliatus regis animus, dirimeret incestas nuptias, suasit filiæ ne quid peteret, nisi vt absque mora sibi daretur in disco caput Ioannis Baptistæ. O immanitatem malæ mulieris, ô crudelem maliam, ô ferocem matrem. debent enim parentes filiis & filiabus duo. debent primò nutrimentum, quod natura ostendit in animantibus, quæ naturali inclinatione moueantur ad suorum pullorum educationem: debent deinde & documentum, iuxta illud Eccle. 7. filij tibi sunt eru di illos, filiæ tibi sunt educa, &c. Et Deut. 6. verba quæ ego præcipio tibi, narrabis ea filiis tuis. At ista omnino crudelis fuit mater in filiam, quam cùm docere debuisset timere Deum, docuit eam expostulare sancti viri mortem. Suasit nanque mater vt optaret illam sanctam linguam, quæ prædicauerat pœnitẽtiam & regnum Dei.

Ferocitas & crudelitas Herodiadis.

Parentes duo debẽt suis filiis, nutrimentum & documentũ.

Herodias crudelis in filiam.

& quæ ipsius arguit illicitas nuptias. Hæc est illa nequitia de qua Eccle.25. dicitur, Non est caput nequius super caput colubri, neque nequitia super nequitiã mulieris. Satius certè suffocasset filiam in vtero, allisissétque adhuc parunlam ad petram. Proh deum immortalem, quot sunt adhuc tales matres quaĩbet fera immanisima in proles truculentiores: non enim potest esse atrocior ferocitas, quàm vt educentur ad omne flagitium, ad superbiam, lasciuiam, luxum, gesticulationem indecoram, vsuram, fraudem, &c. Beatæ steriles: Beata vbera quæ tales filios aut filias non lactauerunt: Beati ventres qui tales non genuerunt, Luc.23.

Non potest esse maior crudelitas, quàm proles ad omne flagitium educare.

Cúmque introisset statim cum festinatione ad regẽ petiit dicens: Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioãnis Baptistæ. O docilem ad flagitium, & morigerã filiam, *Caput* (inquit) *Ioannis*: velut hoc pluris facturã quàm dimidiũ regni. Caput hominis decollati petit, quòd aliæ virgines castæ horrent, hoc publicè ad conuiuium portare non verecundatur. O audacem puellæ nequitiam, postulare illius sanctissimi viri caput, quem populus prophetam, & Christus plusquam prophetam appellauit, Matth.11.

Adolescentia prona & docilis ad flagitium.

Et contristatus est rex. Dissimulat mẽtis suę malitiã artifex homicida, cùm tristitiã in facie, & lætitiã haberet in mente. Et ad hoc forte iurauit vt occasionẽ pararet qui videretur facere inuitus, quod faciebat spontaneus.

Vafrities Herodis.

Propter iusiurandũ & propter simul discumbentes, noluit eã contristare: sed misso spiculatore, præcepit afferri caput eius in disco. &c Scelus excusat iuramẽto, vt sub occasione pietatis impius fieret. Vultu mœrorẽ simulans, iurisiurandi religionem prætexit, præsertim quòd tot cõuiuis testibus interposuisset. Hic mihi vide præposterã regis religionem, quum sit nihil illi familiarius, quàm omnia fœderum ac religionũ vincula dirumpere, hic irreligiosa religione stultissimi iusiurandi constrictus est, Vult omnes sceleris sui esse consortes vt in luxurioso impuróque cõuiuio cruẽtæ epulę deferrentur. Si propter iusiurãdum fecit, si patris aut matris, vel certè ipsius Herodiadis postulasset interitũ, facturus fuerat an non? Nulli dubium quin illi dare veraciter tristis abnueret. Quòd in se ergo repudiaturus erat, contemnere debuit & in prophetã,

Religio præposterа Herodis.

propheta. Beda, Si quid nos, inquit, fortè incautè iurasse contigerit, quod obseruatum. s. peiorem vertatur in exitum, liberè illud consilio salubriori mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate periurandum nobis, quàm pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum. non enim est conseruãdum sacramentum quo malum incautè promittitur. Sic Dauid incautum rescidit iuramentum rogatu Abigail. 1. Reg. 25. Hinc Dominus admonet, Matth. 5. Ego autem dico vobis non iurare omnino.

Incautum rescindere licet iuramentum.

Condigni item inuitatore suo hic fuere conuiuæ, vbi nullus inuentus est, qui innocentis prophetæ etiam inter festa mortem vetaret, præsertim cùm rex assumpta specie tristitiæ se coactum hoc facere protestaretur, essétque opportunum quo hortatu conuiuantium à promisso scelere reuocari deberet, si non intellexissent illum industria hæc perstruxisse, imò etiam ipsos quoque par eiusdem sceleris amor irretiret. Non ergo mirum si reges aliquando audent nefaria, quum tales habeant animos incestis amoribus & crapulæ deditos, conuictores quoque vel timidos, vel crudelitatis fautores. Ne ergo leuis aut periurus videretur, iussit fieri quod optaret puella, præcepit afferri caput eius in disco, sed cur in disco? cur tam pretiosè gestatur, quem adeo viliter iubet occidi? nisi quia pretiosa in conspectu domini, mors sanctorum eius, Psal. 115.

Viliter occisus, pretiosè gestatur, quia pretiosa in cõspectu domini mors sanctorum eius.

Spiculator decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco: & dedit illud puellæ. Hoc est sanctũ illud caput in quo fuerunt oculi, qui toties Christum & Spiritum. s. in specie columbæ intuebantur, in quo fuerunt aures, quæ vocem patris cælestis audierunt: in quo labia, quæ toties Christi testimonia firmauerunt: in quo lingua, quæ dulciter appropinquationem regni cælestis clamabat, Math. 3. Ioan. 1.

Et puella dedit illud matri suæ. Ad matrẽ quippe omniũ malorũ artificẽ ac fontem redit ferale præmium, decollatus sanctus datur incestui, traditur adulteræ, adiicitur saltatrici, vinum transit in sanguinem, funus apponitur natali, conuiuium mutatur in homicidium, organa vertuntur in funus. O spectaculum diabolicum, ó satanicũ

Spectaculum diabolicum, & satanicũ cõuiuium Herodis.

conuiuium, ô iniquum tripudium, & mercedem tripudij multò nequiorem. Cædes enim omnium sceleſtiſsima excogitatur, & qui coronari & laudibus in cælum vſque efferri merebatur, percuſſus ſecuri iacebat. Qui dæmones deuicit, eius caput poſt cædem ad menſam ferebatur. Nam talis res eſt luxuria, quòd non petulantes ſolùm, ſed etiã homicidas facit, ſicut de Flaminio quodam Romanorum duce refert Hiero. quòd accubanti iuxta ſe meretriculæ, quæ nunquam ſe vidiſſe diceret hominem decollatum, aſſenſus ſit, vt reus quidam capitalis criminis, in conuiuio truncaretur, eáque de cauſſa à cẽſoribus pulſum curia, quòd epulas ſanguini miſcuerit, & mortẽ quanuis noxij hominis, in alterius delicias præſtiterit, vt libido & homicidiũ pariter miſcerentur.

Luxuria nõ petulantes ſolùm, ſed etiam homicidas facit.

Qui fructus oriantur ex libidine, luxu, & ſaltationibus.

Videmus igitur hinc ſole meridiano clarius, quid fructus oriatur ex libidine, luxu, ſaltationibus, & temerario iureiurando: Si ſobrius iuiſſet rex, non adeo affectus fuiſſet ſaltatione, neque temerè iuraſſet, multò minus virum illum iuſtum & ſanctũ iuſſiſſet decollari. At quia ebrius fuit, omnia facilè ſubſequuta ſunt mala. Verùm agamus nonnihil de hiſce ſingulis ad noſtri præmonitionem. Eò proh dolor ventũ eſt, vt & apud nos hæc flagitia increbuerint, ac in dies magis magiſque radices agant. fornicatio ſimplex, pro nullo amplius peccato habetur: adulterium verò, ludus & iocus eſt: at incæſtus, hoc eſt, congreſſus cum conſanguineis, affinibus, & Deo conſecratis, veniale peccatum cenſetur. Atque vtinam vel à Sodomitica illa libidine puri omnes ſimus. Quid verò hinc ſequetur? certè lerna omnium malorũ, miſerrimè ſemper perierũt fornicarij. Quare & Sirach inquit: fornicariis ſe iungens erit nequam, putredo & vermes hæreditabunt illum, contabeſcet in exemplum aliis, & tolletur de numero anima eius, Eccle.19. Vide item Paulum de huiuſmodi vitiis diffuſè tractantem, Rom.1.1. Corinth.10. Galat.5. Epheſ.5.

Quæ olim fuerũt grauiſſima vitia & ſũt vix iã pro peccato habẽtur, imo quæda pro virtutibus ferè habẽtur.

Iam luxus, hoc eſt, crapula & ebrietas, item ſaltationes & choreę tam ſunt vulgares, vt pro virtute ferè habeantur, verùm certè ſunt fomites libidinis, omniúmque adeo flagitiorum. Audiamus ſcripturam, Oſeas ca. 4. inquit, Fornicatio, vinum, & ebrietas auferũt cor. Et Syrach.

Syrach item cap.19. Vinũ & mulieres apoſtatare faciũt etiam ſapientes. Iſaias cap.5. Væ qui mane conſurgitis ad ſectandam ebrietatem, & potandum vſque ad veſperam, &c. Et Salomõ Prouerb.20. Luxuriоſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: qui his delectatur, non erit ſapiens, Et 23.ca. Qui cõmorantur in vino, & qui ſtudent calicibus epotandis, ipſis nimirum væ, miſeriæ, rixæ, foueæ, ſine cauſſa vulnera, & rubor oculorum. Vinum ſi biberis, oculi tui videbunt extraneas, cor tuum loquetur peruerſa, eris ſicut dormiens in medio mari, &c. Syrach item cap.9. Cum muliere ſaltatrice ne ſis aſſiduus, nec audias illam, ne pereas in efficacia illius.

Ad iuramentum temerarium faciles & prõpti ſunt hodiè multi.

Cæterũm quòd ad iuſiurandum attinet temerarium, plus ſatis heu prompti ſumus, & leuiter enim vouemus, & facilè votum malum reddimus: contrà ſi quid boni vouerimus, aut nunquam aut ægrè ſtamus pollicitis, at (ſi ſapimus, ſíque Dei in nos furorẽ excitare nolimus) ne imitemur Herodem. Si quid vouimus, quod ad Dei gloriam, & proximi ſalutem facere poſsit, id ſanctè reddamus. De huiuſmodi nimirum voto ſic habemus, Eccle.3. Si quid vouiſti Deo ne moreris reddere. nam alioqui multò melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. Sin verò quid vouimus aut iurauimus, quod contra Deum & in proximi damnum cedat, id minimè ſeruare debemus, ibi præſtat nos eſſe periuros, quàm fideles, exemplo Dauidis. 1.Reg.25. De hoc apud Eccleſiaſten habemus: Promiſsio infidelis & ſtulta Deo diſplicet. Hæc breuiter ſunt, quæ in Herode, Herodiade & Salome eius filia nobis fugienda proponuntur.

Mortuis humanitatis officia exhibere pium opus eſt.

Hoc immane factum & audierunt eius diſcipuli & venerũt & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumento. Sãcti patres ſolicitã ſemper de honeſta ſepultura habuerũt curã, de hac re vide, Gen.23.25.47.50. Exod.13. Tob. 4. Eccle.38. Act.8. Ioan.19. Monemur ergo horũ exẽplo vt etiã mortuis humanitatis officia ſedulò exibeamus.

EPILOGVS.

1 *Duo hominum genera proponuntur: Vnum quod poſtpoſito Deo, carnis curam agit in deſideriis. Alterum quod Deo placere ſtudet per vitæ meritum & ſanctimoniam, &*

proximo prodesse per doctrinam sanam, hic fuit Ioannes Baptista, iste Herodes rex impius.

2 *Ex Ioannis persona discamus syncerritatem fidei, puritatem doctrinæ, zelum Dei & virtutum, professionem veritatis fortitudinem & constantiam in agendo patientiam denique in aduersis, persuasi scilicet, & si corpus accedant tyranni, animam tamen manere immortalem, eamque è mortis ergastulo liberari, itéque in vitam æternam. Ipse siquidem & alij sancti omnes propter veritatem & iustitiam odium mortémque deuorauit: animemur itaque & nos ipsius exemplo ad mundi odium ac persequutiones sed sic vt propter veritatem & iustitiam itidem patiamur, non vt fures, homicida haretici. Nã hæc gratia est apud deũ, si quis propter conscientiã Dei suffert modestius, præter meritũ affectus malis.* 1. Pet. 2.

3 *Herodis sanguinolentum exemplum monet nos, vt caueamus ab ebrietate, vt absimus à crapulosis conuiuiis, vt oculos nostros auertamus ab impudicis gestibus, & omni lenitate, ne vt ipsi in similia flagitia incidamus. Præterea monemur ne temerè iuremus, atque etiam si forte iurauerimus, ne tamen temeraria vota adimpleamus, tandem vt ab omni hypocrisi quàm alienissimi simus.*

IN FESTO NATIVITATIS Mariæ virginis, Epistola.

Eccle. 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, &c. Finis Epistolæ: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Sapientia ipsa quid sit & possit.

PRæsens lectio (quę iuxta germanum sensum de æterna est sapientia) duo peculiariter nobis proponit. Primò quid ipsamet sapientia & sit & possit, cùm dicit: *Ego quasi vitis fructificaui suauitate odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.* Iesus Christus, qui summi patris testimoniũ ęternę sapientiæ habet, quando ait Matth. 3 & 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite: eo quòd se humiliauerit formam serui accipiens, decreuitque in mortem probrosissimam, dicit se esse vitę, quod omniũ lignorũ est vilissimũ, quia inutile ad quãlibet structuram aut ædificiũ, vt cætera ligna arborũ, & ad nihilũ valet, nisi in ignem proiiciatur. Latitat tamen sub hoc

Philip. 2. Iesus Christus qui summi patris testimoniũ æternæ sapientiæ habet.

hoc vilissimo ligno, vtvt videatur omnium arborum abiectissimum, suauissimus fructus, Deum lætificans & homines. Sic Christus lignum vitæ, tanquam omnium vilissimum abiectũ fuit, & prorsus pro inutili habitum, quemadmodum sonant hæ voces, Dæmonium habet: Seducit turbas: Samaritanus es: Commouit populum: adeò vt non sine caussa Petrus 1. canon. 2. cap. ex Psalm. 117. dixerit eum lapidem angularem, quem reprobauerunt ædificantes, offensionis lapidem, & petram scandali, &c. Quàm suaues fructus tandem produxerit hæc vitis, subsequentia verba testabuntur.

tiæ habet, aptissimæ similitudinem se vitę dicit.

Hæc interim vitis antequàm plantata esset, subamara erat, ceu in vitibus naturalibus videre licet, imò & Rhamnus potestatem inter arbores acceperat. Iudic. 9. Tenebat enim hoc tempore Deus iustitiæ iudicia. Expulit enim statim post præcepti præuaricationem primos parentes nostros è paradiso in hanc miseriæ vallem. An non etiam hoc grande iustitiæ fulmen, quod generali cataclysmo perdidit totam terram, Nẽ tanrùm cum suis seruauit? Ecquid contigit Sodomitis & Gomorræis? Item quid Israëli? Psalm. 77. Erat esca adhuc in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Ad hæc vitis cùm ad perfectam vsque ætatem peruenisset, produxit fructus dulcissimos, nempe misericordiam & gratiam. Deus qui olim exercuit iudicia iustitiæ, nunc iudicia misericordię. Nunc illud Oseæ sexto, Misericordiam volo, & non sacrificium, locum habet. Si quis olim in peccatum lapsus erat, continuò in se iram sentiebat diuinam, aut de medio tollebatur, & lapidabatur. Exemplo est is qui in sabbato ligna colligebat. Numerorum decimoquinto. Nunc verò misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Non veni (ait vitis nostra, Matthæi nono) vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quod & Paulus testatur, 1. Timoth. 1. Fidelis sermo, inquit, & omni acceptione dignus, quoniam Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, &c.

Vitis hæc olim subamara erat.

Vitis hæc cum produxisset, fructus protulit dulcissimos.

Quòd ergo hæc verba vni huic sapientiæ Iesu Christo tribui debeant, testatur ipse plus satis in Euangelio. Sic nanque dicit Ioannis decimoquinto: Ego sum vitis

Quòd verba hæc de vite Iesu Christo tri-

bui debeāt vera, & pater meus agricola est. Item ibidem: Qui ma-
testatus est net in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quis
ipse in E- sine me nihil potestis facere. Vitis quidem principiò in
uangelio. terram demittitur, vt inde tum efficacius & commodius
Vitis æter- exurgat, fructificet & floreat. Ad hunc modum & æter-
na plātata na illa vitis, vnigenitus Dei patris filius ac Deus ipse
est in terra Iesus Christus Seruator, propter nostram salutem semet
sanctifica- demisit in terram sanctificatam ab æterno, hoc est, in
ta, vtero vterum benedictæ, sanctissimæque castissimæque virginis
scilicet be- ac matris Mariæ, vt inde veluti sponsus prodiret de tha-
nedictæ Vir lamo suo, vt inde veluti flos exurgeret, fructificaretque
ginis Ma- vniuerso hominum generi fructus honoris & honesta-
riæ, vt inde tis. Hunc sensum per Spiritum sanctum Dauid Psalm.
exurgēs fru octogesimoquarto cōfirmat. Benedixisti (inquit) domine
ctificaret terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Misericordia
toti generi & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.
humano Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.
fructus ho- Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fru-
noris & ho- ctum suum. Hæc terra verò sancta non simo corporali,
nestatis. & lapidibus olidis obducta est, sed simo spirituali, nempe gratia, Spiritus sancti obumbratione, virtute altissimi, lapidibus fidei & charitatis. Vnde angelus ad eam inquit, Luc. 2. Aue gratia plena, dominus tecum: benedicta tu inter mulieres: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.

Deinde posteaquàm vitis in terram demissa est, probéque pastinata, tandem prodit etiam & conspicua fit. Ita quoque vera vitis Iesus Christus quum per tempus aliquod in terra sua, in vtero, inquam, beato matris suæ quieuisset, tandem prodiit, factúsque conspicuus, hoc est, homo natus est. Hunc sensum confirmat propheta Baruch capite tertiò, Hic (inquiens) est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. Item Angelus Luc. 2. Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus.

Ad modū vitis Iesus Christus tā dem ex terra benedicta prodiit, factúsq; est conspicuus, hoc est, homo natus est.

Iam vbi sic vitis prodierit, mox gemmis eductis flo-

rescit: ita & nostra vitis Iesus Christus vbi adoleuisset, erupit statim in flores honoris & honestatis. Produxit flores charitatis, timoris, agnitionis, & sanctæ spei, dum cælestem illam philosophiam prodidit mortalibus, dum omnibus malè habentibus benefecit, dum veram Dei cognitionem homines docuit, dum spem æternæ vitæ in se credentibus pollicitus est. Tandem quando hæc vitis florescere cœpisset, protulit flores honoris & honestatis. Existimo hos flores eos esse sanguineos, qui effluebant è latere, capite, manibus, pedibúsque eius, seminabantúrque in terram pro nobis miseris peccatoribus. Nam quemadmodum botrus in torculari expressus emittit vinum, ita ille pro nobis dedit effudítque sanguinem suum, ac in eo lauit nos à peccatis nostris.

Vitis nostræ Iesus Christus vbi adoleuisset produxit flores suauissimos. Flores quoque vitis nostræ fuere vulnera sua sanguinea.

Hoc autem vinum expressum est ab initio passionis eius vsque ad vitæ finem: dum scilicet in horto sudauit aquam & sanguinem, dum in domo Pilati flagellatus & spinea corona perfossus est, dum denique in cruce clauis vulneratus est, & aperto latere sanguinem fudit & aquam in remissionem peccatorum nostrorum.

Vinum huius vitis quādo expressum sit.

Cæterùm omnibus in vite sic absolutis, tādem in vuis profert purum vinum mortalibus. Sic & vitis nostra Iesus Christus quum flores hîc produxisset fragrantissimos, tandem & vinum protulit verè exhilarans cor hominis, hoc est, remissionem nobis largitus est peccatorum, filios nos fecit Dei, & cælestis denique hæreditatis fecit consortes, hoc dicente Apostolo Rom. 3. Proposuit Deus propitiatorem, nempe Christum, per fidem, interueniente ipsius sanguine, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentiū delictorum. Et cap. 5. Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Verè fructus honoris & honestatis. Nisi enim dominus reliquisset nobis hos fructus, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus.

Vinum nostra vitis protulit suauissimū & exhilarans cor hominis.

Isa. 1.

Est item Christus verè mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & sanctę spei. Ab ipso enim omnes virtutes promanāt, per ipsum apparuit charitas Dei erga nos, per ipsum accepimus spiritum dilectionis & timoris domini, per ipsum ad agnitionem Dei ac veritatis

Christus mater pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis, &

sanctæ spei.

tis venimus, in ipso denique spem hæreditatémque habemus & sortimur vitæ æternæ.

Fons omnium virtutum Christus, de cuius plenitudine omnes accipimus.

Est ergo & omnis gratia viæ ac veritatis, omnis quoque spes vitæ & virtutis in Christo. De eius nanque plenitudine & accepimus, & hodie etiamnum accipimus omnes gratiam pro gratia, Ioan. 1. Ipse est via in doctrina, veritas in promissis, virtus in tribulationibus & angustiis, vita in præmio. Ioan. 14. Nemo potest venire ad patrem nisi per me, inquit. Ego sum via, veritas, & vita. Non itaq; iniuria huiusmodi sibi egregia epitheta hîc attribuit.

Qui sint æternæ sapientiæ discipuli & quid illis dare velit.

2 Secundò proponit qui sint eius discipuli, & quid ipsis sit datura: de quo sic inquit, *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplebimini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauũ. Memoria mea in generatione seculorũ. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: qui operãtur in me, non peccabunt, Qui eluciãant me, vitã æternã habebunt.* Quum itaque in Christo tanquã fonte longè vberrimo habeamus omnia quæ vel expetere possimus, vel necessaria nobis esse possint: age transeamus ad illũ omnes. Vocat enim nos, inquiens, *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, &c.*

Matth. 11.

Quod etiam clarius apud Mattheum agit. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Vinũ suum omnibus vitis vera offert.

Iugum enim meũ suaue est, & onus meũ leue: & sum mitis, & humilis corde. Ac si dicat, Apprehẽdite omnes citra personarum respectum, gratiã quæ vobis offertur. Si oneratus es peccatis, & queris refocillari, ad me propera. Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, Is. 43. Si infirmus es, ad me veni, ego sum medicus per quẽ curemini. Non enim indigẽt qui sani sunt, medico, sed qui malè habent, Matt. 9. Si esuris, me accede: ego sum panis vitæ, qui de cęlo descẽdi. Ioan. 6. Si sitis, fons sum saliẽtis aquę in vitam æternã. Si quis sitit, veniat ad me & bibat, Ioã. 7. Si in tenebris ambulasti, veni, sequere me: Ego sum lux vera, illuminans omnem hominẽ venientẽ in hunc mundum, Ioan 1. Nec est quòd hoc te moueat aut retardet, quia ille sublimis residet in cælis, & nos miseri vermiculi hîc in terris repimus. Non enim itur ad eum pedibus,

Nõ itur ad

bus, sed animo. Si tibi cœperint sordere hæc terrena, si te pigeat prioris vitæ, si te capiat ardor cælestium, iam cœpisti ad Christum accedere. Accedite ad Deum, inquit Psal. & illuminamini, & facies vestræ non confundẽtur.

Deum fontem & suum pedibus, sed animo.

Nunc pergit declarare eos suos esse discipulos, & bonorum suorum consortes, qui se concupiscunt. Quinam illum concupiscant, à simili scire poterimus. Quisnam quæso concupiscit medicum? Non certè sanus, sed valetudinarius: nec quilibet valetudinarius, sed ille solùm, qui morbum suum agnoscit, & eo cupit liberari. Sic nemo etiã concupiscit hanc sapientiam verè, nisi qui suam ipsius stultitiam cognoscit. Nemo concupiscit huius vitis vinum, nisi qui eluit, & siti premitur. Nemo concupiscit hanc omnium virtutum matrem, nisi qui se omnibus vitiis contaminatũ fatetur. Nemo concupiscit hanc viam, nisi qui se aberrasse videt, & reduci cupit. Nemo concupiscit hanc veritatem, nisi qui suum agnoscit mendacium. Nemo denique concupiscit hanc vitam, nisi qui se in morte ipsissima versari videt. Si nos igitur verè Christi discipuli & consortes esse volumus, ante omnia nostram miseriam, nostram infirmitatem, nostrum errorem, nostra peccata agnoscamus oportet, & vnius ipsius gratiam, misericordiam, auxilium, consolationem desideremus necesse est: necnon toto cordis affectu à generationibus eius impleri anhelemus oportet, hoc est, à sanctis catholicisque prædicatoribus, quales fuere Apostoli, qui sunt generatio Christi, hoc testante Psal. Hæc est generatio quærentium dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Hac nimirum ratione id summopere desiderare debemus, quia spiritus domini super mel dulcis, & hæreditas eius super mel & fauum: memoria eius in generatione seculorum. Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus se 1. Corinth. 2.

Discipuli Christi sũt & bonorũ eius consortes qui eũ cõcupiscũt.

Psal. 23.

Apostoli, & catholici doctores generatio Christi sũt.

Discipuli itẽ Christi sunt qui ip sum edunt & bibunt, hoc est, in ipsum credunt.

Sunt etiam ipsius discipuli & bonorum suorum consortes, qui ipsum edunt & bibunt, hoc est (secundum testimonium eius Ioan. 4. & 6.) qui credunt in ipsum, qui certò sibi persuadent ipsum carnem suam pro ipsis tradidisse, sanguinẽmque suũ pretiosum fudisse in remissionem peccatorũ. Si itaque & nos Christi discipuli ac consortes

sortes esse volumus, in ipsum constanter credamus, & omnia bona de ipso nobis polliceamur oportet. Sic verè ipsum & edemus & bibemus, & saturabimur. Nihil in mundo vniuerso tam dulce vel suaue est, quin satietas & nausea tandē sequatur. Verùm Christus contrà tam dulcis ac suauis est, vt ipsum edentes sint esurituri, & ipsum bibentes sitituri adhuc: sed sic tamen esurituri ac sitituri, vt neque esuriant neque sitiant in æternum. Hæc esurie
Psal.41. & siti laborabat Dauid, dicens, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Et iterum, Heu quia incolatus meus prolongatus est. & Psal.16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Sic etiam Paulus Philip.1. dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Item Roma.7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de hoc corpore morti obnoxio?

Discipuli eius sunt qui ipsum audiūt, et in eo operantur.

Sic sunt eius discipuli, qui ipsum audiunt, & in eo operantur, hoc est, sicut ipse docet Ioan.13. qui iuxta mandatum eius ita inuicem diligunt, sicut dilexit nos. In hoc, inquit, cognoscent omnes quòd discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis adinuicem. Si ergo & nos Christi esse volumus discipuli, sic verbū ipsius, nempe præcepta, audiamus necesse erit, vt diligamus mutuò, & honestam conuersationem agamus, vt non confundamur. Audiit
Matth.9. Matthæus sedens ad telonium, dominum sequens, & omnia sua relinquens, nec cōfusus est. Audiuit Zachæus
Luc.19. descendens ab arbore, dans dimidiam partem bonorum suorum pauperibus, reddēnsque quadrupliciter iniquè
Matth.4. partum. Audierunt Apostoli, relinquentes patrem & retia. Audiuit Paulus ē cælo vocatus dominum. Audiuit & Dauid post adulterium, desitque peccare. nec sunt confusi. Econtrà omnes qui ipsum derelinquunt, confundentur. Pharao audire contempsit, & ideo confusus est, demersus in medio maris rubri, Exod.14. Iudas audire noluit, ideo suspensus crepuit medius, Act.1.

Discipuli eius sunt qui ipsum elucidant, hoc est, imitantur.

Postremò sunt eius discipuli, qui ipsum elucidant, hoc est imitantur, hoc testante B.Petro.1.cap.2. Christus, inquiens, passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplum, vt insequamini vestigia eius. Vel qui scrutantur scripturam, qui enarrant gloriam Dei, qui elucidant oracula, sic vt ad iustitiam erudiant multos, sunt verè eius discipuli.

Si igi

Si igitur & nos ipsius discipuli esse cupimus, consortésque bonorum suorum, cum ipso etiam patiamur & moriamur oportet, sapientiámque diuinam elucidemus, & ignorantes doceamus viam iustitiæ, vt iuxta Danielem cap.12. fulgere possimus quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuis mansionibus cælestibus. Psalm. 118. Beati qui scrutantur testimonia tua, &c.

Declaremus & nos in his omnibus veros Christi discipulos & bonorū suorum consortes esse memeamur.

Summatim transeamus ad illum omnes, edamus hunc panem viuum, & bibamus ex hac aqua saliente in vitam æternam: hoc est, credamus in ipsum, ad ipsum vnum in omnibus necessitatibus nostris confugiamus, vnicè illo nitamur. Verùm interim audiamus etiam illum, hoc est, verbum ipsius audiamus, & voluntati eius obsequamur sedulò. ita enim non confundemur in æternum. Operemur quoque in illo, hoc est, non nostra opera, sed ipsius in nobis opera exerceamus. Ita enim nunquam peccabimus. Ipsum denique dilucidemus, hoc est, induamus, & vndiquaque imitemur. Ita vitam æternam habebimus.

Lectionem hanc Sirachi ad hodiernam festiuitatem detulerunt patres, necnon allegoricè interpretati sunt de Maria virgine, quum præsertim persona loquens in fœminino genere apud Sapientem loquatur. Et non incommodè profectò in domini matrem transferri ea potest, cùm ea quę conueniunt filio, non sint aliena à matre. Nam hactenus quidem est vtique dicenda Maria vitis fructificās, quòd protulit vinum illud omnium & nobilissimum & fragrantissimum, quod & Deum ipsum & angelos & omnes pios vnicè exhilarat, nempe filium Dei Iesum Christum dominū nostrum, qui fructus flósque est omnis honoris ac honestatis: ac proinde ipsius personæ etiam est attribuēda, quum præsertim inter cætera in præsenti lectione habeatur, *Ego mater sum pulchræ dilectionis*, &c. Nam hactenus quoque Maria non ineptè vocari potest mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei, quòd genuerit filium dilectionis, dilectissimum, inquam, Dei patris filium, qui verum domini timorem nos docuit, imò qui ipse est pauor noster, per quem & Deū & veritatem cognouimus, in quo summa etiam salutis nostræ spes nobis est sita. Sic denique & hactenus omnem gratiam viæ & veritatis, spémque

Maria non absurdè & fructificans dici potest.

quæ vitæ ac virtutis omnem fuisse in Maria dici potest, quòd illum in vtero suo gestauerit, qui est via, veritas, resurrectio, iustitia, redemptio & vita, Ioan 1. & 14. Consule Dionysium Carthusianum, qui & præsentem lectionem mysticè tractat in honorē Deiparæ virginis.

EPILOGVS.

1 *Aeterna pātris sapientia seipsam commendat & commoda sua describit quid sit, & quid possit idque multis epithetis quas sibi attribuit, ostendit, vt inde cognoscamus quod nobis omnia bona venerunt pariter cum illa Sap 7.*

2 *Quia Christus fons & cornu copiæ est omnū gratiarum, passim omnes inuitat ad suū discipulatū bonorūmq; suorum consortium & vnde veri sui discipuli cognosci queant, aperit.*

3 *Dulcedine promissionū suarum ad amplectendam sapientiam nos mirum in modum allicit Hoc sonant huiusmodi voces Qui edunt me, adhuc esurient qui bibunt, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur. Qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

IN EODEM FESTO NATIVITATIS B. Mariæ, Euangelium.

Matth. 1. *Liber generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham, &c. Finis Euangelij: De qua natus est Iesus qui vocatur Christus.*

SVmma totius contextus Euangelici ad tria præsertim se extendit. Primò enim testatur Euangelista, illum quem lex & prophetæ adeóque ab ipso statim mundi exordio patres promisissent Seruatorem, nempe Iesum Christum, nunc esse natum, hominem factum, & ad generis humani salutem missum, tempus gratiæ apparuisse, cessasse antiquam Dei iram, propitium iam hunc factum esse miseris mortalibus, ideóque nemini negandam veniam, omnibus paratam esse salutem.

Nativitatis Christi gaudiū & voluptas unde.

Quòd quàm magnificum gaudium & ingens voluptas sit, natum esse Christum, non potest aliunde manifestius deprehendi, quàm ex consideratione summæ illius miseriæ, qua prius laborabat vniuersum genus mortalium.

Satis

Satis constat ex sacris literis, non per lapsum illum protoparentum nostrorum obnoxios fuisse non solùm peccato (quod tamen alioqui per se satis graue est) verùm etiam morti tum tēporali, tum æternæ, item Satanæ, tyrannidi, maledictioni legis, & æternę dānationis. Quid autem hac miseria miserius excogitari potest? Quid hac seruitute seruilius potest fingi? Nihil sanè. Et nemo omnium ab hac nos calamitate, ab his malis liberare poterat, neque certè patriarchæ, neque prophetæ, neque sacerdotes, neque reges, quantumlibet alioqui sancti, pij, & iusti, imò ne angeli quidem. solus poterat Deus. Hic nimirum pater ille cæli terræque indulgentissimus misertus nostri, nolénsque perire malè, quos optimus optimè condiderat, statim post lapsum promisit venturum semen mulieris quod contereret serpentis caput: vtque certiores redderemur de hoc ipso semine, sensim apertius atque apertius illud describit, primò dicens illud futurum semen Abrahæ, deinde nasciturum ex semine Dauid: hinc fore Deum ipsum, & ipsius filium: dein per prophetas explicans quomodo is tandem vēturus esset, quid facturus, dicturus, passurus. Quum itaque plenitudo temporis appropinquasset, emisit illum, factum ex muliere, castissima nempe matre virgine, factum sub lege, & humanæ nostræ infirmitati per omnia (excepto peccato) obnoxium, vt nos à peccato, morte, satana, maledictione legis, & damnatione æterna assereret. Hanc iam emissionem Seruatoris nostri Christi, hunc aduentum nobis Euangelista hîc annuntiat.

Nemo præter Deum à tyrānide satanæ nos expedire potuit.

Genes. 3. *Seminis caput serpē tis contriturī delineato.*

Galat. 4. *Christus infirmitati humanæ, dempto peccato obnoxius.*

Nunc verò considerate quantā lętitiam voluptatémq; ille cōciperet, qui vinctissimus, flagitiosissimus, & mortis supplicio adiudicatus, in ipso eductionis momēto nuntium audiret serio dicentē: En homo, tu peccasti, dignus es morte, & quouis suppliciorum genere. Verùm rex tui misertus est, ac remittit tibi noxam omnem, adeóque filium suū vnicū pro tuis sceleribus auferēdis tibi mittit. Bone Deus, quàm ille exiliret præ gaudio, quanta perfunderetur animi tranquillitate? Ad eundem verò modum, quod nuntium nobis hominibus scelerosissimis, milléque cōmeritis mortes, adeóq; æterno igni adiudicatis contingere potest gratius, quàm q. Iesus Christus

Simile accōmodum.

Ioan.3. vnigenitus Dei patris filius nobis saluandis & liberādis venerit in hunc mūdum, sitq; factus noster frater? Arquihoc nuntium nobis Euangelista in præsenti Euangelio nuntiat. Est igitur illud omnibus afflictis, contritisque conscientiis auditu iucundissimum, simul & cōsolatissimum. Hinc Apostolus Ro.5. dicit, Per vnum hominem in hunc mundum peccatū intrauit, & per peccatū mors: & ita in omnes homines mors pertrāsiit, in quo omnes peccauerunt. Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Vnde contra ignorantiam, sapientiæ lumen dedit, Ioan.1. contra mendacium, veritatem, Ioan.14.& 18. contra iniustitiam, iustitiam. 1. Corinth. 1. Rom.3. contra amorem creaturarū, amorē Dei. Ro.5. 1. Ioan.4. & contra mortem, vitam. Nam contra mortem naturæ, resurrectionem, Ioan.5.11. & 1. Corinth.15. contra mortem culpæ, vitam attulit gratiæ, Ioann.10. Postremò contra mortem gehennæ, vitam contulit gloriæ, Ioan.10. Ego vitam æternam do eis. Item Roman.5. Sicut peccatum regnauit in mortem, ita & gratia regnet in vitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum. Nam in hęc omnia mala per lapsum primi hominis incideramus. Nō ergo pro simplici catalogo aut historia hic liber generationis Iesu Christi accipi debet.

In quæ mala per primi hominis lapsum incideramus.

Mors naturæ, culpæ et gehennæ.

2 Secundò declarat prosapiam è qua is idem Seruator processit, seu quo genere humanam suam naturā sumpserit, nimirū è patriarchis, sacerdotibus, regibus, prophetis, principibúsque: vt cōstet liquidò filiū illum Mariæ Iesum verè esse promissum Messiam, & verum hominem: nō simpliciter prophetam, neque hominem cælestem, aut aërium, phantasticúmve. Ob id nimirum primò omnium genealogiam altissimè repetit, deducítque hanc ad Dauidem & Abrahamum vsque. Nam hinc demonstrat, Iesum ex iis maioribus natum esse secundum carnem, è quibus nasciturum Messiam sacra prædixerant oracula. Etenim Abrahamo & Dauidi cùm primis promissum erat, vt ex ipsorū progenie nasceretur Christus: ideóque Matthæus dominum Iesum statim initio filium Dauidis & Abrahæ vocat.

Christi prosapia ex qua processit, declaratur, & cur.

Genes.22. 26.28. Psal.131.

Sunt

Sunt quidem nonnulli, qui glorioſum ducunt, ſi ſingularum hic perſonarū vel benefacta, vel malefacta recenſere norint: verū non ob aliud recenſet eas (vt diximus) Euangeliſta, niſi vt probet Ieſum eſſe Chriſtū, dum is ex illorū proſapia natus eſt, è quorum Chriſtus naſci debebat. Hoc igitur cùm primis reſpicere debemus.

Aut ſi omnino merita ſingulorum expēdere libet, ex proſapiæ eius cognitione duo præcipua diſcere debemus: ſummā nimirum ipſius excellentiam, & maximam contrà ſubmiſsionem. Excellentia quidem eſt, quòd natus eſt ex patriarchis, ſacerdotibus, prophetis, regibus, & principibus: ſubmiſsio verò, quòd è peccatoribus etiā prognatus eſt. Quòd ſanè ex patriarchis natus eſt, indicium facit, ipſum veriſsimū ipſiſsimúmque eſſe patriarcham, & hoc Iſa.9. etiam habetur: Pater futuri ſeculi. Quòd ex ſacerdotibus, innuit ipſum verum ſummúmque eſſe ſacerdotem, iuxta quod Dauid Pſalm.120. dicit: Tu es ſacerdos ſecundū ordinem Melchiſedech. Quòd ex prophetis, arguit ipſum ipſiſsimum eſſe propheram, iuxta quod Moſes Deut.18. dicit: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus veſter de fratribus veſtris, ſimilē mei. ipſum audietis. Quòd ex regibus & principibus, argumēto eſt ipſum eſſe regem regum, dominū dominātium, & principem principū, iuxta illud Iſa.9. Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit. Et Pſal.71. Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarū. Coram illo procidēt Æthyopes, & inimici eius terram lingent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Item Pſal.44.

Proſapiæ ac parentum Chriſti excellētia, et ſubmiſsio.

Ortus Chriſti ex patriarchis, ſacerdotibus, prophetis, principibus & regibus.

Chriſtus ex regibus ortus.

Quòd autē natus eſt ex peccatorum progenie, inſigne humiliationis indiciū eſt, indéque adeo certificamur nō ſolùm ipſum veniſſe propter iuſtos, ſed & peccatores ſaluandos, & peccatoribus reſipiſcentibus propitium fore, multò minus eos reiecturū. Atque hìc maxima omniū conſolatio ſeſe exerit. Et nihil quoque vehemētius ſcriptura inculcat, quàm hoc ipſum. Non veni, inquit, propter iuſtos, ſed peccatores. Quod & Paulus apertè teſtatur, inquiens. 1. Timoth.1. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia venit Ieſus in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Item dominus ipſe Luc.19. Venit fi-

Inſigne humiliationis indicium.

Matth.9.

lius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

Generationis et prosapiæ Christi cõclusio cõsideratur.

Nunc consideranda cõclusio prosapiæ seu generationis Christi. Vbi Euangelista generationem ipsam ab Abrahamo vsque ad Danielem, & à Dauid vsque ad Ioseph perduxit, non dicit ex Ioseph genitum esse dominum, sed ex Maria vxore seu spõsa Ioseph. Qua quidem auersione ostendit, non illum ex virili semine (vt alij homines solent) conceptum & natum esse, sed ex castissima virgine, citra viri operam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, Matth. 1. Atque per hoc itidem probare vult, ipsum verè esse promissum Messiam. Habemus enim apud Isaiam 7. virginem concepturam, & parituram Emanuelem: ideóque & Christus Gen. 3. semen mulieris vocatur, non semen viri. Quum igitur Iesus solius mulieris semen fuerit & ex virgine natus, certissimum est ipsum verè Messiam esse.

Hebræorũ mos in genealogiis cõtexẽdis.

Quæstio hîc oritur: quum Christus non sit natus ex semine Ioseph, quur per ipsius generis catalogum ostendatur genus Christi? Respondetur: Hebræis non esse morem genealogias, nisi per virorum enumerationem contexere, Hieronymo teste: ad hęc legem à Deo datam talem Israëlitis, vt viri vxorem ducerent de tribu & cognatione sua, Numer. 36. Cùm itaque Ioseph vir iustus & timens Dei fuerit, haud dubiè huic legi morem gessit, sicque Mariam ex sua tribu duxit vxorem. Quare conuenienter Euangelista Ioseph genus contexuit, vt quod idem fuerit & Mariæ genus, ideóque & Christi.

Nomen et vitæ conditio Christi nati ac prædicto.

3 Tertiò ponitur nomen & vitæ conditio verbi incarnati. Fuit nomen filio Mariæ, Iesus: quod Hebræis Saluatorem sonat. Hoc autem nomen non fortuitò aut humana voluntate ei impositum est, sed diuinitus: quòd nimirum verè Iesus, seu Saluator futurus esset: quod & fuit. Nam inde & angelus ad Ioseph ait: Vocabis nomẽ eius Iesum: ipse enim saluum faciet populũ suum à peccatis ipsorum. Sunt quidem & alij nõnulli hoc nomine insigniti in sacris literis, veluti Iosua, Iesus filius Iosedech, & Iesus Sirach scilicet filius, auctor libri qui Ecclesiasticus intitulatur. Verùm in nullum competit verius, quàm in filium Mariæ. Is enim verè saluat, liberat & fert opem: non temporaliter modò: sed & ęternaliter.

Ecclesi. 46. Hagg. 2. Zacha. 3.

Vnde

Vnde & Petrus: Non est in alio quoquam salus, neque aliud nomen datum inter homines in quo oporteat saluos fieri, Act. 4.

Christus dõ gnitatis et officij vocabulũ ist.

Porrò quòd idem & Christus dicitur, dignitatis & officij vocabulum est. Christus idem est & dicitur quod vnctus. Vncti autem sunt sacerdotes & principes. Quòd ergo Iesus dicitur vnctus, id euincit ipsum & sacerdotem & regem esse. Verè autem sacerdos est, ísque æternus: quia semetipsum pro nobis obtulit Deo hostiam viuam in odorem suauitatis, eáque vnica in æternum consummauit sanctificatos. Verè quoque rex est, ísque itidem æternus: quia est dominus omnium, iudex viuorum & mortuorum, ad regnum patriæ cęlestis via ianua & introductor.

Ephes. 5. Christus verus Saluator, rex & sacerdos.

Quum ergo ita res habeat, agnoscamus ex animo & perpetuò hunc Mariæ filium pro vero Saluatore, sacerdote, & rege: eóque ipsi & fidamus & adhæreamus & obsequamur: quò sic per ipsum saluemur, reconciliemur, & æternùm regnemus. Amen.

EPILOGVS.

1 *Intentio Euangelistæ Matthæi, ostendere Iesum verum Messiam, hoc est, Christum patribus promissum, iuxta prophetarũ oracula ex stirpe sacerdotali et regia in Beth-lehem natum, Mich. 5.*

Christi genealogia ex Abrahamo & Dauide.

2 *Exorditur Euangelista genealogiã Christi ab his duobus, Abrahamo & Dauide, vel quòd horũ memoria celeberrima sit, pariter & gratiosissima apud Iudæos: vel quòd his duobus potissimũ promissus sit ille tot seculis expectatus Christus in Hebræorum oraculis, quibus summam habent fidem etiam illi qui Christo repugnant: Gen. 22. Galat. 3. Luc. 1. Psal. 131.*

3 *Quoniam apud Hebræos plures fuerunt qui nomen Iesu sortiti sunt, idcirco cognomine addito descernitur à cæteris. Porrò Christus Græcè vnctum significat: quo vocabulo Hebræi sonant regem, atque suum diu expectatum Messiam. Vno igitur vocabulo simul & regis & sacerdotis dignitas explicatur, quum vterque vngeretur: & vtraque dignitas vni competit Christo, quòd omnium rex & idem summus sacerdos, solus Deum patrem peccatis offensum sui corporis victima placarit, ac depulsa mortis tyrannide, & peccati regno destructo, cæleste regnum omnibus aperuerit.*

Vno vocabulo regis & sacerdotis dignitas cõprehenditur. Apoc. 19. Heb. 10.

IN FERIIS D. MATTHÆI Apostoli, Epistola.

Ephes. 4. *Vnicuique nostrum data est gratia, &c. Finis Epistolæ: In virum perfectum, in mensuram ætatis plenè adultæ Christi.*

HÆc lectio in qua tradit Apostolus methodũ de donis spiritualibus, quibus credẽtes sunt prædditi, quatuor quæstionibus cõstat. Prima est, quid sint ipsa dona, docétq; ea esse aliud nihil q̃ meram gratiã, cùm sic dicit: *Vnicuique nostrũ data est gratia.* Sciendũ autẽ hîc est, dona esse bifaria. Sunt enim quædã priuata, quædã publica. Priuata sunt, quæ priuati (hoc est nullã publicã functionẽ habẽtes) priuatim (hoc est, citra vllam muneris publici iniunctionem seu impositionẽ) acceperunt ac habent, veluti dona fidei & charitatis, item sermonis, sapientiæ & scientiæ, itẽque cognitionis variarũ linguarũ, & interpretationis earũdem, atque id genus alia, quæ etiam iis contingunt qui nihil habẽt publici muneris, nec vrgent quenquã ad publicã functionẽ obeundã. De his agit Apostolus. 1. Cor. 11. Cæterùm publica sunt, quæ dãtur ac cõtingũt publicè, hoc est, ad publicã functionẽ pertinent, & donatũ ad administrandam functionem illam cogunt: veluti dona publicæ præsidentiæ & gubernationis. Hæc autem dona publica rursum bifaria sunt. Sunt enim quædã politica seu ciuilia, & quędã Ecclesiastica. Politica quidẽ, vt principatus consulatus, prætoriatus, triumuiratus, &c. De his agit Roman. 12. & 13. Ecclesiastica verò, vt Apostolatus, functio prophetica, Euãgelicismus, pastoratus, & doctoratus. De his agit in hodierna præsertim epistola, dicẽs: *Vnicuique nostrũ data est gratia.* Gratia autẽ & meritũ inter se cõtraria sunt. Si igitur dona sunt gratiæ, non sunt meritũ: si non sunt meritum, non ex operibus. Ergo gratis contingunt citra nostra aut merita aut opera. Si verò gratis, excluditur omnis gloriatio nostra, non est quòd de ipsis superbiamus, præque nobis alios aspernemur. Quid autem habes (ait alio loco) quod non accepisti? Si autem accepisti: quid gloriaris quasi non acceperis?

Donorum, alia priuata, alia publica.

Publica dona, alia politica, alia Ecclesiastica.

Gratia & & meriti discrimen.

1. Corint. 4

2 A quo

2. A quo publica Ecclesiæ ministeria sint instituta, & vnde veniant. Et dicit Paulus ipsum dominum Iesum eorum institutorem & autorem esse, dicens: *Data est gratia secundũ mensuram donationis* CHRISTI. *Propter quod dicit, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus,* &c. Si dona data sunt à Christo, non donata sunt aliundè. Non igitur neque nobis, neque aliis creaturis accepta ferri debent, sed soli Christo. Ob id enim ipsi iugiter laudes gratiarúmque actiones nuncupandæ veniunt. Ingratissimi enim fuerit hominis, ei non grates persoluere velle, ex quo omnia sua habeat, sine quo nihil possit.

Ministeria publica institutio & vnde. Psal. 67.

Docemur igitur hîc functiones Ecclesiasticas esse gratias seu dona Christi, iuxta suum ipsius arbitrium data Si autem sunt gratiæ, gratis contigerunt: at si gratis, debent & gratis dispendi, iuxta domini dictum Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Dispendere gratis, non sic intelligendũ erit, quasi non sit prospiciendum ministris populi de vitæ necessariis, sed quòd ipsi nullius lucri aut quæstus gratia ministrare debeãt. 1. Pet. 5. Porrò munia illa Ecclesiastica data sunt iuxta Christi arbitriũ, nemo propter illa (si habeat) superbire debet: nec quisquam (si non habeat) ea habentibus inuidebit. Nam quis glorietur de alienis? quis Christo manum occludat? Ad hæc, si Christus munium Ecclesiasticorum auctor est, debent & ipsa munia & ministri etiam in summo honore haberi, nõ autem contemni & derideri, vt hodie à plerisque fit. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, &c. 1. Timoth. 4.

Ecclesiastica functiones quia gratis date, gratis ministrandæ. 1. Corin. 9.

Dispensatores munium Ecclesiasticorum duplici honore digni.

3 Quænam ac qualia ipsa dona seu officia sint, quod his verbis dilucidat, dicens: *Et ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autẽ Pastores & Doctores.* Hîc audimus, Apostolatũ, Prophetiã, Euãgelistæ iam, Pastoratũ & Doctoratum esse dona illa publica Ecclesiastica, quæ Christus dedit. Apostoli sunt, qui à Christo in vniuersum mundũ Euãgelij prædicãdi gratia ablegãtur. Hoc verò nomen proprie duodecim illis conuenit. Prophetæ sunt, qui futura vel bona vel mala præsagiunt, ac vaticinantur, qualis fuit Agabus, & quatuor filiæ Philippi diaconi, quales &

Ecclesiæ dona publica, quæ. Prophetæ, Euangelistæ, Doctores, qui.

hodie nonnulli reperiuntur. Euangeliſtæ ſunt, qui Euangelicam doctrinam ſcriptis complectuntur: quales quatuor illi. Paſtores & doctores ſunt, qui Chriſti populum viua voce ac doctrina ſana paſcunt, quales fuerũt Timotheus, Titus, Dionyſius, Clemens, &c. quales omnes Epiſcopi, Presbyteri, diaconi, ſubdiaconi eſſe deberent.

Hæc dona in ſpeciem quidem videntur vilia, præſertim temporibus hiſce poſtremis: verùm ſi exactius conſiderãtur, ſunt omnibus modis inſignia, maximáque. Libet id liquidò perſpicere? Quid valent currus & equi citra aurigam? quid oues ſiue iuuenculæ citra paſtorem? quorſum conducit theſaurus, ſi non adſit qui eum oſtendat, eruátque? Nihil prorſus. Ita nimirum omnia dona quamtumuis ſpecioſa, inutilia ſunt ſi non adſint Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, Paſtores & Doctores, qui populum doceant quo pacto his vti piè debeãt. Imò quantò præſtat animus corpore, tantò hi omnibus aliis donis. Quare vt huiuſmodi dona eximia ſunt, ſic à nobis etiam præ aliis omnibus maximo in pretio haberi debẽt. Nam ab his docemur veram fidem, docemur ſpem, charitatem, miſericordiam, humilitatem, veram ſapientiam, veram eloquentiam.

Eccleſiæ dona niſi his ritè vtatur, inutilia.

Hîc etiam erroris conuincuntur qui dicunt ordinem miniſteriúmque Eccleſiaſticum eſſe inuentum humanũ. Conuincuntur quoque erroris & illi, qui omnes promiſcuè miniſterij huius publici capaces eſſe, & ſuggeſtum conſcendere volunt. Nec hi minoris erroris redarguuntur, qui inuocatos ſeſe in Eccleſię adminiſtrationem ingerunt. Item & illi peccant, qui miniſterium Eccleſiaſticum atque ipſos miniſtros vilipendunt. Nam ſi Chriſtus inſtitutor eſt, non eſt inuẽtum humanum. Si is quoſdam inſtituit peculiares, nõ omnes promiſcuè ſibi id vſurpare debent. Si idem dat Eccleſiæ miniſtros, nemo ab eo non datus, hoc eſt, inuocatus ſeſe debet ingerere. Si denique ille huius miniſterij eſt autor, nemo illud cõtemnere, ſed omnes honorare & magnificare debent.

Miniſterium Eccleſiæ Dei poteſtas æqua omnibus nõ eſt cõceſſa.

Hebr. 5.

Ex his quoque verbis colligere licet, varios eſſe miniſtrorum Eccleſię gradus, nõ omnes eſſe æquales. Errant itaque, qui omnes parem habere poteſtatem & dignitatem dicũt. Hæc autem miniſtrorum diuerſitas ac diſtinctio

Miniſtrorum eccleſiæ gradus, varij & inæquales.

ctio, pacis & vnitatis cauſſa à Chriſto inſtituta eſt. Nam alioqui ſi omnes æquè ſacerdotes & dignitate & poteſtate pares eſſent, tot eſſent in Eccleſia futurę ſentẽtię, quot capita: nemo alteri cederet, nemo alteri obtemperaret. Sed væ illis qui dignitate ſua & poteſtate abutuntur vel per ſuperbiam, vel per queſtum. Certè in hũc finem non prætulit dominus alios aliis. Quemadmodum verò digniores inferioribus ſeſe anteferre minimè debent, ſic quoque nec inferiores ſuperioribus debẽt inuidere. Cui multum cõmiſſum eſt, ab eo & multum exigetur: contrà, cui datum eſt parum, & is de modico dabit rationem.

4 In quem finem ſeu propter quam cauſſam hæc munia data ſint, inſtituerítque Chriſtus omnes Eccleſiæ miniſtros, cùm dicit his verbis: *Ad inſtaurationem ſanctorũ, in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti, donec perueniamus omnes in vnitatẽ fidei et agnitionis filij Dei, in virũ perfectũ, in menſurã ætatis plenè adultæ Chriſti.* Quibus verbis docemur, Chriſtum illa munera conſtituiſſe non ſua gratia, ſed propter inſtaurationem ſanctorum, & ſui corporis, Eccleſiæ nimirum. Propter nos, inquam, propter noſtri inſtaurationem & ædificationem, totiúſque Eccleſiæ & populi Chriſtiani vtilitatem, dedit Apoſtolos, Prophetas, Euãgeliſtas, Paſtores & doctores, vt nimirum omnes omnium ſalutem prouehant, alij gubernando, alij concionando, alij ſcribendo, alij orando, alij legendo, alij canendo, alij viſitando infirmos, alij cibando pauperes, alij adminiſtrando ſacramenta, alij expellendis dæmonibus: quò ſic omnes & in fide & in vita proficiamus, tandémque læti occurramus Chriſto. Omnis quippe noſtra ſalus in vnica illa fide, hoc eſt, agnitione filij Dei, & in viro perfecto, hoc eſt, charitate Dei & proximi ſita eſt. At fides, & fidei primogenita proles charitas, ex auditu proficiſcuntur: auditus autem verbum habeat neceſſe eſt. Verbum verò audiri non poteſt, niſi adſit prædicans. Dedit igitur & dat dominus miniſtros Eccleſiaſticos, vt ex ipſius iuſſu illorum audiamus verbum, vtque ex auditu concipiamus fidem ac charitatem, & ſic fide ſaluemur.

Finis ob quem Eccleſiæ miniſtros inſtituit Chriſtus.

Vnica noſtra ſalus in qua ſita ſit.

Charitas, fidei prima proles.

Rom. 10.

Hîc igitur vnuſquiſque miniſtrorũ ſui muneris admoneri debet, ſiue ſit Papa, ſiue Cardinalis, ſiue Epiſcopus,

Ecclesiæ data no bis nō sunt vt superbiamus.

siue Pastor, siue sacerdos, ne solo & nudo titulo turgeat, sed respondeat & titulo & professioni. Non enim propterea donis ornati sumus, vt nos alterutrum contemnamus, vt inuicē inuideamus, vt inde cristas erigamus, sed vt his seruiamus proximis, vt iuuemus inopes, consolemur desolatos, doceamus indoctos, reuocemus errantes, erigamus pusillanimes: in summa, vt regnum Christi dilatemus pro virili.

Hìc ipsi quoque Christiani subditi ac laici admoneri debent, vt Ministros & Pastores sibi à Christo datos venerentur, audiant, sequantur, ne frustra ipsis sint missi: Ecclesiæque munia suspiciant, venerentur & obseruent, ne & ipsa frustra sint data.

EPILOGVS.

1 *Apostolus vehementi spiritu vnitatē nobis commendat Ecclesiæ: quæ ne ob eam quam suis præpositis tenentur inferiores subiectionē tolleretur, dicit diuersa credentibus esse Dei dona concessa, diuersos & varios in Ecclesia status & gradus constituentia: quæ tamen dicta vnitati nō repugnāt, sicut nec humani corporis repugnat vnitati, quòd in eo diuersa sunt membra, variis officiis & operationibus deputata. Minimè ergo vocationum varietates resoluunt Ecclesiæ vnitatem.*

Christus ordinum Ecclesiæ præcipuus institutor.

2 *Distinguuntur ordinū Ecclesiæ status: quorū præcipuus autor & institutor est Christus. Ascendens namq; in altū, dedit dona hominibus: quod primùm factū est, teste Luca, dū complerentur à die suæ resurrectionis dies Pentecostes, mittēs super Apostolos visibili specie varia dona Spiritus sācti, Act. 2.*

3 *Rationem reddit Apostolus, quorsum varia dona & vocationum præmissarum ordines in Ecclesia esse velit Deus optimax. ad consummationē, inquit, sanctorū, id est, vt consumment, & ad salutē prouehant per suū ministeriū eos qui fidei sacramento initiati, à peccatis mūdati & sanctificati sunt. In ædificationem corporis Christi, id est, vt ædificent eos in corpus Christi, qui adhuc alieni sunt, vltrò; hos ordines duraturos donec veniat retributor omnium bonorum Christus Iesus, regnum hoc Ecclesiæ patri suo cælesti oblaturus.*

IN FESTO EODEM B. MATthæi Apost. Euangelium.

Matth. 9. *In illo temp. Cum transiret Iesus, vidit hominem*

nem sedentem in telonio, Matthæum nomine, &c. *Mare. 2. Luca 5.*
Finis Euangelij: Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

EVangelio hoc depingitur nobis regnū Christi: quòd videlicet illud sit regnum pro peccatoribus susciendis. Sunt autem tria præcipuè obseruanda: Primò Matthæi persona. Fuit enim publicanus, sicut ipse confitetur. Matthęus nihil sibi nisi peccata ascribit. Consueuerunt quidem filij Adam aut beneficia sua iactare, aut malefacta defendere & excusare. nihil horum Matthæus, sed peccata sua ingenuè fatetur, publicanum se nominans: quod genus hominum quoniam artē exercebat sordidi quæstus, & violentæ rapacitatis, multis modis infame erat, pessimèque audiebat, præsertim apud Iudæos, idque propter auaritiam & iniustitiam quibus obnoxij erant omnes. Rediemebant enim munus à Principe iniqua summa, & inclementer extorquebant à nautis & viatoribus vectigal, vt vel hac exactione plusculum lucri ipsis accederet: quare diuitiæ illorum erant rapina pauperum: potus & cibus, ipsorum caro & sanguis: vestis verò, vulgi sudor & labor. In quos non ineptè torqueri potest illud Ierem. 2. Sub alis vestris, aut in oris vestimentorum vestrorum, sanguis animarum pauperum & innocentum inuentus est. Quæ sanè vitia talia sunt, vt Paulus apertè dicat hisce obnoxios non possessuros regnum Dei. 1. Cor. 6.

Publicanē genus hominum infame & rapax.

Publicanorum officiū & diuitiæ quales.

Publicanum ergo se fuisse dicit Matthęus, & ad maiorem certitudinē, ne quisquā dubitaret de alio quopiam hæc scribi, quin potius omnes certi essent Euangelistam ipsum talem fuisse, vulgatius suum nomen adscribit, dicens: Vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Quòd nomen alij Euangelistæ subticuerunt, ac pro ipso aliud nomen minus notū, scilicet Leui, subscripserunt, ne consortem operis Euangelici, de prisca conuersatione palàm notabilem redderent. Confitetur igitur Matthæus peccata sua palàm, non vt in ipsis gloriari velit, sicut quidam gloriantur quando vsuris & iniquis contractibus simplicibus imposuerunt, quemadmodum illi,

Matthæus cur Leui dictus.

illi, de quibus scriptum est Prouerb. 2. Lætãtur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Item Isa. 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, &c. sed vt insignius prædicaret Christi erga se bonitatem, quemadmodum & nos cùm medici alicuius artem & industriam aliis commendare volumus, morbi nostri acerbitatem & fœditatem recitamus. quãto enim morbus maior ac desperatior fuit, tanto maior accedit gloria medico, qui eundem expellit. Sic & Matthæus Christi bonitatẽ nobis commendare volens, suum morbũ describit. q. d. Ex meipso nihil nisi peccator fui & publicanus: ac perpetuò permansissem, nisi per gratiã à Christo vocatus fuissem. Vides quã ob causſam Matthæus peccata sua commemoret, nempe vt gloriã Christi prędicaret, ac nobis spem daret, vt in ipso videamus Christum nędũ peccatores non auersari, sed & ex eis gratiæ suæ Apostolos fecisse, & Euangelistas. Sic Dauid & Manasse sua agnoscunt & confitentur peccata. 2. Reg. 12. 2. Paral. 33. Ob eandem etiam causſam Paulus peccata sua refert. Christus, inquit, venit peccatores saluos facere, inter quos præcipuus ego sum: sed ideo misericordiã consequutus sum, vt ostenderet in me primo Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturí sunt illi in vitam æternam. 1. Tim. 1. Item, Ego, inquit, sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, &c. Sequitur: Gratia autem Dei sum id quod sum. 1. Cor. 15. Et hic est primus pœnitentiæ gradus, vt dicitur Luc. 18. de Publicano, & 1. Cor. 11. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, &c.

Christi bonitas instar boni medici industria prædicatur.

Matthæus quam ob causſam se peccatorem dixerit.

Primus pœnitẽtiæ gradus Pauli peccata sua confitentis.

Enarratur autem ipsius Matthęi vocatio. Nam Christus præteriens illũ vidit suis oculis non tantùm corporalibus (sic enim & crucifixores suos vidit) sed commiserationis oculis, quibus aspexit Abraham in Chaldæa, Genes. 12. Loth in Sodomis, Ibidem. 19. Israëlitas in Ægypto, Exod. 21 Zachæum in arbore, Luc. 19. Petrum in domo Caiphæ, Ibid. 22. Latronem in cruce, Ibid. 23. & Paulum in itinere Damasci, Act. 9. Et hic aspectus penetrat carnem, sanguinem, medullam, ossa, spiritum & animam. Hoc videre, fuit agnoscere illum esse de numero illorum qui saluandi essent. O fœlix visio, de qua sanctus ille, meritò potest dicere verbũ Agar. Gen. 16. Tu Deus qui

Oculis cõmiserationis Christi Matthæus est vocatus.

qui vidisti me. Oremus supplices vt & nos sic videre dignetur in abyssо peccatorũ sepultos, dicẽtes cũ Dauide, Psal. 24. Respice in me, & miserere nostri. q. d. Agnosce nos inter eos quibus misericordiam præstare decreuisti. Sic vidit Matthæum, & vocauit internè per Spiritum sanctũ, & externè per verbũ, *Sequere me.* Superius mox dictum est quo in statu fuerit Matthęus, non antè solùm, sed & in ipsa vocatione: nimirum in huiusmodi statu, vt & omnibus hominibus exosus esset, & coram Deo esset filius gehennæ. Quia verò cùm in huiusmodi statu esset, vocatus sit à domino, videmus itidem non promeruisse illum vocationem sui, sed ex mera gratuitáque gratia à Christo esse vocatum: iuxta illud Pauli: Non volentis est neque currentis, sed miserentis Dei, Rom. 9. Iam verò ex vno eodémque fonte omnium vocatio proficiscitur. Consequitur ergo, quemadmodum Matthæus ex gratia mera vocatus est, ita & nos omnes ex gratia vocatos esse ac vocari, non ex operibus aut meritis præcedentibus. Ne quis autem in hoc dubitet, audiamus Paulum. is sic Ephes. 2. inquit: Gratia estis seruati per fidem, idque non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Item 2. Timoth. 1. Deus, inquit, saluos nos fecit, & vocauit vocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secũdum suum propositum & gratiam, quæ data quidem est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna, sed palàm facta est nũc per apparitionem Seruatoris nostri Iesu Christi. Hinc & Augustinus piè: Misericordissimus dominus, inquit, inuenit omnes quos condemnaret: at non inuenit quos saluaret. Nihil igitur hîc aliud cum Matthæo & vocatis omnibus facere possũmus, quàm vt consideremus in nobis iugiter Dei bonitatem, laudemúsque illum super misericordia, Rom. 11. & 15. dicentes cum Dauide: Miserator & misericors dominus, non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis: quoniam secundum altitudinem cæli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se, Psalm. 102. Summa: Iesus solus vocat,

Vocatio fidelium nõ ex merito, sed gratia Dei.

Bonitas ac Dei misericordia à nobis semper laudanda.

Vocamur ex solius Dei gratia.

vocat, vocat ex mera gratia, vt discamus ne quid salutis tribuamus vlli creaturæ, & meritis nostris, sed omnem salutem & iustitiã nostram tribuamus vni Christo. Nam Matthæum talibus inhærentem spinis vocauit, vt de gratia Dei etiam nullus desperet, quantumcunque in vilibus & sordidis lucris fuerit occupatus. Potens est enim Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Et quãuis difficile sit diuitem intrare in regnum Dei, & apud homi-

Matth. 19.

nes impossibile, apud Deũ tamen omnia possibilia sunt.

Matthæi fides probatur.

Consequenter enarratur ipsius Matthæi fides. Nam non impeditur Matthæus opibus, nec remoratur officio, neque ostẽdebatur humili Christi persona, & calumnijs Pharisæorum, sed audiens verbum, *Sequere me*: Spiritu sancto accensus non dubitat hanc vocationem verè esse diuinam. *Surgens secutus est eum.* Audiuimus nec Matthæum, nec vllum vnquam hominem vocatum esse propter sua merita, sed propter meram Christi gratiam. Hoc cùm sit verissimum, consequitur prorsus elegisse dominum illos quos vocarit & vocet. Ergo certum est, solos

Electi soli & prædestinati vocantur.

electos & prædestinatos vocari. Id autem verum esse Apostolus apertè testatur Rom. 8. Scimus, inquiens, quòd diligẽtibus Deum, omnia cooperantur in bonum, nimirum his qui iuxta propositũ vocati sunt: quoniam quos præsciuerat, eosdem & præfinierat conformes fieri imaginis filij sui, vt ipse sit primogenitus inter multos fratres. Porrò quos prædefiniuit, eosdẽ & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificat. Et Rom. 11. Electio consecuta est, cæteri verò excæcati sunt. Quur verò dominus non omnes elegerit & vocauerit, nõ est nostrum inuestigare. Ipsius iudicia imperscrutabilia sunt, & inuestigabiles viæ eius, Rom. 11. Hoc tantùm pro certo sciamus: quoscunque nõ elegit, eos ipsos non elegisse ex ipsorum culpa: quoscunque autem elegit, hos elegisse & vocasse ex mera gratia & misericordia. non vltrà progredi licet.

Matthæi obedientia.

Enumeratur insuper ipsius Matthæi obedientia. Nam Matthæus relinquit telonium, opes & pecuniam, & surgens sequitur Christum, non secũdum humanã prudentiam ratiocinans quid amittat, aut consecuturus sit. Sic

Fides operatur obedientiam.

verbum auditum operatur fidem, Rom. 10. Fides est ex auditu, fides verò operatur obedientiam. Similem fermè obedien

obedientiam habes. 3. Reg. 19. in Eliseo per Eliam vocato. Applica. Porrò finis in quem electos vocauit & iustificauit dominus, est, vt se sequantur, hoc est, sanctè & immaculatè viuant, sic inquiente Paulo Ephes. 1. Deus elegit nos in Christo antequàm iacerentur fundamenta mundi, vt essemus sancti & irreprehensibiles coram illo per charitatem. Et Ephes. 2. Dei sumus creatura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Et Tit. 2. Illuxit gratia Dei saluatoris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè & iustè & piè viuamus in præsenti seculo. Et profectò electi & vocati huic fini omnibus modis seruiunt ac respondent: vt vel hîc in Matthęo videre licet Simul atque vocatus est,

Electorum ac vocatorum finis.

statim secutus est Iesum, hoc est, ad huius sanctissimam voluntatem sese composuit, atque ipsum intimo amore complexus est.

Videmus hoc loco, quales esse debeant qui recipi in regnum Christi volunt, & quid illis sit faciendum: videlicet, vt audiant verbum, credant, & sequantur. Non enim reiicit Christus vllum peccatorem, sed omnes ad pœnitentiam vocat: Venite ad me omnes, &c. Matth. 11. Et Paulus inquit, Conclusit Deus omnia in incredulitate: vt omnium misereatur. Rom. 11.

Fructus fidei in Matthæo.

2 Secundò quæ hîc obseruanda occurrunt, sunt fructus & opera primùm fidei in Matthæo. Nã Matthæus emendat vitam priorem, reddit malè parta, operatur bona, inuitat Christum ad conuiuium, vocat & alios peccatores, vt & illi conuertantur. Quatuor in beato Matthæo veræ iustificationis indicia hîc videmus. 1 Surrexit. 2 Secutus est eum. 3 Adornauit conuiuium. 4 Adduxit etiam alios peccatores, vt & ipsi conuerterentur. Hæc enim sunt indicia veræ iustificationis: Surgere à peccatis. Si mortui, inquit Apostolus Rom. 6. sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Sequi Christum. Non enim sufficit mala non agere, nisi & bonis studeas operibus insudare. Vocauit nos Deus, inquit Apostolus, in sanctificationem, &c. Tertium est gratias agere pro acceptis donis. 1. Thessalon. 5. In omnibus gratias agite. Quartum, proximum quoque adiuuare.

Iustificationis veræ indicia quatuor.

Quod

Quod autem in fine subdit Paulus, Quos iustificauit hos & magnificauit: in præsenti quidem vita ex parte contingit. Verè enim magnificum est, vacuum esse vitiis, innocentiæ gloriæ florere, affectibus esse incorruptis, sic insitum esse corpori Christi, vt idem sis cum illo, spiritum illius habere pignus, hæredem esse Dei, cohæredem Christi: vt de hoc quod superest suo tempore implendum, non liceat diffidere. Hæc autem magnificatio in futuro cõplebitur, quum absterget Deus omnem lachrymam, &c. cùm Christus suis dicet: Venite benedicti patris mei, &c. Matth. 25.

Magnificum esse quid.

Apoc. 21.

Gratitudo Matthæi pro remissione acceptæ peccatorum.

Ex verbis prædictis Euangelicis etiam apparet Matthæum fuisse gratũ pro donata remissione peccatorum, hilarémque datorem, conuiuium enim apparat. Sanè Christus Matthæum inuitantem non despexit. Tunc enim Iesus obtemperat roganti, cùm tu obtemperas vocanti. Cùm autem tu non audis Christũ vocantem, quomodo audiet ipse te clamantem? Hinc per Isaiam dicit cap. 50. Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam? q.d. Vultis scire quam ob causſam id fecerim? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, &c. Vocaui, & non erat qui audiret. Sic & alio loco: Iniquitates, inquit vestræ prohibuerunt bonum à vobis.

Christus quomodo à nobis ad cõuiuium inuitandus.

Sic & nos ergo B. Matthæi exemplo studeamus inuitare ad conuiuium Christum dominum: quod fit, quoties cum diligentia Euangelij conciones audimus, Sacramentum corporis & sanguinis Christi sumimus, carnem propriam mortificamus, ac soli Christo adhæremus, & quoties etiam aliquid beneficij egenis & pauperibus exhibemus. Sed hæc verè & rectè fieri non possunt, nisi prius omnia nostra relinquamus, id est, nisi agnoscamus & confiteamur, omne quod sumus & habemus, mera & gratuita esse dona Dei.

Conuiuia nec reiicienda aut dãnanda.

Christus autem suã præsentiã hîc exhibens, ostẽdit sibi peccatorem fide per charitatem operante recõciliatum. Ostendit quoq; se nõ reiicere aut dãnare honesta conuiuia, modò Dei & pauperũ nõ obliuiscamur. Deliciæ eius sunt, esse cũ filiis hominũ, Prouerb. 8. Et est hæc historia quasi imago quę ostẽdit quinã Christo in suo regno sint proximi: nempe miseri peccatores. Nam & Petrus & Paulus

Paulus etiam se aliquando lapsos confitentur. Ingens hæc nobis omnibus consolatio esse debet, ne desperemus in peccatis: sed confidamus per Dei misericordiam nos hæredes æterni regni Christi omnino futuros.

Deinde hîc sunt fructus & opera obseruanda incredulitatis in Pharisæis. Nam hi offenduntur quòd Christus cum peccatoribus conuiuetur, & propterea eum quoque peccatorem & hominem flagitia amantem iudicant: quasi dicant, Quam ob rem magister vester, quẽ vos deserto Ioanne vt sanctiorem sequimini, cum peccatoribus edit & bibit, cùm mensæ communio summum sit familiaritatis indicium? An non legerunt: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris? An nõ cogitant quòd hac consuetudine animos addit peccatoribus, qui vitati fortè propter erubescentiam non resipiscerent? Nihil aliud hîc moliuntur, quàm discipulos adhuc rudes hoc venenato susurrio à Christo diuellere. Doctrinam quidem Christi in se calumniari non poterant, ob id alias occasiones quærunt, quò plures à doctrina Christi separent. Et hęc est consuetudo & natura mundi, vt omnia Dei opera calumnietur. Habet enim Euangelium in hoc orbe duplices infensissimos hostes: Primi illud externa tyrannide persequuntur, secundi illud derident, contemnunt, & calumniantur.

Fructus & opera incredulitatis Phariſæorũ obseruãda.

Mundi cõsuetudo et natura.

Euangelij hostes infensissimi, duplices.

Ante omnia ergo id agunt, vt discipulis Christum odiosum faciant. Facilè enim displicent verba illius, cuius persona non placet. Ob eandem causſam dicebant cæco, Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Item: Nos scimus quia hic homo peccator est. Item ad turbas dicebãt de Iesu, Vorax est, & potator vini, &c. E quibus videre est quanta versutia diabolus verbum Dei nobis eripere conetur. Sicut enim in veteri testamento, itémque in exordio Ecclesię, verbum Dei primò vi, deinde fraudibus pseudoprophetarũ eripere conatus est, sic & nunc videns fideles Christo adhærere, cùm aliud non potest, saltem Pharisæos ministros suos instigat, vt dicant, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Tali modo suggillat vitam prædicatorum & pastorum, vt vel sic à doctrina retrahat. Verum est enim illud Gregorianum dictum:

Ioan. 9.

Diaboli versutia.

Cuius vita despicitur, restat vt & prædicatio contemnatur. Cùm autem verbum Dei nobis præripuerit, tunc ad varios errores induçit. Nemo igitur venenata talium susurria audiat, quia nemini obesse potest vita mala Pastoris, si doctrina fuerit sana. Hinc Christus ait: Super cathedram Moysi sederunt, &c. Quæcunque dixerint, facite, &c.

Pastoris mala vita non obest, si doctrina sana sit.

3 Tertiò hîc obseruanda est concio Christi, quæ tres continet doctrinas: Prima, cùm dicit, *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* Vbi ostendit, quis sit verus medicus, nempe Christus. Psal. 106. Misit verbũ suum, & sanauit eos. Qui sint ægroti, nẽpe, omnes peccatores agnoscentes suam imbecillitatem. Qui sint validi, nempe, superbi. Et quis morbus, nempe, peccatum, & æterna damnatio. Cùm igitur videamus in morbis corporis homines non esse negligentes, sed quærere remedia & auxilia: quantò diligẽtiores nos esse decet in morbis spiritualibus? Vocat autem Christus Pharisæos validos, non quòd validi sint, sed quòd per propriam iustitiam cælum ascendere conantur.

Medicus morbi, ægrotis & validi qui sint, ostenditur.

His præmissis verbis tacitè obstinatam Pharisæorum malitiam taxat, ostendẽs nedum scriptura, sed & exemplo externo, ac sensu communi, non se reprehensione dignũ, quòd peccatores receperit, sed magis ipsos Pharisæos reprehensione dignos, vt qui nec ipsi medicum quærerent, cùm maxime ægroti essent, nec alios quærere paterentur, iuxta illud Luc. 11. Tulistis clauem scientiæ. vos ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Hoc igitur sibi vult Christus. Nemo sanæ mentis reprehensibilem iudicat medicum ob id quòd ægrotos inuisit, imò summè laudatur in medio, si id faciat quod ars profitetur. Cur igitur mihi in vitium vertitur, quod in aliis laudatur? Eadem ratione nemo succenset ægrotis, si medicum quærant & cõsulant: cur igitur hos peccatores iudicatis ob id quòd me audiunt & quærũt, quos adiuuisse oportuit? imò si vera in vobis iustitia esset, non inuidendum eis erat, sed congaudendum. Iam enim qui perierant, inuenti sunt: qui mortui erant, reuiuiscere cœperunt. Non igitur ego qui peccatores suscipio, nec illi qui medicum requirunt & amplectũtur, reprehen-

Pharisæorum obstinata malitia.

Christus tanquam medicus cum peccatoribus versatur.

prehensione digni sunt, sed vos, cùm sitis omnium pessimi, iusti tamen vobis videmini, nec medicum requirẽtes ipsi, nec alios quærere sinentes.

Cæterùm obseruandum ex hac prima doctrina concionis Christi, quatenus cum peccatoribus conuersari possimus. Christus siquidem non aliter cum peccatoribus conuersatus fuit, quàm vt medicus: quo nimirũ docemur, impiorum consortium non esse vitãdum, si spes sit illos nostra consuetudine fieri castigatiores. Neque statim reiiciendi sunt qui peccant, sed prius omnia tentãda, quemadmodum Christus docuit Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, &c. Item Paulus Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite eum, &c. Vbi autem nulla spes est emendationis, & nostra cõuersatio contumaces eos efficit, in hoc casu agendum secundum dictum Pauli, Si quis est inter vos fornicator, aut auarus, &c. cum illo nec cibum sume. Quod obseruandum est si nulla ratione emendari possit. prius autem omnia tentanda. Cibum siquidem sumere cum peccatoribus malum non est per se: fit autem malum, si approbari à te illi sua peccata putent, aut conniuere te videant, aut denique contagio suo te vel alios inficiant.

Impij non semper vitandi.

1. Cor. 5. Cum peccatoribus quomodo cõuersandum.

Secunda doctrina est, cùm dicit, *Euntes discite quid est: Misericordiam volo & non sacrificium.* Vbi obseruadę dictiones; Ego, volo, misericordiam. Et sciendum quòd Deus ipse omnipotens hoc dicat, quòd voluntas Dei sit seruanda & hæc virtus requirat omnia erga proximum beneficia. Loquitur autem hîc Christus de sacrificiis veteris legis, quibus prævalet misericordia semper efficax, cum illa non semper valeant, & nunc finem suum habeant, Isa. 1. Psalm. 46. Vide Hieronymum, Chrysostomum, Theophylactum in hunc locum.

Osee. 7. Matth. 12.

Ex vi enim terminorum, misericordia dicitur releuatio miseriæ alterius: sacrificium autẽ illud dicitur quod Deo fit & datur. Per misericordiam igitur hîc intellige quicquid proximo impenditur, quo proximus adiuuatur, siue corporaliter siue spiritualiter, qualia sunt cibare, potare, consolari, docere, corripere, compati, orare, &c. De omnibus his intellige quod dictum est, *Miseri-*

Misericordia spiritualis & corporalis.

Sacrificiū. *cordiam Volo.* Sacrificium autem includit omnia illa quę externè Deo facimus, qualia sunt certas preces persoluere, ieiunare, peregrinari, cultui diuino externo insistere, religionem intrare, Ecclesias construere, donaria in corbanam mittere, &c. Habes differentiam operum,

Misericordiam vult Deus. nunc audi sententiam Christi de vtrisque. Misericordiam, inquit, volo, non sacrificium. Quod nō sic intelligas, quasi ea quæ per sacrificiū intelligi diximus, Deus fieri omnino non velit, sed quòd misericordiam magis velit, ac eam propter sacrificium quodcunque in-

Prouer.21. termitti nolit, quemadmodum & Sapiens ait: Facere misericordiam magis placet Deo, quàm victimæ. Nec mirum. Quomodo enim placere poterit id quod tua sponte agis, si id omittas quod Deus tantopere exigit ac præcipit, nempe misericordiam, cùm ipse dicat 1. Regum 15. Obedientiam vult Deus, non victimā, &c.

Misericordia victima longè præfertur. Quomodo placere Deo poterit victima tua, si eum negligas pro quo Christus mortuus est? Non igitur sacrificium reiicit, sed misericordiam illi longè præfert. Hęc enim (misericordiam scilicet) oportuit facere, & illa

Matth.23. (externa) non omittere. Hinc est quòd toties scriptura Iudæos reprehendit, qui tantùm è sacrificiis pollicebantur sanctimoniam, neglecta interim misericordia erga fratres. Vnde & per Isaiam 1. cap. cōtra eos dicitur: Quò mihi multitudinem victimarum? &c. Sequitur: Quærite iudicium, subuenite oppresso, &c. Item apud eundem, cùm sibi placerent de ieiunio: Ieiunauimus, inquiunt, & non aspexisti, &c. Respondet Deus, Hoc est

Panē esurienti frāgere, ieiunium est. ieiunium quod præcepi vobis: Frange esurienti panem tuum, &c. Isa.58. Sic & cùm in Michæa cap.6. dicerent: Quid dignum offeram domino? Nunquid victimas? Respondet propheta, Ostendam tibi, homo, quid acceptum sit coram Deo: facere misericordiam, &c. &

Matth.23. ambulare solicitum coram Deo. Sic & Christus Pharisæis obiicit, Væ, inquit, vobis qui decimatis anetum, &c. maiora autem reliquistis, misericordiam, iustitiam & veritatem. An non hæc etiam in plerósque nostrum dici possent? Imò & nimirum quàm verisimè. Nihil enim minus curamus quàm misericordiam. videmus tot egenos, &c. errantes, &c. nec tamen est qui misereatur,

cadit iumentum, & non est qui subleuet: perit iustus, & non est qui recogitet, & interim tamen nobis videmur verè Christiani & religiosi.

Tertia doctrina est cùm dicit. *Non veni vocare iustos,* 1. Timot. 1.
sed peccatores ad pœnitentiā. Luc. 5. Quod non sit intelligēdū, quasi Christus aliquos inuenerit iustos. Vera enim est sententia Pauli Rom. 3. Omnes peccauerūt, &c. Sed sic *Iusti mundi huius.*
est intelligendū, Non veni vocare iustos, id est, suæ cōfidentes iustitię, quales illi fuerūt de quibus Paulus Rom. 10. Ignorantes Dei iustitiam, suā voluerunt constituere, *Christus vocat peccatores.*
&c. sed peccatores, hoc est, desperantes de omnibus viribus & conatibus suis, totóque desiderio suspirantes ad gratiam. His enim Christus medicus aduenit, non qualiscunque, sed animarum: id quod ipse testatur Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, &c. Ioan. 7. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Ad idem facit illud Apoc. 21. Ego dabo nō cuiuis, sed sitienti de fonte aquæ viuæ. Vocat ergo iustos, qui sibiipsis iusti videtur, cùm tamen sint
Peccatores quos vocet Christus. omnium sæpe iniustissimi. Peccatores vocat, qui suam agnoscunt imbecillitatem. Sumus enim omnes peccatores. Psalm. 13. Omnes declinauerunt, &c. non est qui faciat bonum, nec vnus quidem. Salomon, Non est homo iustus in terra, &c. Ecclesiastes 7. Propter peccatores igitur venit, quemadmodum dicit Ezech. 33. Viuo ego, dicit dominus Deus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.

ETILOGVS.

1 *Ostenditur hic iustificatio peccatoris vnde sit, & quo ordine peragatur, quēadmodū & in his Pauli verbis Rom. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit, iustificauit, magnificauit. Vtrinque enim habes apertè, qui à Deo nullis nostris meritis præcedentibus vocamur & saluamur: ideò iustificatio peccatoris à solo Deo est. Hinc Psal. 113. Non nobis domine nō nobis, sed nomini tuo da gloriam super misericordia, &c. Eā ob caussam Paulus ait, ipse prædestinauit, ipse vocat, ipse iustificat, &c. Et Matthæus ait, Christus vidit, Christus vocauit. In ordine autem iustificationis primum est prædestinatio, quæ est æternum Dei consilium & decretum: vel electio, qua aliquos ab æterno elegit, in quibus ostenderet misericordiam & bonitatem suam: quemadmodum per prophetam*
Iustificatio vnde, & quo ordine fiat.

Rom. 9. *Malachiam 1. cap. dicit, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, etiam antequam nati essent, cùm neque boni aut mali quicquam fecissent. Post prædestinationem inchoatur iustificatio interne per fidem, sed externè se ostendit per opera. Sic contigit in Matthæo.*

Sanctitas sita est in fide per dilectionem.

2 *Ex Oseæ sententia probat Seruator sanctitatem nō in externis sitam sed in fide per dilectionē efficaci. Non igitur tibi de externis placeas, si charitatē neglexeris. Deinde nihil Deo gratum esse citra charitatem, quemadmodum & Christus docet Matthæi 5. Si, inquit, offers munus tuū, &c. Ob id monet Apostolus Hebr. 13. Beneficentia nolite oblivisci. talibus enim hostiis promeretur Deus.*

Euangelij officium.

3 *Maximam spem & consolationē hæc historia confert peccatoribus, & veri Euāgelij officium præstat. Sūmè enim nos consolatur: id quod Euāgelij officiū est, cōsolari scilicet desectos. Consolatur autē nos hæc historia primò ex eo quòd publicanū vocauit, nec tantùm vocauit, sed & Apostolū fecit & Euangelistam: quo nimirum docemur nullum hominum genus à Deo reiici, modò se conuertat ad meliora, Ezech. 18. 1. Timoth. 2. Deinde consolatur & illud quòd se medicū nominat. Quid enim magis necessarium agrotis, quales omnes sumus, quàm medicus? Denum omnium maximè consolatur nos quod in fine subdit, Nō veni vocare iustos, sed peccatores.*

IN FERIIS S. MICHAELIS Archangeli, Epistola.

Apocal. 1. *Significauit Deus quæ oportet fieri cito, mittens mandatum per angelum suum seruo suo Ioanni, &c. Finis Epist. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum.*

Hæc lectio mentionem facit de sermone Dei & testimonio Iesu Christi, hoc est, de Euangelio. Est enim Euangelium verè Dei sermo, & Iesu Christi testimonium, quum verum ac diuinum sit nuntium, déque salute per Iesum Christum parta testificetur.

Et tria præsertim nobis proponit. Principiò quidem quid sit Euangelium. Quod verò ad eius definitionē attinet: vocatur illud hic sermo Dei, & testimonium Iesu Christi.

Euangelij doctrina qua ab ipso Christo prodiit.

Christi. Nam aliud nihil testificatus est Ioannes, neque aliud mandatum à Deo per angelum accepit. Est igitur Euangelium huiusmodi doctrina, quæ ab ipso Deo prodiit: & Dei verbum est, in qua testimonium fertur Iesu, quòd is sit Christus filius Dei viuentis: quod & Petrus testatus est, Matth. 16.

Doctrina Euangelica Dei prophetia.

Quibus verbis nobis subaperitur, Euangelicam doctrinam non esse humanum commentum, sed doctrinā diuinam, ab ipso Deo progressam: huiusmodi, inquam, doctrinam, in qua nihil sit nisi merus sermo Dei & veritas: in qua testimonium feratur Iesu Christo. Sic verò & Paulus in Galatis Euāgelij auctoritatem veritatémque probat, dum sic inquit: Notum facio vobis fratres Euāgelium quod prædicatum est à me, non esse secundum hominem. neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Galat. 1. Docemur igitur hic, summę esse auctoritatis doctrinam Euangelicam, ideóque summo à nobis loco habendam, vt verè dicere possimus cum Psal. Ideò dilexi mandata tua super aurum & Topazion.

Vtilitas et fructus Euangelij.

2 Secundò proponit nobis fructū vtilitatémque Euangelij, & ad quid ipsum cōducat, cum dicit: *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est.* Per quæ audimus, lectionem, auditionem & obseruationē Euangelij adferre beatitudinem, hoc est, salutem & vitā æternam. Hinc Ioannes beatum illum pronuntiat, qui legit & audit illud, atque scripta in eo seruat: hoc est, credit doctrinæ Euangelicæ, & iuxtà hanc sedulò componit vitam.

Prophetiæ Euangelij cōsummatio.

Vocatur autem prophetia Euangelium, quòd illud sit declaratio & consummatio omnium prophetiarum, dum præsens exhibet, quicquid omnes prophetiæ futurum prædixerunt. Non solùm itaque auctoritas, sed & excellentissima vtilitas nobis doctrinam Euangelicam commendat. De hac vtilitate, si nolumus credere vni testi, Ioanni nempe, audiamus testem alterum, nimirum Paulum, vt in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum. Is Rom. 1. sic inquit, Non pudet me Euāgelij: est enim Dei potētia ad virtutem (salutē inquam) omni credenti. Et 1. Corinth. 1. Sermo crucis iis quidem

qui pereunt, stultitia est: at nobis, qui salutem consequimur, potentia Dei est. Et 1. Corinth. 15. Notum vobis facio fratres Euangelium quod euangelizaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini. Quam igitur cordi nobis est salus & æterna vita, tam commendatum nobis habeamus Euãgelium, legamus & audiamus & audiamus sedulò illud: sed & idé obseruemus, hoc est, credamus illi ex animo vitámq; illo dignã agamus, idque non cras, nõ perendie, nõ vltra mensem aut annũ: sed statim, citò, citra morã nam tẽpus prope est, adest iam opportunitas. pœnitẽtia sera erit, si differamus. Hortamur vos ne in vacuũ gratiam Dei recipiatis, &c. 2. Corin. 6. Et Salomon Eccl. 9. Quodcũque facere potest manꝰ tua, instãter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Ioan. 9. Operamini dum dies est, &c.

Tituli insignes saluatoris Iesu.

Ineffabilis Christi charitas.

3 Tertiò proponit quid Euangeliũ complectatur continéatque, quod his verbis explicat Ioannes, dicẽs, *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem ipsius, & fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo: ipsi gloria & imperium in secula seculorũ.*

Quibus verbis docemur Euangelium complecti lętũ nuntium seu prædicationem gratiæ & pacis quòd Deus pater cooperante Spiritu sancto per Iesum Christum filium suum, nos damnatos peccatores & inimicos donauerit æterna & gratia & pace: cuius ideirco persona & conditio caussáque & modus & fructus impetratæ gratiæ, ac pacis admodum diserte à Ioanne explicatur. Dicit igitur Iesum esse testem fidelem primogenitũ mortuorum, & principem regum terræ, quibus quidem verbis innuit esse illum & verum hominẽ, & verum Deum, verum Christum, & Dei viuentis filium. Deinde dicit, dilexisse illum nos. quibus nempe verbis innuit, non nostra merita promeruisse impetratam illam gratiam & pacem, sed cõtigisse hanc nobis gratuitò, ex mero Christi erga nos amore. Tertiò dicit, lauasse illum nos sanguine suo à peccatis nostris, quibus nimirum verbis innuit,

1. Corin. 15. Coloss. 1.

nuit, qnòd Christus morte sua saluauerit nos, ideóque impensissimè dilexerit. Quartò verò dicit, fecisse illum nos reges & sacerdotes Deo patri suo. quibus sanè verbis innuit nos per Christum ad summum euectos esse honorem, esse & liberos, & sanctos, & dominos, & Deo similes factos: innuit quoque simul, decere nos vt dominemur prauis nostris affectibus, vtque corpora nostra offeramus Deo hostiam viuentem, Rom. 12. Ecquid homini captiuo, & mortem merito lætius obtingere potest, quàm audire, se & captiuitate, & morte commerita iri liberatum, idque gratuitò, ex mera magistratus liberalitate? At quantò lætius est audire insuper se sic per filium principis reconciliatum esse, vt iam in filium sit adoptatus principis, imò factus rex & summus sacerdos? Sed millies lætius nuntium est, audire se à captiuitate diaboli, & morte æterna esse liberatũ, factúmque filium Dei, sempiternum regem & sacerdotem.

Quum itaque ex Euangelio nobis constet, ad quantam euecti simus fœlicitatem, quúmque illud æternam beatitudinem certò adferat, admonebimur hîc, vt patrem Deum tam nostri amantem sedulò redamemus, ac veneremur. Spiritui sancto nostræ salutis & cooperatori & obsignaculo, corpus & animam templum viuum præbeamus: Iesu Christo filio Dei nostro iustificatori constanter & fidamus & adhæreamus. Loti, inquam, à peccatis, puritati & innocentiæ vitæ studeamus facti reges, rectè nosmetipsos ad Dei voluntatem gubernemus: facti sacerdotes, carnem nostram & concupiscentias occidamus, nósque Deo offeramus viuentes hostias, Rom. 12.

Angelorũ officium.

Causa quur lectio hæc Apocalipseos ad hodiernam sanctorum angelorũ festiuitatem accommodata sit, inde est, quòd angeli in ea fiat mentio. Habet enim, Deum misisse mandatum per angelum suum seruo suo Ioanni. vnde nos facilè colligere possumus, quodnam sit angelorum officium, ad quid etiam prosint, nimirum quòd sint (teste Paulo) administratorij spiritus, in salutem saluãdorum missi. Num verò is angelus fuerit D. Michaël, an alius quispiam ex angelorũ sodalitio, non certò constat, sed nec scire magnopere nostra refert. Satis nobis sit (vt dictum est) quòd angeli sint administratorij spiritus,

nostræque salutis gratia à Deo emittantur, ideóque gratias Deo agamus, quòd tantæ omnino ipsi sumus curæ, vt per tam excellentes spiritus & corpora nostra custodiat, & animam conseruet, perficiátque, Heb. 1. Psal. 33. & 90.

EPILOGVS.

1 *Quomodo Ecclesia Apostolorũ prædicatione fundata, latiùs propagãda fuit, & vt prædicatores veritatis huius cognitionis fiducia freti, indubitanter functionem suam aggrederentur pauci multos, inermes armatos, humiles superbos, infirmi nobiles, viui spiritualiter mortuos.*

2 *Tituli insignes saluatoris Iesu, qui est, qui erat, qui venturus est, testis fidelis, primogenitus & princeps regum terræ. Hinc fiducia augetur in cordibus credentium.*

3 *Ineffabilis Christi Charitas, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo. Hunc sit amantem redamemus 1. Ioan. 4.*

IN FERIIS IISDEM ARCHANgeli Michaëlis, Euangelium.

Matth. 18. Marc. 9. Luc. 9. *In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, Quis, putas, maior est in regno cælorum? &c. Finis Euangelij: Semper vident faciem patris mei qui in cælis est.*

Comitem habet inuidiam ambitionis vitium.

HOc Euãgelio Christus facit quatuor. Primò impugnat in eo ambitionis vitiũ, quod fermè semper comitem habet inuidiam. Hoc vitium mirum in modum titillarat animos Apostolorum: vnde Lucas ait quòd cogitatio intrauerit inter eos quis eorũ esset maior: quæ cogitatio teste Marco erupit in verba. nam in via inter se disputauerant de primatu: videntésque cùm suas cogitationes, tum quæstiones dominum non latere, accedunt ipsum & dicunt *Quis maximus est in regno cælorum?* Quæstio hæc orta est & dependet ex præcedentibus. Dixerat dominus ad Petrum, Mat. 16. Tu es Petrus, & super hãc petrã ædificabo Ecclesiã meã, &c. Subduxerat quoq; illũ secum in montem vnà cũ duobus Zebedæi filiis cum transfigurarentur

Mat. 17.

Matt. 17. Adhęc paulò etiã antè censum non pro se tantũ, sed & pro Petro soluerat, conspiciebant quoq; illũ audacius familiariúsque colloqui cum domino. Et super hæc audierãt eum sæpius de regno cælorũ disserentẽ, ac promittentem omnibus illud ex æquo, Matth. 19. Suspicati igitur sunt ex his coniecturis discipuli Petrum fortassis omnibus aliis fore præferendũ in regno Christi. Atqui hoc ipsum iniquis ferebant animis. idcirco nimirum rogarunt dominũ, ecquis maximus futurus esset in regno ipsius, hoc est, quis ex Apostolorum numero primatum gesturus esset. Petro igitur subinuidebant, cui videbatur principatus regni cælorum destinatus, indignúmque iudicabant illum aliis præferri, qui æquè omnia reliquissent pro Christo, æquè ad Apostolatum vocati, æquè denique miracula edendi potestatem acceperant vt ille. En hoc erat quod Apostoli animo voluebant, hoc inter se disputabant, propter hoc & Christum interrogare ausi sunt, quia somniabant tales in regno Christi dignitates futuras, quales in regum & principum aulis videmus.

Apostolorũ inuidia.

Ambitiõ, insolens pestis subtiliter irrepẽs.

Hìc igitur videmus quàm insolens pestis sit ambitio, quæ etiam sanctos nonnunquam inuadit: & quò quis melioris est spei, eò plus afficitur, imò vltimum est vitium cùm quo congredi nos oportet, omnibúsque aliis superatis vitiis, tunc primùm & maximè irrepit ambitio, & appetentia laudis, arrogantia, superbia spiritualis, & complacentia suiipsius, quæ eò deducit hominem, vt sibi ipsi persuadeat probè se omnia perpetrasse, iámq; nihil aliud quàm de solo præmio cogitet, dicátque cum Phariszo: Gratias tibi ago Deus, quòd non sum sicut cæteri homines, &c. O verè periculosa tentatio, quæ neminem non inuadit, subtiliter irrepit, difficulter vincitur, imò vix sentitur. Contra huiusmodi, Apoc. 3. dicitur: Dicis diues sum, & nullius egeo, cùm sis pauper & miserabilis. Hinc Dauid ille sanctus, cùm petisset, Prætẽde misericordiam tuam sciẽtibus te, &c. statim subdit. Non veniat mihi pes superbiæ, quæ rursum in præcipitium ducat. Illi enim ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem.

Apostoli nõ tantùm reliquias pec

Coniicimus verò ex quæstione hac, in sanctis siue fidelibus non tantùm reliquias peccati, sed grandia etiam peccata remanere. Fideles enim & sancti erant Apostoli, attamen

Quæ labo-rarunt.

attamen ambitiosi, & inuidentia laborantes erant. Etsanè caro nostra corrupta pro ingenio suo nunquam non excellere cupit, aliisq; hominibus præferri. Augustinus, Non ferè quisquam est qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Plus dicit Bernardus ad Eugenium lib. 3. An non limina Apostolorum Petri & Pauli amplius ambitio, quàm deuotio terit & sanctitas?

Infirmitas Apostolorũ nobis propo nitur. Eccles. 25.

Nec hîc prætereundum quòd tam diligẽter propriam suã infirmitatẽ ob oculos nobis pingant Apostoli. Quid enim stultius, quàm in paupertate cõstitutis, de primatu disputare? Quid magis ridiculũ, quàm pauper superbus? Et tamen etiam Apostoli vexãtur hac amentia, eámque non erubescunt confiteri, non vt imitemur eandem, aut ex ea nostra vitia defendamus: (id quod plerique solent) sed vt discamus quàm verè dixerit Apostolus Rom. 11.

Ad quid omnia deus concluserit sub peccato.

Deus conclusit omnia sub peccato, vt omniũ misereatur. Sic enim Deus ineffabili consilio dispensat & tẽperat res humanas, vt nullũ sit genus hominũ nõ obnoxium peccato: non quòd ille cuiquã sit auctor peccandi, sed quòd ad tempus sinat homines suo vitio prolabi, vt agnito errore sentiant se non suo merito, sed gratuita misericordia seruatos esse, ne possint insolescere: cognoscamúsque, quòd vbi abundauit peccatum, superabundet & gratia. Rom. 5.

2 Secundò mixta χρεία vtitur dominus, tam actione nimirum, quàm oratione constante, vt sic altius infigeret quod docere voluit. Commendat autem humilitatem,

Humilitas candor & innocentia commendantur.

candorem, ac simplicitatem seu innocentiã exemplóque puelli ad hæc suos inducit. Audiamus igitur quid Christus responderit. Primò, vt Marcus ait, consedit, veluti rem seriam cum auctoritate traditurus. Leue quidem videbatur, quòd Apostoli inter sese disputabant: Christus autem sciebat, quid nõ mali ex ambitione nasceretur, si non illico & radicitus euelleretur: vnde & sæpius quasi data opera occasionem videtur captare in hoc vitium inuehendi. Iam enim præuidebat quantam perniciem allatura esset Ecclesiæ suæ ambitio & auaritia. Hæc enim duo quò magis in Ecclesia creuerint, eò longius à pura illa innocentia discessum est, donec eò peruentum est, vt hi potissimùm Ecclesiæ nomine se venditent, qui omniũ maximè pro temporalibus tumultuantur. Neque aliud quicquam obstat quò minus Ecclesia in pristinũ statum redigatur, quàm ambitio & auaritia quorundam.

Vt igitur affectum hunc pestilentissimum penitus ex animis Apostolorũ euelleret Christus, primò consedit: deinde accersitum ad se paruulum statuit in medio illorum, ac coram omnibus eum cõplectitur (vt Marcus ait) significans quàm auersaretur superbos, quámq; diligeret humiles spiritu & modestos. Deniq; & verbis exprimit quid hoc facto sibi velit, dicẽs, Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, nõ ingredi emini in regnum cælorum. Est autem is verborum sensus, Contenditis de primatu & prælatura Ecclesiastica, quis primas Ecclesiæ futurus sit. At ego vobis pro certo dico, nisi ab huiusmodi ambitiosis affectibus mentes vestras auerteritis, & religiosẽ fueritis conuersi, adeò non efficiemini in regno meo maximi & illustres, vt nec pro discipulis meis vos sim agniturus. Duo quidẽ hîc Christus à discipulis exigit. Primum, vt conuertãtur, dicens, Nisi conuersi fueritis. Quibus verbis clarissimè innuit eos qui nihil aliud studeant, quàm vt magni sint corã mundo, aliósque aut potentia aut diuitiis præcellãt, iam à via salutis declinasse, à Deo auersos esse, nihilq; eis expectandum, quàm perditionem, nisi maturè resipiscãt. 1. Tim. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli, &c. Huc spectat etiam quod in Luca dixit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Et Psal. 7. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, &c.

Christum quærit à discipulis: primum vt cõuertantur: deinde vt fiant sicut paruuli.

Deinde addit: *Et nisi efficiamini sicut paruuli.* Quid hoc aliud est, quàm si diceret, Qui vult ascendere, descendat: qui præesse, ministret: qui vult in Christo adolescere, puer fiat. Hoc modo Paulus loquitur. 1. Corinth. 3. Qui vult sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiẽs. In his enim quæ salutis sunt, omnino diuersa via incedendum. Augustinus de verbis domini, sic ait, Omnes delectat celsitudo: sed humilitas gradus est: excelsa est patria: humilitas est via. Ergo qui quærit patriam, quid recusat viam? Qui viuere vult, moriatur: qui ascẽdere ad cælum, in infernum prius descendat. Vides quàm verè dictum sit, Non sunt cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ, nec viæ meæ sicut viæ vestræ, Isa. 55.

In his quæ salutis sũt, diuersa via incedendũ.

Neque

Neque carnaliter hæc verba intelligenda sunt, vt cum Nicodemo dicas: Quomodo potest homo repuerascere cùm sit senex? Non enim iubet Christus vt ætatem habeas paruulorum, sed innocentiam: vt quod hi per annos possident, tu per industriam possideas. Obserua autem quòd non dicit Christus, nisi loquamini sicut paruuli. Non enim in omnibus vult nos esse pueris similes. Nam Salomon huiusmodi reprehendit Prouer. 1. Quousque, inquit, paruuli diligitis infantiã? Et Paulus Heb. 5. Cùm deberetis esse magistri secũdum tempus, facti estis, quibus lacte opus sit. Sed in quibus nos velit esse similes paruulis, subdit, *Quisquis demiserit semetipsum sicut est puer iste, hic est maximus in regno cælorum.* Et Paulus 1. Cor. 14. Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti. Duo in pueris imitanda proponuntur, simplicitas scilicet, & innocentia, veráque innocentia Paruuli seu pueri non inuidere, nec inanem expectare gloriam, nec primatus desiderare dignitatem nouerunt, nec lacessiti aut verberati odio afficiuntur, nec laudati honorative vlla commouentur arrogantia, sed sunt candidi, humiles, & simplices. Sic ergo & nos ab omni inuidia, gloria inani, arrogãtia, odio & ambitione immunes esse oportet, si & in regnum cælorum ingredi, & in eo magni esse velimus. 1. Petr. 2. Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis quoniam suauis est dominus.

Ioan. 13.

Innocentia paruulorũ nõ vita regnum cælorum acquiritur.

Simplicitas & innocẽtia puerorum imitanda.

Cæterùm ne quis puelli contẽneret exemplum, commendat porrò egregiè pueros dominus, dicens: Et qui receperit vnum puellum talem in nomine meo, me recipit. Vnicus puerorum amator est dominus: vnde & apud Marcum legimus quòd puellũ in vlnas acceperit. Quicunque ergo receperit puerum talem, magnificerit, benefecerit, erudierit, fouerit, idq; in nomine Christi, qui, inquam, in timore Dei educauerit, informauerit vitam, imitationem Christi docuerit, ac eum è terreno ac carnali cælestem fecerit & spiritualem, quia nimirum pueros nobis cõmendauerit, inque his viuat & operetur, is ipsum Christum recipiet. Sunt etiam multi pauperum & inopum

Puerorum amator dominus.

Christũ recipit qui pueros fouerit, & in timore Christi educauerit.

inopum pueri: sunt & inuentitij, hos si susceperis, Christum susscipis. Quid enim Christo gratius facere potes, quàm eos fouere, pro quibus mortuus est?

Præterea quicquid hîc de puellis dicitur, id & de iis intelligendum est qui puerorũ sunt similes, id est, humilibus, innocentibus, sanctis, & simplicibus hominibus, propter Christum sic effectis, quos iisdem verbis consolatur. Communis enim omnium querela est. Si sic viuendum est vt præmissum est, quis nos seruabit? quis pascet? quis tuebitur? Ob id Christus promissionem addit dulcissimam: Quicunque vos recipiunt, non minus recipiẽt Christum, quàm qui recipiũt pueros. Idem dicit Matth. 25. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Quasi dicat, Noli curare quis te recipiat aut foueat: ego sum qui iubeo, ego & qui retribuere possum his qui te susscipiunt. Nunquam adeò refrigesceret charitas, quin semper inueniantur, qui veris Christi sectatoribus viam mandatorum eius ambulare cupientibus bene faciant. Non enim propter vos, sed propter meipsum vos recipient, ac in vobis meipsum.

Deinde his verbis omnes nos ad mutuam charitatem hortatur. Quid enim aliud nos à beneficentia retrahit adeò, quàm quòd non videmus aut speramus aliquam retributionem? Quod vt excludat Christus, seipsum debitorem spõdet, vt vel sic ad misericordiam inuitet. Quid enim magis nos ad miserandum pauperibus accendere posset, quàm quòd Christus hîc ait, se in pauperibus susscipi ac honorari? Quam autẽ maiorem retributionem queris, quàm si Christum susscipias? Quid enim boni non habet Christus? Sic Genes. 18. Abraham angelos suscipiens, benedictionem cõsecutus est. Et ibidem 19. Loth liberationem à Sodomis, Raguel liberationem filiæ à dæmonio, Tob. 7. Vide item Heb. 13. & Prouerb. 19.

Ad mutuã charitatẽ vnusquisque hortatur.

3 Tertiò vehementer vrget, impugnat & damnat pusillorum offendiculũ, cùm dicit: *Qui autẽ offenderit vnum de pusillis istis qui in me credũt, expedit ei vt suspẽdatur mola asinaria in collũ eius & demergatur in profundum maris.* Secundum verborum consequentiam, dici conueniebat, Qui non susscipit paruulos, me nõ susscipit: quæ res omne punitionis genus excedit. tamen quia rudes & insensati homi

Comminatur Christus eos qui pusillis offendiculũ ponunt.

homines magis mouẽtur pœnis externis, molã potius & submersionem posuit. Neq; dixit molã collo eius suspensam iri, sed expedit, inquit huiusmodi si hoc patereturve-
rẽ stẽdat grauius quoddã & acerbius malũ hunc manere.

Sicut igitur superiori sententia omnes nos ad beneficentiam excitare voluit, sic hac sententia omnes nos terrere voluit, ne offendamus simplices. Deus enim est qui retribuere vult quicquid in suos beneficij contuleris. Deus item est qui vindicare vult eorum offensam. Hinc ad Abraham dictũ est, Genes. 12. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Sic per Mosen dicit Exod. 22. Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, clamabunt ad me, & ego audiam clamorem eorum. Idem dicit Deut. 15. & 24. Sic & per Psal. dicit: Nolite tangere Christos meos, &c. & præmisit: Corripuit pro eis reges. Sæpe enim etiã regna perdidit Deus propter vnum hominem læsum iniustè. Sic Ægyptum puniuit propter Saram vxorem Abrahæ, Gen. 12. Sic & regem Abimelech, propter eandem causam, Genes. 20. Sic propter Dinam violatã omnes Sichimitæ perierunt, Genes. 34. Sic propter vxorem Leuitæ ludibrio expostam tota ferè tribus Beniamin periit, Iudic. 20. Sic propter prophetas iniustè occisos Ierusalem deuastatur, Matt. 22. Idem Iudæis Christus comminatus est: Veniet, inquit, super vos omnis sanguis iustus, id est, vltio sanguinis, Matth. 23. Hæc scripturæ exempla attendant hi qui leue peccãtum iudicant pauperes opprimere. nihilominus enim sanguinem dominus Iesus pro redimendis illis quamlibet contemptis, quàm pro summis monarchis effudit cúmque venietur ad tribunal Christi, cui breui sistendi sunt omnes, quantumuis etiam potentes, non minus exactè rationem exiget iudex ille seuerus pro pauperculis illis, quàm pro Satrapis & magnatibus. Itaque qui putant esse leuem iacturam cùm expilant, affligunt, eiiciunt, exurunt, &c. humiles & tenues: Christũ ipsum qui est sapientia Patris, stultitiæ condemnant, qui pro talibus seruandis pretiosum sanguinem effuderit. Summa: Nulla alia re magis lucrari potes, quàm bene faciendo verè Christianis. Statenim sentẽtia, Qui puerum suscipit, me suscipit. Ita nulla alia re certius tibi periculum ac perditionem adscisces, quàm lædendo simplices illos puellos. Stat enim sententia Zacha. 2. Qui tangit vos, tãgit pupillam oculi mei. Itémque, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis his, &c.* Hoc est, Qui offenderit, contẽpserit, læserit, neglexerítve puellos, is adeò peccabit in Christum, vt summo supplicio sit afficiendus. Hęc iam expendant velim qui pueros corrumpũt institutione negligenti, dictis spurcis, carminibus obscœnis, vita impura, & conuersatione contagiosa. Item hęc attendant qui spiritualiter offendũt simplices Christianos, hoc est, qui falsa doctrina vel peruersa vita alios à salute remorantur, aut in exitium ducunt: contra quos specialiter Christus exclamat dicens: *Va mundo à scandalis.*

Quia enim offendiculum mundus pro nullo peccato ducit, idcirco aliquãtò grauius nunc Christus agit contra scandala, *Va*, inquiens, *mundo à scandalis*. Eandem dictionem, væ, conduplicat. Conduplicatio quippe vnius dictionis in sacris maximã significat vehemẽtiam. Dum igitur dominus bis væ minatur offendẽtibus, innuit maximum impẽdêre illis supplicium. Quàm graue autem peccatum sit offendiculum, ex his patet: Primò, ℣ Christus violentam mortem potius ferendam docet. Secundò, ℣ væ, ídque bis exclamat: quod plerunque in scriptura certam damnationem innuit vel maledictionem. Tertiò, quia scandalum charitatem oppugnat, quæ summa est Christianismi. Quartò, quia perdit eum pro quo Christus mortuus est. Hinc Paulus. 1. Corin. 8. Sic enim peccantes, & infirmorum conscientias percutientes, in Christum peccatis. Item Roma. 14. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Si apud Ezechie lem sanguinem huius se requisiturũ dicit de manu eius, cuius negligẽtia alius perit: quãtò magis ab eo qui data opera alium perdit? hinc falsus prophetes in lege occidi iubebatur, Deuter. 13. Nec dubium quin offensio paruulorum non minima hodie sit calamitatum nostrarum maximarum caussa. Bona pars eorum qui sanctissimi & reuerendissimi in orbe Christiano salutantur, auaritia, ambitione, fastu, & libidine (proh) toti mundo ponunt scandala. Plerique doctores, & sacrarum literarum interpretes, proferunt subinde noua dogmata, ne dicam

Exemplis cauetur ne simplices et iusti ladãtur.

Propter ℣ num hominem iniustè læsum Deus multos perdidit.

Nulla alia re lucratur Christus, quàm verè

Christianis benefaciãdo.

Conduplicatio ℣ nius dictionis vehemẽtiã importat.

Offendicula quadruplicis vti patet esse graue peccatum.

Ezech. 3.

Paruulorũ offensio, calamitatũ nostrarum caussa.

Ecclesiastes eus ordo notatur cũ vulgo.

hæreſes & ſchiſmata, quibus adeò offendunt ſimplices, vt quà ad cælos via pateat, non modò dubitent, ſed neſciant planè. Vulgus verò ſpurciloquentia, corporis habitu pudẽdo, moribus impuris, vitáque prophana & ſceleſta, ſcatet ſcandalis. Vę ergo vobis, vę peccatis noſtris, væ ingratitudini & cæcitati noſtræ.

Matth.13. Subdit Chriſtus: *Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: veruntamen væ homini illi per quem offendiculum venit.* Quãdoquidem Eccleſia credentium ad finem vſq; mũdi in hoc mundo peregrinatur, qui totus in maligno poſitus eſt, atq; adeò tritico zizania permixta, fieri nõ poteſt, quin veniant offendicula ab impiis, qui ſemper ferè piis aduerſantur. vnde nullo pacto hæc verba Chriſti patrocinantur his qui ſcandala præbent, ſeſéque excuſare, ac vitia ſua in Deũ referre moliũtur. Si, inquiũt, neceſſe eſt vt veniant ſcãdala, quis reſiſtet volũtati eius? Nam protinus ſubdit, *Væ autem homini per quem, &c.* Si mili locutionis modo Paulus vtitur. 1. Cor. 11. Oportet, inquit, hæreſes eſſe, &c. Nõ tamen ob id excuſantur qui hæreſes ac diſcordias ſeminant: vnde idẽ Paulus Gal. 5. Qui, inquir, conturbant vos, portabunt iudiciũ ſuũ. Eodẽ modo & Chriſtus loquitur Luc. 24. Oportebat Chriſtum pati. Non tamen ob id excuſatus fuit Iudas, quin ei diceret: Væ homini per quẽ filius hominis tradetur. Sic oportebat Iudæos puniri propter peccata ſua, non tamẽ ob id excuſatus fuit rex Aſſyriorum, per quem puniti ſunt. vnde per Iſaiam 10. cap. eidem dicitur: Væ Aſſur, virgę furoris mei, &c. Sic & adhuc Chriſtianos impiè agẽtes puniri oportet, iuxta illud Pſal. 88. Viſitabo in virga iniquitates eorum, nõ tamen ob id excuſati ſunt illis quibus pro mediis vtitur Deus ad punitionem aliorum.

Romã. 9.

Hæreſiarchæ nõ excuſabũtur, per quos ordo Eccleſiaſticꝰ inuertitur.

Matth. 25.

Deinde his quoque verbis Chriſtus omnes pios excitat vt vigilent, quandoquidem omnia ſcandalis plena ſunt: imò ob id Deus ſcandala fieri permittit, vt eò vigilantiores nos reddat. Natura enim noſtra niſi crebrò exerceatur, in malum ruit: quod vel ex hoc apparet. Cùm enim tot ac tantæ nobis incumbant tentationes, tamen diſſoluti iacemus, nos excitamur ad Dei auxilium quærendum. Quid ergo de nobis ſperandum eſſet, ſi magna in trãquillitate rerum viueremus? Sic & primus parens noſter, cùm breui tempore in paradiſo deliciarum vixerit, tamen eò demẽtiæ peruenit, vt æqualitatem Dei ſperauerit. Quid ille non feciſſet, ſi longiſsimo tempore in illa tranquillitate fuiſſet? Scandala igitur etſi impios perdant, pios tamen excitant & acuunt, & perſpicaciores faciunt, non ſolùm eos qui ſibi diligenter cauent, verùm etiam eos qui fortè ceciderũt. Nam poſteaquàm ſe inde eripuerint, cautiores redduntur. Quid igitur agendum ne ſcandala noceant? Audiamus Chriſtum.

Natura noſtra in malum ruit, niſi crebrò exerceatur.

Scandala pios reddũt perſpicacio res.

4 Quartò conſilium dat Chriſtus contra offendicula, vt tandem à væ illo liberemur, cùm dicit: *Quòd ſi manus tua vel pes tuus obſtaculo eſt tibi, abſcinde eum, & proijce abs te: bonum eſt tibi ad vitã ingredi claudũ aut mutilum potius, quàm duas manus vel duos pedes habẽtem mitti in ignẽ æternũ. Et ſi oculus tuus offendit te, erue eũ, et proijce abs te: bonũ eſt tibi vt luſcus intres in vitã potius, quã vt duos oculos habẽs mittaris in gehennam ignis.* Non præcipit hîc externã reſectionẽ membrorũ corporis, ſed reſectionẽ affectuum, vt nimirũ nullus affectus nobis ſit tã charus & intimus, quin ei reſiſtamus ne committamus quo offendantur alij. Omnia etiam membra corporis redigenda ſunt in ſeruitium iuſtitiæ. Denique etiam hoc vult, vt nihil tam vtile aut charum nobis ſit, quod non abiiciamus ſi ſcandalo nobis ſit. Amicus enim quo vix carere poſſumus, veluti manus eſt homini. pater cui innitimur, pes eſt. vxor aut filij quos tenere deamamus, oculi ſunt. Quod igitur faceres in periculo corporis, hoc fac in periculo animæ. Si res vrgeret, vt aut occidendus eſſes, aut manus iactura ſeruanda vita: non dubitares amputare manum, & vnius membri quanuis neceſſarij diſpendio vitam redimere. Idem hîc faciẽdum docet Chriſtus. Bonum eſt, inquit, tibi, claudũ intrare ad vitam, &c. Optabilius quidẽ eſt ſimul cum parentibus & amicis ſeruari: verùm ſi id non licet, præſtat te deſertis amicis (qui non ſolùm ſeruari nolunt, verùm te conãtur in exitium pertrahere) veluti mutilũ ad vitã ingredi, quàm vnà cum amicis in gehennam conijci; vbi (vt Marcus ait) vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.

Reſectio corporis nõ externa, ſed interna præcipitur.

Diſpendio vitæ redimendũ mẽbri vnius abſciſſione.

Marc. 9.

Poſſunt autem hæc & de reſectione Eccleſiaſtica intelligi commodè, vt ſcilicet turpiter agentes, aut per-

Ecclesiastica refectio.

uersè docentes, abscindantur ab Ecclesia, quantumlibet alioqui excellentes & necessarij: quò intelligant omnes grauiter peccasse illos, ideóque metuant. Sic Ambrosius anathematis gladio resecuit Theodosium imperatorem à communione fidelium.

Sequitur iam epilogus. *Videte, inquit dominus, ne contemnatis vnum ex pusillis. Dico enim vobis, quòd angeli eorũ in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.* Hactenus commendauit pueros, cùm propter ipsorum humilitatem & simplicitatem, tum quòd ipsemet eos à semet vnicè. Hic verò commẽdat eosdem, propterea q̃ angeli ipsorũ custodes sint. Maxima dignitas & beatitudo angelorum est. Nã semper perfruuntur iucũda familiarij Dei præsentia. Hos autẽ fecit ministros & custodes puerorũ, & qui his sunt similes, humiles & simplices homines. Cõsequitur ergo, pueros & simplices in maxima esse æstimatione coram Deo, vt quibus tam excellentes dederit custodes. Videre hîc licet vnde æstimandus sit Christianus, non à diuitiis, aut sapientia, aliísque externis, sed quòd angelos custodes habet: quòd etiam filius Dei propter eundem venerit: quòd & pater cælestis eius curam habet. Hæc, inquam, sunt quæ in Christiano considerare debes. Hoc igitur vult Christus. Si tibi occurrerit Christianus qui auxilij tui indiget, noli attẽdere humilem ipsius speciem externam, sed attendas quæ modò dixi: & nisi saxo durior fis, ad misericordiam præstandam flectêris. Econtra si ira vel vindictæ cupiditas incitat te vt proximo malum inferas, noli attendere illam humilem proximi conditionem, sed cogita diligenter quis sit quem offendere paras, nempe cui angeli seruiũt, propter quem Christus venit (vt sequẽs textus testatur) quem Deus ipse curat: illúdque propheticum menti imprime: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. & si aliquid in te est diuini timoris, abstinebis ab iniuria proximi.

Angeli puerorum custodes.

Christianus vnde æstimandus.

Zach. 2.

Summa igitur huius textus, vt fideles summo in pretio habendos, vt quibus nedum angeli, sed & Deus ipse ministret. Nec alia causa est, quòd Apostoli tãta promptitudine fidelium commoditatibus seruierunt, ac pro eorum salute nihil non malorum sustinuerunt, quàm quòd

Ioan. 12. Hominum ministret Deus.

quòd viderunt ipsos etiam angelos, imò & Christum ipsum fidelibus seruire.

Angeli, inquit, *eorũ*. Quibus verbis primò nihil aliud vult, quàm quod Paulus ait Hebr. 1. Nónne omnes sunt administratorij spiritus? &c. Et Dauid Psal. 90. Angelis suis mãdauit de te, &c. Hoc CHRISTVS hîc indicat cùm dicit: Angeli eorum, id est, ad eorum seruitium deputati. Hîc igitur diuinæ erga nos clementiæ magnitudinem considera. Confiteantur (ait Psal. 106.) domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Vigilat super nos indefessus ille singularis clementiæ oculus. Non dormitat neque dormit qui custodit Israël. Et nunc quidem per seipsum implet splendoribus animas nostras, nunc per angelos visitat, nunc per homines instruit ac consolatur: vnde meritò dixerit Psal. Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quia reputas eum? &c.

Psal. 16.

Psal. 8.

EPILOGVS.

1 CHRISTVS *exemplo puelli (qua ætas innocentia et simplicitate prædita) est vera animi modestia et humilitatẽ (radicẽ christianismi) docet, et affectũ ambitiõis detestatur.*

2 *Ne nobis aut aliis simus offendiculo properantibus ad regnum cælorum, docet exemplo manus, pedis, et oculorum, affectus omnes amputandos qui auocant à cura salutis æternæ, Colossen. 3. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam.*

3 *Pusillorũ & abiectorũ corã mundo, apud Deũ tã iugis ratio est, vt & Angeli eorũ sint pædagogi ac custodes, Psal. 90.*

ALIVD SERMO DE ANGELIS.

DE angelis tria sunt nobis obseruanda. Primò, quãdo & quomodo angeli sint creati, & deinde lapsi, ex Mose facilè intelligitur eos creatos ante hominẽ. Sicut enim homo conditus est post absolutã terrã, sic angeli post absolutum cælum creati creduntur. Verùm homine ex limo terræ Deus fecit quantũ ad carnẽ attinet, Gene. 1. Animam ex nihilo creauit. Angelos quoquè ex nihilo condidit, eorúmque maximam multitudinem: Daniel. 7. Millia millium ministrabant ei: & decies

Angeli post calum absolutum creati.

centena millia assistebāt ei. Matth. 26. An putas quia nō possum rogare patrem meum: & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum? &c. Sunt autem Angeli, substantiæ spirituales, intelligentes, incorporeæ, & inuisibiles, & tamen interdum apparent in specie aliqua corporea. Intellectus acrimonia omnes homines longè antecellunt, & operatio eorum multò est quàm nostra expeditior & celerior.

Angeli sub statua sunt inuisibiles.

Quo ad lapsum obseruandum, non omnes angelos in cælo permansisse, sed ingentem ex illis numerum cecidisse de cælo. Caussam lapsus Christus indicat Ioann. 8. Vos ex patre diabolo estis. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Aug. quoque explicat lib. 11. de Genesi ad literam. Quemadmodum enim alij per inerudulitatem, alij verò per malitiam, filium Dei, eiúsque legem & Ecclesiam catholicam aspernantur, & ex beatitudine iustè in infernum ablegātur: sic per superbiam angeli, filio Dei contempto, cælo sunt pulsi. Multos autē à veritate desciuisse, satis apparet ex Christi verbis Matt. 12. vbi dicit satanam proprium habere regnum.

Angelorū lapsū causa.

2 Secundò obseruandum de angelorum officio, quod est quadruplex.

Primum officium est, laudare & glorificare Deum, & eius mandata exequi, teste Isa. 6. Vidi dominū sedentem super solio excelsum, &c. Seraphim stabāt, & clamabāt Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus exercituum.

Officium angelorū quadruplex.

Secundum officium est, conseruare pacem in terris, tueri regna, singulos ab incursu dæmonum defendere, bona suggerere, atque à malis abstrahere, teste Ioanne Apocal. 12. Et factum est prælium magnum in cælo: Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone. Videmus enim satanam omnibus locis excitare discordias, & interturbare pacem: quod etiam testatur Daniel cap. 10. Princeps regni Persarum restitit mihi, &c.

Pax in terris ab angelis conseruatur.

Tertium officium est orare Deum, & pro hominibus intercedere, vt Deus velit suam clementiam ipsis exhibere, teste Zacharia cap. 1. Angelus domini dixit, Dominus exercituum, vsquequo tu nō misereberis Ierusalem & vrbium Iuda quibus iratus es, iste iam septuagesimus annus est? Sic & Christus gaudium futurum in cælis affirmat

Orant angeli pro hominibus.

firmat super vno peccatore pœnitentiam agente, &c. Luc. 15. Hæc tria officia angeli summa diligentia expedierunt nato Christo; vbi canunt, primò: Gloria in excelsis Deo, Luc. 2. deinde: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Quartum officium ângelorū est, defendere nos contra insidias hostium, qui sunt diabolus, mundus & caro. Ab his oriuntur persecutiones, tumultus, bella, falsæ doctrinæ, peccata, flagitia turpissima. Posset autem Deus etiam absque angelis nos defendere: sed vult vti mediis. Sic mundum delet diluuio, Genes. 7. Sodomam igne, Ibidem. 19. Pharaonem mari, Exo. 14. Impios variis pœnis, Psal. 10.

Angeli ob tra insidias hostium nostri defensores.

Quòd autem per angelos nos defendere, regere, gubernare, atque consolari velit Deus, hæc exempla ostendunt:

Consolatur angelus ancillam Agar, Genes. 16. Ioseph. Matth. 2. Magdalenam ac reliquas mulieres ad monumentum, Marc. 16. Luc. 24.

Educunt angeli Loth ex Sodoma, Gen. 19.

Rursus Agar ab angelis consolationem accipit, Gen. 21.

Angelus prohibet ne Isaac à patre occidatur, Gene. 22.

Angelus Abrahæ seruum conducit, Gen. 24.

Iacob ab angelis custoditur, Gen. 28.

Angeli Iacob obuiam veniunt, Gen 32.

Angelus maledicta Balaam impedit, brutam asinam loqui faciens. Num. 22.

Angelus Israëlitas ad pœnitentiam vocat, Iudic. 2.

Angelus Gedeoni contra hostes adest, Iudic. 6.

Angeli prænuntiant Samsonem nascitūrum, Iudic. 13.

Angeli Eliam in deserto pascunt, 3. Reg. 19.

Angelus eidē suggerit, quid regi dicturus sit, 4. Reg. 1.

Sennacherib cum exercitu ab angelo cæditur, 4. Re. 19.

Angelus Tobiam à pisce liberat, cap. 6.

Angelus defendit Iudith, cap. 13.

Angelus tribus pueris in fornacem coniectis adstat; Daniel. 3.

Angelus Habacuc ad Danielem perducit, Danielis 14.

Angelorum exercitus Eliseum custodit, 4. Reg. 6.

Angelus Ioannis natiuitatem annuntiat, Luc. 1.

Angelus Mariæ incarnationem verbi annuntiat, Luc.1.
Angeli pastoribus apparent, Luc.2.
Angelus mandat Ioseph vt fugiat cum puero & matre, Matth.2. Angelus iubet vt redeat, ibidem.
Angeli Christo post tentationem in deserto ministrât, Matth.4.
Angelus piscinam Bethsaida mouet, Ioan.5.
Angelus in horto Christum consolatur, Luc.22.
Angeli post resurrectionẽ discipulis apparent, Matt.28.
Angeli Apostolos ex carcere educunt, Act.5.
Angelus Petrum liberat, Act.12.
Angelus Philippum quo ire debeat, admonet, Act.8.
Angelus indicat Cornelio in Cæsarea quid debeat facere: nimirum vt Petrum vocet, qui ipsum instruat, Act.10.
Angeli sunt custodes puerorum, Matth.18.
Angelorum ministerio lex Iudæis data, Act.7.
Angelos suscipit Abraham hospitio, Genes.18.& 19.
Angelus præcedit castra Iudæorum, Exod.14.
Angelus luctatur cum Iacob, Gen.32.
Angeli separabunt malos de medio iustorum, Matth.13.
Angeli vocabunt omnes mortuos ad iudicium, Mat.24.
Angeli nos perducent in vitam æternam, Luc.16.

3 Tertiò obseruandum, quæ nos erga angelos facere deceat: nempe vt

1 Pueros ac vniuersos Christianos admoneat concionator, ne impuris colloquiis, aut impudicis gestibus angelos offendant, aut â se pellant.

2 Gratias Deo agamus, quòd talibus contra satanæ insidias nos munire custodibus voluerit. Hinc dicit Basilius, cuilibet homini angelum esse concessum, qui non nisi peccatis cõpulsus ab ipso discedat. Sicuti enim apes fumo, & columbæ fœtore fugantur, sic angeli peccatis ab homine pelluntur.

Cuilibet homini angelus concessus.

3 Deum timeamus, vt ita occasionem habeant nobiscum permanendi, secundum Psal.33.

Angeli à nobis discedunt, quãdo diaboli

4 A peccatis ipsi abstineamus, ne fenestra diabolo ad nos ingrediẽdi paretur. Hinc dicit Augustinus angelos ab hominibus discedere, quando eos diaboli incitamentis assentiri sentiunt, idque fieri summo cum illorũ mœr-

rore. Quemadmodum enim angeli gaudent super vno peccatore pœnitentiam agente: ita & contristantur super multis à veritate aberrantibus.

incitamentis assentiuntur.

5 Vt ipsos veneremur, atque oremus, vt quemadmodum olim pro populo Iudaïco, & pro ciuitatibus Iuda Deum orabant, ita & nunc pro nobis, pro nostris ciuitatibus orare & intercedere velint.

Summa ergo religione tenentur Christiani angelos colere, venerari, atq; amare: vt qui semper adstent Deo, semper videant faciem Patris, cui offerunt nostra bona opera, nostrásque preces, quem orant assiduè pro nobis: bona nobis suggerunt, mala procul arcent, dæmoni sese pro nobis opponunt, & omnia quæ ad nostram salutem viderint esse vtilia, nobis procurant. Doceant igitur concionatores populum, parentes, filios, cælestes hos spiritus multum amare, & frequenter memoriam eorum repetere, & diaboli nomen detestari, vt ipsi nobiscum habitent, pro nobis orent, & tandem ad vitam æternam animas nostras perducant. Amen.

Christianus quisque tenetur angelos summè venerari.

IN FESTO SIMONIS ET Iudæ, Epistola.

Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, &c. Finis Epistolæ: Quæ est in Christo Iesu domino nostro. Rom. 8.

IN hac lectione Apostolus nobis ostendit tria. Primò, quanta nobis bona proueniant ex charitate, nempe, dilectoribus Dei omnia in bonum & felicitatis cumulum cedere, cum dicit: *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Si quis verò nouisse velit quinam reuera Deũ diligant: dicit Apostolus eos diligere Deum, qui secundum propositũ vocati sint sancti, hoc est, quos præscierit, elegerit, vocauerit, iustificauerit Deus: nam hi Spiritum sanctum habent, per quem diffusa est charitas Dei in cordibus ipsorum: hoc est, per quem & cognoscunt summam erga se Dei charitatem, & dignè redamare eum possunt. His ergo quos fide sola Deus salvare proposuit, & quos præsciens credituros vocauit ad

Diligentes Deũ ijsque qui omnia in bonũ cooperantur.

salutẽ, non ex eorũ meritis, sed suæ proposito voluntatis: His, inquam, Deum pro vocationis gratia diligentibus, omnia cooperantur in bonum, siue prospera sint, siue aduersa. Nihil enim potest diuinæ voluntatis propositum elidere, quin potius etiã hæc quæ salutẽ electorum impedire videbãtur, hãc Deo volente etiã promouent. Spiritus quoque sanctus omnia vertit in bonũ suo auxilio.

Etsi iam soli Deo cognitum perspectúmque est à quibus verè diligatur, quos, inquam, prædestinauerit: sunt tamen in promptu indicia certa, vnde dilectores Dei & ab hominibus cognosci queant, nimirum ex fructibus, ex pietate, & innocẽtia vitæ. Vult sanè amari Deus, non corde duntaxat inuisibiliter, sed & verbis factísque visibiliter. Quicunque ergo iuxta cordis affectum omnia sua & verba & opera iuxta verbi Dei præscriptum componunt, ij haud dubiè veri dilectores Dei & electi sunt. Quare si & nos verè electionis ac vocationis nostræ certiores esse velimus, per bona opera prodamus eã oportet: iuxta illud Petri 2. cap. 1. Fratres satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hęc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundè ministrabitur vobis introitus in æternum regnum domini & saluatoris nostri Iesu Christi. atque huc & illud Pauli 2. Timoth. 2. spectat, vbi is ita dicit inter alia: Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit dominus, qui sint sui. Et, Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen domini.

Indicia quibus dilectores Dei deprehendi queant.

Electio ac vocatio nostra per bona opera est ponenda.

Sed quia non sat habet hæc vocatio Dei, sed omnino etiã nostra accedat volũtas necesse est, adiecit, *Nam quos præsciuit, & prædestinauit cõformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Præscius vtiq; Deus est, præuidétque qui sint vocatione digni, dein prædestinauit, hos scilicet, quos sibi deuotos fore præsciuit, ipsósque eligit ad promissa præmia capessenda, ita quòd prædestinationem (etsi non tempore, natura tamen) præcedit agnitio. Prædestinationem intellige, optimam & immutabilem Dei de electorum salute voluntatem. Porrò sicut nõ de omnibus hominibus dixit, prædestinauit, ita nec de omnibus dixit, præsciuit. Quos enim præsciuit prædestinauit conformes fieri imagini filij sui. Ergo nos

Prædestinatio.

Agnitio præcedit prædestinationem.

nos tãtùm præscire Deus videtur. nam cęteros non præscire, sed nescire dicitur. Nouit enim dominus qui sunt eius. Ad eos autem qui non sunt digni vt sciantur à Deo, Saluator ait Matth. 7. Discedite à me, quia nunquã noui vos, operarij iniquitatis. Nam omne quod malum est, scientia eius vel præscientia quodammodo habetur indignum. Itaque quos ab æterno olim gratos fore præuidit, hos etiam prædestinauit conformes fieri imagini filij sui. Ad hoc ergo vt diuinæ prædestinationis effectum consequamur, Dei filio nos conformari oportet, non quidem in mortuorum suscitatione, non in perscrutatione cordium, non in vniuersorum gubernatione, non in liquidi maris quasi solidi itineris calcatione, (hoc enim non Christianum esset, sed Luciferianum) sed in humilitate & mansuetudine, in paupertate & patientia, in castitate & innocẽtia, in obedientia vsque ad mortem, sicut in se nobis exemplum præbuit, dicens: Non veni facere voluntatem meã, sed eius qui misit me, Ioan. 5. Hac proinde ratione pater quos dignos prænouit, conformes facit imagini filij sui, vt quod ille est per naturam, hoc isti per gratiam adipiscantur, vt videlicet & ipsi nuncupentur filij Dei. Ad cuius gratiæ considerationem nos B. Ioannes hortatur, dicens: Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus: quorum ipse dicitur primogenitus, & est: vnde (Hebr. 2.) non confunditur eos fratres vocare, dicens, Narrabo nomen tuum fratribus meis, &c.

Omne malum scientiæ Dei & præscientia ingnum.

1. Tim. 2.

1. Ioan. 3.

Consequẽter enumerat prædestinationis effectus cùm subdit, *Quos autẽ prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autẽ iustificauit, illos et magnificauit.* Hic Apostolus depingit obiter ordinem iustificationis, & gradibus quibusdam ab eo quod est omnium primum, peruenit ad id quod est omnium summum, quò res sit firmior & absolutior.

Ordo iustificationis depingitur.

Primus gradus electio, seu prædestinatio est, hoc est, libera Dei voluntas, qua hominem ab æterno in sui & amoris & regni consortium eligit, idque citra vllum respectum vel meritorum vel operum, ex sola mera & gratuita gratia sua.

Iustificationis gradus quadruplices.

Secundus gradus est vocatio, qua nimirum, Deus electum

ctum iam hominem factũ, siue in infantia, siue pueritia, siue iuuentute, siue senectute vocat, non modò externa verbi sui prædicatione, sed & internè per Spiritum sanctum, cor electi innouantem, & fidei dono replentem.

Tertius gradus iustificatio est, hoc est, remissio peccatorum & donatio iustitiæ. simulàtq; enim Deus electum spiritu suo imbuit, vt & peccata sua ex animo agnoscat, & in Christum omnem suam fiduciam collocet: statim eum gratia iustificat per fidem, remittit illi omnia peccata: perinde habet illum iustum, ac si ab æterno iustus fuisset. dat quoque illi voluntatem & facultatem viuendi posthac iustè & sanctè. Hic tum bona opera & merita incipiunt, quæ tamen mera ac gratuita sunt dona: atque hæc demum electionis, vocationis & iustificationis testimonia sunt. 2. Petr. 1. ac magis etiam iustificatum iustificant, hoc est, maiorem gratiam à Deo impetrant. Largitur enim Deus gratiam pro gratia. Ioan. 1.

Glorificatio bonorũ operũ merees.

Porrò quartus gradus magnificatio, seu glorificatio est, hoc est, donatio immortalitatis, præmium vitæ æternæ. Hæc quidem bonorũ operum & meritorum vocatur merces, imò merces quoq; est, verùm certè merces tantas ad quam ne omnes quidẽ totius mundi afflictiones pares sunt, Rom. 8. qua nec omnia omnium piorum bona opera sunt digna: eóque meritò & ipsa à diuo Paulo gratia Dei vocatur, Rom. 6. & ab omnibus item sanctis patribus. In summa, gratia est electio, gratia est vocatio,

Prædestinatio in Deo solo est occulta.

gratia est iustificatio, gratia est glorificatio. Porrò horum quatuor vnum, videlicet prædestinatio, in Deo est: reliqua tria, videlicet vocatio, iustificatio, magnificatio, sunt in nobis. Nam prædestinatio nostræ salutis nequaquam in nobis est, sed occulta in thesauris suis apud Deum, sicut propheta ait: In manibus tuis sortes meæ. Discemus igitur hinc, nõ esse præsumendum alicui de meritis suis, nihil habere nos quod non acceperimus à Deo. 1. Cor. 4. eóque in solo Deo esse gloriandum. 1. Cor. 1. & 2. Cor. 10.

Deus Christi prædicatione, morte & resurrectiõe præ-

Sensus ergo verborum hic est, Prædestinatos vocauit per prædicationem Iesu, iustificauit per mortem illius, glorificauit per resurrectionem, ac præmiũ immortalitatis. Siue vocauit per doctrinam Euangelicam, iustificauit per baptismum, glorificauit per dona spiritus. Aut dici

dici potest hunc in modum, Quos Deus prædefiniuit, seu prædestinauit, in hoc scilicet, vt per Christum adducantur sibi, hos vocat etiam in communionem Christi: & vocatos per hunc Christum suum, peccatis omnibus absoluit, id est, iustificat: tandémque imagine sua in eis restituta, & diuinitate quadam plenius impertita, glorios & sui communione beatos reddit.

destinatos vocauit, iustificauit et glorificauit.

2 Secundò ostendit quòd diligentes Deum, illa bona habent cũ securitate. Nam cùm ij verè prædestinati sint ad glorificationem æternam, nulla prorsus creatura incommodare saluti eorum potest, sed omnia inseruire eidem (velint nolint) oportet. Si velit eis nocere quispiam, habent pro se Deum potentissimum. Si quis eos coram Dei iudicio accusare aut condemnare propter peccata velit, habent Deum iustificatorem, Iesúmque Christum aduocatum & defensorem. Si quis intentare illis volet afflictiones & mortem, aut liberantur diuinitus, aut per afflictiones mortémque glorificantur mox vita æterna. Si labuntur in peccata, & remissionem consequuntur, & solicitius pòst viuunt. Hinc subdit, *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis cõtra nos?* At si dicat: Si nos cùm adhuc hostes essemus, post iustificationem acceptam tot bonis dignatus est Deus, quantò magis quum nos ille turabitur, quis tum poterit aduersari? Quin etiam si in nos vel ipse terrarũ orbis insurgat, in nostram gloriam diuina sapientia hunc omnem vertet insultum. Nam si Deus pro nobis, vt pater pro filiis, vt Saluator pro iis quos ab æterno ad salutem præfiniuit, vocauit, remissis peccatis cooptauit, paulò pòst gloria sua plenè donaturus: quis contra nos quicquam valeat, vt hanc plenam & solidam nostram fœlicitatem vlla ex parte imminuat?

Diligentes Deum quæ bona habẽt cum securitate.

Deus iustificator, Christ⁹ aduocatus & defensor.

Qui etiam proprio filio suo, nõ pepercit, &c. Quis pater alteri cuiquam parcat amplius, quàm filio? quid seruatum æquè cupiat, atq; proprium filium? imò quid non impendat quis, vt saluũ habeat filiũ? At Deus sic pro nobis est, sic nostræ saluti studet, vt quò nos perpetuò salui essemus, non solùm filio suo non pepercit, nec eum quouis modo pro salute nostra impendit, sed tradidit ipse eum, vt pro nobis vel turpissima morte moreretur. Idem expressit Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum

vnige

vnigenitum daret, &c. Quod hîc Apostolus per proprium filiũ, id dominus per vnigenitum expressit, nempe, verum Christum Deum & hominem. Sequitur.

Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Vt liberati peccatis, æternam vitam viueremus, Deus filium suum proprium, malorum omnium depulsorem donauit. Ergo cum hoc depulsore malorum, conciliatoréque bonorum omnium, donauit nobis omnia. Subdit:

Christus omniũ malorum propulsor.

Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, &c. Interrogationes istæ nõ videntur tam rogare, quàm instare, & fiduciam veritatis exprimere, vt cùm interrogatur, Quis accusabit aduersus electos Dei? Respondetur, Nemo. Et quod subiicitur, Deus qui iustificat: ratio est confidentiæ, quam interrogatio præcedẽs expressit. Deo enim iustificante & absoluente quis ausit accusare? Et vt id quis ausit, & reos nos etiam peragat, præstò est satisfactio, mors Christi, imò potẽs aduocatus, qui nos omni quamlibet merita condemnatione eripiat, Christus mortuus, rediuiuus, & ad dexterã Dei sedens & regnans. Hic enim interpellat pro nobis. Nemo ergo ausit criminari eos quos Deus non solùm vocauit, sed etiam elegit. Ecquis est qui condemnet spiritu adiuuãte imbecillitatem nostram, patre autẽ iustificante, filio verò pro nobis mortuo? Porrò quos ipsa trinitas iustificauit, quis cõdemnet? quasi dicat, nemo. Hęc certè irrefragabilia sunt. Animaduerte quòd non dixerit seruos Dei, sed electos, dignitatem illorum amplificans. Itẽ non dixit, Qui remittit peccata: sed quod maius est, Qui iustificat: ne per interpellationem diminutionem quandam intelligas. Primùm patrem adeóq; ęquã dignitatem posuit, nimirum quòd sit ad dexteram patris. Deinde adiicit, interpellat: hoc intelligens, quòd per incarnationem, quia homo factus est, pro nobis ad patrem interpeller, quoniam ipse Pontifex est, vt ad Hebræos docetur. Vnde etiam Ioãnes 1. cap. 1. Aduocatum, inquit, habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Hæc autem Apostolus explicat, vt Christianos oppressos & tribulatos consoletur, ne animum despondeant.

Mors Christi, iustificatio nostra.

Spiritu sancto adiuuãte, nemo potest nostrã imbecillitatẽ damnare.

Cùm ergo ita comparatum sit cum dilectoribus Dei, simus & nos in horũ catalogo. Meminerimus quot quantáque

tãque ille in nos contulerit beneficia: creando scilicet nos, quum nihil essemus: sed in primis tradito pro nobis filio proprio, quum perditi essemus: eligendo & iustificando nos, quum reprobi & iniustissimi essemus. Cogitemus item, non semel duntaxat Christum morte resurrectionéque sua expiasse nostra peccata, sed & etiamnum intercedere pro nobis, placaréque patrem: nõ quidem voce, sed passionis suæ merito. Ideóque quemadmodum Deus pater omnia sua nobis donauit, quemadmodum Christus omnia pro nobis & passus est, & fecit: sic & nos, tum nosipsos, tum omnia nostra addicamus perpetuò Deo: & in eius gratiam, & ad nominis ipsius gloriam, quidquid & faciamus & vitemus & patiamur.

Beneficiorum Christi memores esse oportet.

3 Tertiò Apostolus suo exemplo ostendit quòd Dei dilectores & ab eo prædestinati pro tot & tantis acceptis bonis, eum omni constantia & mentis firmitate illi adhæreant, nec ob quæque pericula ab eo diuellantur. Nam postquàm ineffabilem patefecit patris & filij & Spiritus sancti in nos charitatem, diuino spiritu totus accensus sic ait. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? &c.* Respexit ad illud, Quis accusabit aduersus electos Dei? Quis condemnet? Pertinent enim hæc ad probandum propositionẽ hanc: Omnia cooperantur in bonum, &c. Prædestinatos & electos erigit Paulus, vt ne succumbant, animúmve despondeant audientes afflictionem, persequutionem, & huiusmodi. Omnium, inquiens, dominamur per gratiam Christi. Omnibus, inquit, ad iniuriam expositi sumus, nos Apostoli videlicet: tãquam nos oporteat primùm mactari, cui sanè rei nihil contradicamus. Catalogum istorum quibus ipse & alij Apostoli initio exerciti sunt, expositi. 1. Corin. 4. 2 Corinth. 4. 6. & 11. Totum hunc locum August. libr. de doctrina Christia. 4. ca. 20. profert velut exemplar orationis, quæ vehementiam cum ornatu coniunxerit.

Mentis firmitate christo adhærendum.

Separabit à charitate. Charitas hîc videtur accipi, qua nos dilexit Deus, & ad redamãdum prouocauit. In hunc sensum accipiũt beatus Ambrosius & Augustinus: Chrysostomus intellexit de dilectione Dei in nos, propter verbum conclusionis sequentis, cùm addit: Quæ est in Christo Iesu.

Et ne

Propter Christum quotidie nobis mors est subeunda, voluntate, si non natura.

Et ne fortè ob id videantur iis malis afflictari quasi à Deo destituti, prophetam inducit huiusmodi clamantem, contestantémque illa plurimum consolationis habere, quæ propter Deum toleramus, etiam si quotidie mors ipsa sit subeunda: quod fieri voluntate potest, natura non potest. Sicut scriptum est, inquit: *Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis*, id est, oues occisioni destinatæ. Occisionis pro mactationis positum. Ea est, quum lanius contrectat & explorat pecudem, num idonea sit vt iuguletur. Locus hic desumptus est ex Psalm. 43. ac si diceret, Quotidie reputati sumus vt oues mactationi destinatæ, à quibus quotidie aliquæ mactantur. Vehemens est in eo Psalmo sanctorum querulatio. Vide quæ in hunc locum apud Dauidem adnotata sunt.

Insidiatores & aduersarij nostri, qui.

Sed in his omnibus superamus, &c. Nõ solùm vincimus, sed etiam superuincimus, excellenter vincimus, hoc est, per eos qui nobis insidiantur, coronamur. Insidiatores enim & aduersarij nostri sunt nobis coronarum suppeditatores, si modò iniuriam propter Christum feramus. 1. Petr. 4. In his omnibus superamus non nostra virtute, sed per eum qui dilexit nos.

Satan nobis cõcitat, vt à Deo deficiamus. Matth. 4.

Certus sum, &c. Persuasus sum (hoc modo legit Hieronymus ad Algasiam, quæstio. 9.) siue confido, habeo compertum de istis, quæ patimur, afflictione, angustia, &c. quòd nihil nos auellet à charitate Christi. Satan illa nobis concitat, & in hoc, vt à Deo deficiamus, tanquam nullam curam nostri gerente, aut certè nos odiente: id quod ipsi Iob, & domino nostro Iesu Christo esurienti in deserto persuadere conabatur: sed Deus donat spiritum suum, quo superuincimus omnia, id est, perstamus in fide Christi immoti.

Neque mors, inquit, *neque vita.* Nihil in vita, nihil in morte: vel, nihil inter viuos, nihil inter mortuos sic valet, & formidabile est, vt possit nobis auertere dilectionem Dei. Aut in hũc sensum dici potest, Siue viuendum sit, siue moriendum, nihil tamen poterit incidere, quod alienet à nobis Deum.

Neque angeli, neque principatus. Per angelos videtur intelligere non malos tantùm, sed etiam bonos: vt huic dicto insit

insit ea hyperbole, qualis ineſt illi ad Galat. 1. Si angelus de cælo euangelizet vobis præterquã quod euãgelizauimus vobis, anathema sit. Non q; boni angeli auertere à Deo velint: hoc abſit. Enimuero vehemens desiderium significare quærens, & ardorẽ erga Deũ, ad hos sermones peruenit Paulus. Angelos autẽ videtur dicere administratorios spiritus, quos mittit Deus in ministeriũ propter eos qui hæreditatẽ capient salutis, Heb. 1. Principatus, angelos principatu, hoc est, ampliore imperio fungentes. Virtutes, qui mira & portẽta efficiũt, vltione mq; Dei exequũtur in malos: quales erãt qui euerterũt Sodomã & Gomorrã, qui secuerũt mare rubrũ, & alia miracula ediderunt pro populo Dei cõtra hostes eius. Dici etiã poteſt & intelligi de malis angelis: quia peccata nostra merentur vt & malis angelis sua sit in orbe potestas. Distribuit Paulus hos quoque in malos angelos, rectores mundi, tenebrarum huius seculi, in principatus & potestates: vt Ephe. 6 Colo. 2. Et 1. Corin. 5. loquitur de vtrisque bonis & malis. Ita videtur in præsenti loco de vtrisque intelligere, quũ dicit nullos principatus nullãsque virtutes posse nos separare à Dei dilectione: vt tamen in eum sensum accipiatur qui præmissus est.

Virtutes, angeli, vltionũ Dei exequutores.

Neque instantia neque futura, &c. Neque præsentia, neq; futura bona poterunt nos separare, &c. Aut dici potest, neq; præsentia, &c. id est, nulla tẽporis longitudine fiet vt à domini gratia separemur. Ad Philip. 1. ca. Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Altitudinẽ (vt opinantur quidã) regnum appellat: profundum autẽ gehen nam: præterea æternã vitam, & æternam mortẽ. Aliter: id est, neque valde celebria, neq; apprimè incelebria nos separabunt à dilectione Dei: neque alia creatura, etiam si alia tãta creatura esset, quãta est visibilis & inuisibilis, nihil quicquam tamẽ ab ea nos charitate diuellet. Quia ergo suprà audiuimus diligẽtibus Deũ omnia in bonum cooperatura, & his neque peccatum neque Satanam neque mundum neque infernum nocere posse, idcirco quò & nos tanta securitate gaudere possimus, ipsi quoque sedulò diligamus Deum, hunc timeamus, huic fidamus, ad huius verbum & voluntatem nosmet componamus,

Altitudinẽ regnũ, profundũ gehennam Paulus appellat.

hunc denique laudemus ore, corde, vita. Ipsi honor & gloria in secula seculorum. Amen.

EPILOGVS.

1 *Consolatorius locus, habens argumẽtum ab vtili, hoc est, Quæcunque afflictio contingat à carne, mundo, vel Satana, eam prodesse, & misericordia Dei opus esse, quod nos istam aut plagam aliquando interpretamur.*

Salus nostra in Dei electione est sita.

2 *Gradatione pulcherrima docet vnde sit salus nostra, nempe ab electione Dei. Quos prædestinerat, eosdem & vocauit per Euangelium. Vocatos iustificauit fide, tandẽ glorificaturus. Hac prædestinationis necessitas, docẽs misericordiã Dei, quæ tradita merita prædefiniuit grata est spiritui, odiosa carni.*

3 *Argumenta beneficentiæ Dei erga nos, maxima & summa solatia: Proprio filio nõ pepercit. Redamemus sic amati, nec quicquam separet nos à dilectione Dei, qua illi conglutinamur per Iesum Christum.*

IN FESTO EODEM APOSTOlorum, Euangelium.

Ioan. 15. Ioan. 13. Ephes. 5. 1. Thess. 4. Psal. 24.

In illo tempore dixit Iesus discip. s. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c. Finis Euangelij: Quia odio habuerunt me gratis.

HOc Euangelium necessariam nobis proponit doctrinã de vita verè Christiana, & quæ pericula homini fideli in hoc mundo sint expectanda, & quibus cõsolationibus se debeat sustinere, ne ab aduersariis prorsus prosternatur. Christus enim in hac concione facit tria.

Fraternæ dilectionis præceptũ.

1 Primò cohortatur discipulos suos ad fraternam dilectionem, dicẽs, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* quasi dicat, Moses vestros patres & maiores multis onerauit legibus, & multa eis tradidit præcepta: sed spiritum & facultatem seruandi & implẽdi ea non subministrauit: Ego Christus hoc vnicum mãdatum do vobis, vt inuicem diligatis, vt huius dilectionis virtute mihi inseramini. quod si feceritis, veri mei discipuli eritis.

Christiana fides sola nõ sufficit.

Non enim sufficit in Christianismo, fidem ore confiteri: sed requiruntur etiam charitas, pœnitentia, & legis obedientia. Fides excitat inuocationem, & inuocando impetrat

impetrat dilectionem, quæ facit arborem bonam. Fides autem ore iactata quanuis vera sit, si vitam per charitatem nõ corrigat, nec legem impleat, nihil prorsus prodest, nec facit arborem bonam. 1. Corinth. 13. Hinc hæreses & schismata oriuntur. Nam quando nos iuxta doctrinam Apostoli Iacobi & Christi Iesu clamamus fidem solam sine charitate esse mortuam, neminémque iustificare, nec ipsam fidem facere nos veros discipulos Christi, sed illud charitatis esse officium: statim emergunt, qui contra Christum & eius Apostolum, falsò doceant solam fidem iustificare, & discipulos Christi nos facere, atque ad salutem sufficere: sed hæc opinio vt hæretica est reiicienda. *Hæreses et schismata, vnde.*

Nos catholici dicimus cum Christo, q̃ veri discipuli Christi cognoscantur in hoc, q̃ inuicem se diligant. Est autem sciendum q̃ fides iustificet impium, sed illa tantum, quæ per dilectionem operatur, dicente Paulo ad Galat. 5. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Fides iustificat, ita tamen vt iustificandi virtutem & efficaciam à charitate recipiat. Vnde opera iustificati cum ex charitate procedant, non solùm sunt fidei testimonia, sed etiam charitatis actiones vita æterna dignæ propter spiritum inhabitantem vnde procedunt. Est autem dilectio præcipua virtus Christianismi. Nam iustificat impium, Galat. 5. delet peccata, Luc. 7. confert Spiritum sanctum, Act. 2. facit nos manere in Deo, & Deum in nobis, Ioan. 15. & 1. Ioan. 4. dat meritum æternæ vitæ promerendæ. est patiens & benigna: non æmulatur: non agit perperam: non inflatur: non est ambitiosa: non quærit suam: non cogitat malum: omnia suffert, credit, sperat & sustinet: nunquam excidit, 1. Corinth. 13. Hæc dilectio discipulis erat valde necessaria: quia ab omnibus odiũ erat illis expectandum. Necesse igitur erat, vt se mutuò saltem amarent: & cùm Christi essent discipuli, necesse erat vt magistrò summũ exhiberent cultum, dilectionẽ scilicet, erga Deum & proximum. Vnam fidem erant prædicaturi: ideò necesse fuit ipsos vnum cor vnámque habere affectionem. *Fides iustificandi efficaciam à charitate recipit. Mutuæ dilectionis virtus.*

Impediunt autem dilectionem duo vitia: Auaritia seu

Auaritia & cupiditate homines incidunt in laqueos diaboli.

cupiditas: de qua dicit Paul.1.Timoth.6. quòd radix est omnium malorum: quæ sua tantùm commoda quærit, per quam incidunt homines in tentationē,& in laqueos diaboli. Alterum est inuidia & odiū:de quo Poëta: impedit ira animū,ne possit cernere verum. Caueamus ergo Christiani ab his furiis:& oremus, vt Dominus charitatem & dilectionem diffundat in cordibus nostris per Spiritum sanctum, Rom.5.

Dilexit nos Christus gratis & spontaneè, & nō nostra.

Modum dilectionis ex seipso tradit,d.*Sicut dilexi vos.* Dilexit autem nos Christus, primò & gratis spontaneè, Oseæ 14. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Rom.11.Hinc Ioannes 1.4. In hoc charitas, q̄ ipse prior dilexit nos,&c. Et Paulus Ro.5. Cōmendat charitatē suā Deus, q̄ cùm adhuc inimici essemus,&c. Deinde dilexit non nostra,sed nos:Item non peccata,sed personas.Præterea sic nos dilexit, q̄ omnia sua ad dilectionem & cōmodum nostrū ordinauit:verba,opera,miracula,vitam, seipsum,corpus,sanguinē,animam, diuinitatem:verbis docuit,exemplis præcessit,miraculis confirmauit,& vitam expendit, seipsum obtulit, corpus & sanguinem in cibum dedit & potum,animam in pretium, diuinitatem in subsidium,& refugium cōtra diabolum. Eodem modo & nos iubemur diligere proximum.

Christus sua omnia ad commodū nostrū ordinauit.

Proximū diligere iubemur, sicut dilexit nos Christus.

Hoc præcepto interdicitur nobis quæcunque vindicta, quemadmodum Christus nulla iniuria ad odium, nullo damno ad vindictam permotus fuit. Dictum est enim Deut.32.Mihi vindictam,& ego retribuam. Sicut enim Deo adimit gloriam, qui ipse se iustificat, qui sibi sapiētiam arrogat,ita Dei glorię derogat,qui vindictam sibi arrogat.

Malac.1. In summo gradu dilexit nos Deꝰ

Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c. Hoc addit ne quis subiiciat, quemadmodum olim Iudæi, In quo dilexisti nos? Ac planè ostendit, q̄ non tantùm nos dilexerit,sed & summè dilexerit,& summo gradu. Habet enim dilectio gradus quosdam:Infimus gradus est,vbi quis diligit diligentem se.Hoc enim etiam publicani & ethnici faciunt, Matth.5. Altior autem gradus est, si diligat eum qui non benefacit,aut diligit. Summus autem, si diligat inimicum, qui & odit & malefacit. Sic magna charitas est benefacere de suo: Maior autem benefacere de seipso:

Dilectionis & charitatis gradus tres.

seipso:maxima autem, mori pro his, quos diligis. Facilè enim pecuniam & operam impendimus, non sic autem vitam, quæ charissima est. Vtróque autem modo Christus summam charitatem, & quā maior esse non potest, ostendit. Nam & inimicos dilexit, & denique vitam pro eis impendit. Nec huic dilectioni simile est, q̄ aliqui gētilium pro patria mortui sunt:vt Curtius & duo Decij, qui se pro patria deuouērunt. Hoc enim fecerunt laudis cupiditate, & honorifica mortis consuetudine, qua mortis horror vel parte aliquā molitur. Proinde non è vera charitate, qua ciues diliguntur, hoc proficiscebatur, sed quā potius vnusquisque se suāmque gloriam diligit. Mori autem turpiter, id̄que pro inimicis, hoc opus, hic labor est. Posset adhuc inueniri qui gloriosa morte pro amicis occumberet, sed qui turpi morte & pro inimicis moriatur, nemo facilè inuenietur.

Curtius et duo Decij pro patriæ amore mortui.

Quod autem Christus dicit, *Pro amicis suis*, Non intelligit de his qui ipsum dilexerunt.Nemo enim Christum prior dilexit, sed de his quos ipse adhuc inimicos existentes, prior dilexit, & morte sua amicos fecit. Vnde Paulus, pro bono forsitan quis mori sustinet. Commendat autem charitatem suam Deus, quòd cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est,Rom.5.

Nemo prior Christū dilexit.

Hoc suo exemplo Christus docet non simplicem à nobis exigi dilectionem,sed summam, qua si opus fuerit, etiam vitam pro fratribus ponamus, 1. Ioan.3. Vbi videre licet, quantum nos abfuimus ab hac dilectione, qui etiam grauamur vel minimum quid fratribus impendere. Signanter autem hoc verbo monet Apostolos ad fortitudinem,vt & ipsi exemplo suo discant, proximorum salutem pluris facere, quàm sua ipsorum incommoda, vel etiam mortem.

Summam dilectionē à nobis Christus exigit.

Vos amici mei estis si feceritis quæ, &c. Ne caderetur de grauitate præceptorum,addit promissionē, & quidē nō vulgarem. Amicitiam enim suam offert, quæ quantum bonum sit,vel ex hoc coniici potest, q̄ etiam in mundo nihil iucundius est amicitia vera & syncera. Nulla autē amicitia hominū gloriosior est, quàm amicitia Dei.

Amicitia vera nihil in mundo hoc iucundius.

Nulla amicitia hominũ est gloriosior, vtilior constãtior quàm Dei.

Hæc est de qua tam magnificè sancti gloriãtur, vt Ioannes 1.cap.3. Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis Deus, &c. Et 2.Pet.1. Quoniam omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, &c. Deinde nulla amicitia vtilior est quàm Deiid quod manifestant exempla Patrum & omnium piorum. Præterea, nulla amicitia constantior: Deus enim quos semel in amicitiã susçipit, perpetuò retinet, nisi ipsi desciscant. Nunquid, inquit, Isa.49. Potest mater obliuiscì infantis sui? &c. Ego tamen nõ obliuiscar tui. Ad hæc nulla amicitia insignis tam facilè acquiritur, quàm amicitia Dei. Tantùm enim dicit: *Si feceritis quæ præcipio vobis.* Omnes igitur possumus hãc amicitiam adipiscì, quicunque tandem sumus, si ipsius præcepta seruamus.

Homines omnes serui erant, quia peccatores.

Iam nõ dicam vos seruos. Hoc loco Christus subiicit testimonia amoris sui, erga nos: quorum primum est, ꝙ nos non seruos, sed amicos fecerit. Serui erant omnes homines, quia peccatores, Ioan.8. Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati: Nemo nostrum audebat coram Deo comparere, nemo audebat sperare hæreditatem Dei, quin suo tempore etiam è domo Dei eiiciendi eramus. Seruus enim non manet in domo in æternum. In hoc mundo seruos nos fecit peccatum. Deinde serui eramus diaboli qui potenter nobis dominabatur, & quocunque volebat nos ducebat. Præterea & lex seruitutis iugum augebat, quæ & multa & ardua exigebat, nec tamen vires subministrabat, quo fiebat, vt legem quidem ferentes, inuiti tamen & reluctantes, sola spe mercedis, aut timore pœnæ sequerentur. Atqui legem sic obseruare verè spiritus est seruitutis, non spiritus filiorum. Christus igitur dicendo: *Iam non dicam vos seruos*, Ostendit ꝙ ipse nos & à peccatis, & à diabolo, & à lege liberare posit & velit, non vt lex non fiat, sed vt non damnet. Item vt voluntariè fiat & seruetur, quod solus Spiritus.s. præstat, quem Christus dat. Emphasim autem habet, ꝙ dicit, Iam, Iam, inquit, per passionem meam peccatum abolebo, Iam cum diabolo cõgrediar, & vincam, Iam maledictum legis destruam, factus maledictum. Roma.8. Iam spiritum vobis impetrabo, quo deinceps Dei præcepta non seruili spiritu, sed spiritu

Peccatum seruos nos omnes fecit.

Seruitutis lex iugum augebat, ardua exigebat, nec vires subministrabat.

adoptionis,

adoptionis, spiritu libertatis impleatis.

Quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Sicut Paulꝰ discernit filios in hunc modũ, filios esse, in quibus spiritus adoptionis est, Rom.8. seruos in quibus spiritus nõ est, filios hæredes esse vitæ æternæ, seruos eiici: sicut & solus Isaac hæreditatem patris adeptus est, Ismaël aliò ablegatus, Galat.4. Ita Christus hîc discernit seruos ab amicis, quòd serui nesciant voluntatem domini, amici sciant. Non solemus enim seruis concedere arcana consilia. Verè autem dictum est, Seruus nescit quid faciat dominus ejus: Qui enim peccati & diaboli seruus est, non intelligit opera Dei, etiam in creaturis, nec attendit, cur quòdque faciat Deus. Nescit ex creaturis cognoscere creatorem, eiúsque potentiam & bonitatem, Roma.1. Sed nec scit aut intelligit, quid Deus pro salute hominum fecerit & faciat, nec intelligit quid in futuro de bonis & malis futurum sit. Hinc Christus Luc 19. Si cognouisses & tu, &c. Sed abscondita sunt ab oculis tuis, &c. Matth. 11. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, &c. Tanta est cæcitas & ignorantia impiorum: Deinde etiam qui sub lege seruit, nescit quid faciat dominus eius, nescit quid sibi velit lex, nescit quòd non ad iustificationem data sit, sed ad peccati ostensionem. Deinde nescit cur Dominus aduersa immittat, ideò cùm mali quippiam acciderit, irascitur, impatiẽs est, blasphemat, &c. Item nescit bonam Dei voluntatem etiam in aduersis constare, nescit quid de Deo boni sperare possit: Pij autem sciunt consilium domini esse, remittere peccatum, iustificare credentem, sub cruce benedicere, sub morte viuificare, &c.

Filij Dei sunt in quibus spiritus adoptionis est.

Seruorum & amicorum distinctio.

Peccati et diaboli seruus Dei opera, consilia, & bonam voluntatem nescit.

Lex ad iustificationem, & ad peccati ostensionẽ data.

Vos autem dixi amicos, Magna Christiani hominis dignitas, ꝙ amicus Dei dicitur, & est. Hinc enim securè accessum habet ad Deum, hinc nihil non à Deo expectare & petere audet: hinc etiã ad hæreditatem filiorum Dei admittitur, &c. Verùm vnde hæc tanta gratia? *Ego,* inquit, *vos dixi amicos,* Ego illud nomẽ imposui, ad hũc honorẽ perduxi. Per ipsum enim gratificauit nos: Et p ipsum accessum habemus ad Patrem: Et de plenitudine eius accipimus. Monet igitur hoc verbo, vt deinceps nõ

Hominis Christiani dignitas, quòd Dei amicus dicitur, & est.

Eph.1. et 2. Ioan.1.

Per Christũ ad patrem

trem accessum habemus.

vt serui, sed vt amici, in domo Dei conuersemur, hoc est, vt non tantùm timore pœnæ, vel spe mercedis mala fugiamus, & bona faciamus, sed amore & voluntate, vt Deo complaceamus, monet etiam vt in amicitia Dei, quam accepimus maneamus: iuxta illud: Manete in dilectione mea.

Amicitiæ & dilectionis signum maximũ.

Quia omnia quæ audiui à Patre meo nota, &c. Signum amicitiæ & dilectionis est, quòd nobis voluntatem Patris, hoc est, Euangelium annuntiauit. Nisi enim nos dilexisset, non tanta bona nobis reuelasset. Magni igitur æstimemus verbum Dei, & Euangelium: quandoquidem audimus, quòd solis amicis conceditur. Obserua quòd non simpliciter dicit, Omnia vobis nota feci. Non enim necesse est simpliciter omnia nosse, sed addidit, Quæ audiui, non dicit, quæ scio, sed quæ audiui: hoc est, quæ iussus sum manifestare. Omnia, inquam, quæ ad salutem vestram necessaria sunt, & iam ostendi per verbum meum, & deinceps ostendam per Spiritum meum. In hunc modum & Ioannes dicit, 1. cap. 2. vnctio vos docebit de omnibus .s. ad salutem necessariis. Cæterùm per hoc quòd dicit, se ea à Patre audiuisse, innuit, quòd qui verbum suum recipit, nõ solùm eius, sed & Patris amicus efficitur. Omnia hæc eò tendunt, vt videamus quæ à Deo donata sint nobis, 2. Pet. 1.

Omnia ad salutẽ necessaria nobis Christus manifestauit.

Exordium et finis aut nostræ salutis perfectio.

Non vos me elegistis, &c. Paucis & breuissimis verbis hîc explicat exordium & finem, vel perfectionẽ nostræ salutis, vt non absurdè hîc exclamare possim cum Mose, Deut. 6. Verbum quod hodie tibi præcipio, semper sit in corde tuo, narrabísque filiis tuis, sit quasi signum in manu tua, &c. Docet autem hoc primo verbo, quòd Deus nullius hominis debitor est, q.d. Qui per alios honorem aliquem consequũtur, meritò eorum debitores sunt. Vos autem me non elegistis, nihil mihi priores contulistis, nullius vestrum debitor eram, nihil meriti eratis, vt ad tantam gratiam perduceremini, poteram & vos cum aliis relinquere, quod in vobis est, non minus periissetis, quàm cæteri infideles. Sic in Isaia dicit, cap. 43. Non me inuocasti Iacob, &c. sed seruire me fecisti in peccatis tuis, &c. Sic Paulus ait, Ephes. 2. Gratia saluati estis per fidem, non ex operibus, Dei donum est,

est, ne quis glorietur. Item Tit. 3. Apparuit benignitas & humanitas Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, &c.

Salutis nostræ principium ex æterna electione ad salutẽ, pendet.

Sed ego elegi vos, Quo verbo ostendit vnde sit salutis nostræ principium. *Ego*, inquit, *elegi vos*. Quod potest intelligi, vel de electione ad Apostolatum, vel de electione æterna ad salutem. Vtrobíq; enim gratia est, non meritum, & vtrunque per Christum fit. In ipso siquidem & per ipsum elegit nos Deus ante mundi constitutionem, Ephes. 1. Ipse item est, qui ascendens in altum, dedit dona hominibus. Et alios quidem dedit Apostolos, alios Euangelistas, &c. Ephes. 4. Singulæ autem dictiones emphasim habent. Ego, inquit, qui Deus sum, ac propterea nullius indigens, ego qui punire & damnare poteram, non simpliciter assumpsi, sed elegi vos, multis aliis neglectis s ex massa corruptionis. Elegi autem vos qui in nulla re præ aliis conspicui eratis. Non, inquit, elegit te Dominus, quòd maior esses aliis, sed tantùm ob id quòd dilexit, &c. Deuter. 7. Nec propter iustitias vestras, cùm sis populus duræ ceruicis, Deuter. 9. Elegi vos non diuites, non potentes, sed vos pauperes, idiotas, &c. Videte igitur vocationem vestram fratres, 1. Corinth. 1. Docet igitur Christus hoc verbo, quòd ipse sit auctor nostræ salutis. Deinde quòd gratia est, quicquid habemus, siue sint dona illa iustificantia, fides, spes, charitas, Spiritus, scilicet, siue externa illa dona, quæ alio nomine dicuntur gratiæ gratis datæ: de quibus Paulus in prima ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4. scribit, vtraque dona per Christum accepimus, vtraq; in ipsum referenda sunt, Sequitur.

Electio ad Apostolatũ & ad salutem pendet à Christo.

Et posui vos vt eatis, Iterum alludit ad parabolam de vite & palmitibus. Sicut, inquit, ex vna vite plures palmites nascuntur, quorum aliqui posteà & ipsi plantentur, vt ex vna vite cum tempore efficiatur tota vinea: sic & ego vos posui & plantaui, vt & alij ex vobis pullulent, sicque totus mundus impleatur. Posui vos vt eatis, vos latius extendatis. Non enim tantùm vestri causa electi estis, sed & pro salute aliorum. Item posui vos vt eatis: nolite sedentes expectare, donec homines ad fidem veniant, sed errantibus manum porrigite, & etiã audite

Electit nos Deus, quia dilexit.

Salutis nostræ author Christus.

Donorum alia interna: alia externa.

Episcopi in Ecclesia positi non vt sibi, sed vt salutis aliorum consulant.

nolentibus, imò & persequentibus sermonem salutis ingerite, &c. Hoc est officium Apostolorum. Pertinet hoc verbum etiam ad omnes. Ideò enim in Ecclesia positi sumus, non vt nobis tantùm consulamus, sed vt etiam alios, quos possumus adducamus. Item ideò in Ecclesia positi sumus, vt eamus de bono in melius, de fide in opus, sempérque proficiamus, non vt sedeamus, multò minus vt retrocedamus.

Et fructum afferatis. Quod etiã refertur ad Apostolos, quorum officiũ est fructus ferre in horrea domini, iuxta illud Psal. 25. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Hinc Paulus. 1. Corin. 9. Væ mihi si non euangelizauero. Signãter autem dicit, *vt fructum afferatis*, non vt ab aliis fructum accipiatis, sed vt ipsi aliis profitis. Licet quidem pastoribus accipere de lana ac lacte ouium, sed non hoc potissimum est, quod eis incumbit: sed pascere, custodire, fouere, &c. Deinde etiã ad omnes nos pertinet verbum hoc: nobis enim indicitur vt fœcundi simus operibus bonis, si non volumus excidi, & in ignem mitti. hinc Dauid dicit, Psalm. 91. Iustus vt palma florebit, &c. Et Christus Matt. 5. Luceat lux vestra coram hominibus. Et Paulus. 1. Tim. 6. Studeant diuites fieri bonis operibus.

Episcoporũ munus est vt in horrea domini fructus afferant.

Pastoris est vt bonis operibus dies fiat.

Et fructus vester maneat. Manet fructus Apostolorum, quia sunt Ecclesiæ in æternum manentis fundamentum, Iesu Christo summo angulari lapide existente, Ephes. 2. Deinde ideò manet fructus eorũ, quia prædicarunt Euangelium, quod est verbum in æternum constans, Luc. 21. Cælum & terra transibunt, verba autẽ Christi non. Præterea ideò etiam fructus eorum manet, quia pro labore suo in æternum præmiabuntur. Hoc igitur verbo Apostolos consolatur, ne propter suam humilitatẽ desperent se quicquam posse in mundo fructificare. Non solùm inquit fructificabitis, sed etiam fructus vester manebit. Manet & piorum fructus, propterea quòd sunt fructus spiritus in æternum manentis, Galat. 5. Deinde quòd & ipsi æternaliter præmiabuntur. Admonemur ergo hoc verbo vt ea operemur, quorum fructus perpetuò manent, non temporalia quæ transeunt. Qui enim in carne

Euangelium, Verbum est in æternũ constans.

Piorũ fructus in æternum præmiabitur.

seminat,

seminat, de carne metet corruptionem, Gala. 6. Thesaurizate ergo vobis thesauros in cælo, &c.

Vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, &c. Ne vel de labore, vel sua infirmitate caussentur, addit insignem promissionem, qua ostendit vnde auxilium sit petendum, vt fructificare possimus, nempe à Deo per orationem. Primus fructus Spiritus, scilicet, oratio. Misit enim Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater, Ro. 8. Manet autẽ iste fructus in nobis. nam quamprimùm renati fuerimus è spiritu, sine intermissione Deum vt Patrẽ appellamus. Vnde Paulus. 1. Thes. 5. Sine intermissione orate. Non igitur habet Christianus quòd conqueratur de impossibilitate præceptorum, cùm tantam habeat promissionem & toties repetitam.

Spiritus sancti fructus primus, oratio.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicẽ, Hoc iam tertio præceptum charitatis repetit, vt sciamus ante omnia à Christiano exigi charitatem. Hinc cùm dixisset Apostolorũ officium esse, vt euntes fructum ferant, prædicando scilicet gentibus, congruè subiecit præceptum dilectionis, quod vel solùm eos ad huiusmodi pios labores inducere debet. Qui enim cogitat sibi præceptum esse vt diligat proximum, is non facilè fugiet pro salute proximi labores subire. Præterea dicturus de futura ipsorum persecutione, præmittit præceptum dilectionis. Non paruum enim solatiũ præstat in aduersis, mutua dilectio fratrum, vt quando nullum à mundo habemus solarium, saltem inter nos alter alterum consoletur.

1. *Ioan.* 4. *Ante omnia à Christiano exigitur charitas.*

Fratrum mutua dilectio præstat in aduersis solatium maximum.

2. Secundò in hac concione prædicit Christus suis discipulis persecutionem, & admonet ne patiantur se ea deuelli à Christi & mutua dilectione. Mundus vos odio habebit & persequetur, nõ ait, prosequetur vos odio rex quidam, princeps aliquis, fratres, famulus, vicinus, vna ciuitas, aut vnum tantùm regnum: sed totus mundus, qui nihil aliud est, quam cœtus hominum contemnentium verbum Dei, non credentium Euangelio, abnegantium veritatem, negantium Ecclesiam Romanam, non agnoscentium septem sacramenta, non confitentium charitatis iustitiam. Hic cœtus iunctus principi & capiti suo diabolo, Catholicos omni tempore & loco persequetur. Necesse est ergo vt tantum odium mundi

nimia

Christum et Romana Ecclesia docet inimicos diligendos.

nimia charitate mei superetis. Nunquam enim conueniet inter Christum & mundum. Nam Christus, Apostoli, & Ecclesia catholica Romana docent diligendos esse inimicos, charitatem iustificare, opera iustificatorum, quia Spiritu Christi fiunt, digna esse vita æterna. Mundus verò docet odisse quotquot verè fideles sunt, vt qui filij Christi sint, negat charitatis virtutem, & eius dignitatem, facitque iniuriam Spiritui sancto, qui in nobis viuit.

Mundus docet odiẽdos esse fideles, negátque dignitatem charitatis ac virtutẽ.

Cùm enim mundus maior sit pars: nempe, Turcæ, Gentiles, Iudæi, Barbari, Lutherani, Hugonistæ, videtur pios omnes oppressurus. Sed consolatur nos Christus, dicens, *Ego elegi vos*, Item, *Scitote quia mundus me priorem vobis odio habuit*, Ac si dicat, nihil noui vobis contingat: vetus mundi ingenium est, quòd ingratus est in bene consulentes. Hinc 1. Ioan. 3. Nolite mirari si odit vos mundus. Nec solùm cum omnibus sanctis, sed cum capite vestro Christo patiemini. Multò autem melius est cum sanctis & Christo pati, quàm cum impiis gaudere. Si enim cum illis patimur, simul etiam cum illis glorificabimur. 2. Corinth. 1.

Mundus prius Christũ odio habuit, quàm nos.

Melius est cũ sanctis pati, quàm cum impijs gaudere.

Non est seruus maior domino suo. Nihil enim est quod æquè consolari potest hominem, & patientem reddere quàm si cogitet se non maiorem esse domino. Quomodo enim audebit murmurare, quum videat dominum eadem, imò maiora passum esse? Quomodo audebit dulcia appetere, qui videt dominum spinis coronatum? Hoc modo Elias consolabatur seipsum, 3. Reg. 19. Obsecro, inquit, domine, tolle animam meam. Non enim melior sum quàm patres mei. Summa, Ideò nos elegit, vocauit, iustificauit Deus, vt efficiamur conformes imagini filij eius, Rom. 8. Christus crucifixus est, nemo ergo meliora sperare debet. Qui, inquit, vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me, Matth. 16.

Consolatio maxima inde nobis oritur, quia dominũ ma iora quàm nos passus est.

Inimicitiarum consuetudo.

Si me persequuti sunt, & vos persequẽtur. Hæc enim inimicitiarum consuetudo est, quòd qui dominum persequuntur, etiam seruos fidelitati eius studentes persequantur, Luc. 23. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? inquit Christus. Qui in Deum impius est, quomodo pius

pius erit in proximum?

Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt, Si me in verbis meis insidiosè obseruauerunt, & vobis laqueos ponent. Vel si mihi crediderunt & vobis credẽt. Quo verbo monet, ne ideò à prædicatione cessent si pauci credant: Nam & Christo pauci crediderunt. Et Moses fidelis in domo Dei, ex omnibus quos ex Ægypto duxit, vix duos in terram promissam induxit, Num. 14. Et prophetæ nusquam non conquerũtur se non audiri. Domine, inquit Isaias 53. quis credidit, auditui nostro? Item 49. Hæc dicit dominus vt reducam Iacob ad eum, & Israël non congregabitur. Et Oseas 7. Ego, inquit, erudiui eos, & ipsi cogitauerunt in me malitiam. Exemplo igitur agricolæ, ager diligenter colẽdus, sed fructus Deo committendus, quòd ipsius opus est, ipse dat incrementum. 1. Cor. 3. Paulus plantat, Apollo rigat, Summa.

Ideò non à prædicatione cessandum si pauci credant.

Agri fructus Dei est opus.

Ex his omnibus mirifica & incomparabilis oritur nobis consolatio, quæ minuit dolorem, cùm scimus Christum eadem & maiora passum, quàm nos patimur, cùm scimus etiam nos non de mundo, id est, de regno satanæ, sed membra Christi esse. Et hæc eò attentiùs obseruemus, quò maior est, ac dignior, qui nobis doctrinam proposuit. Quis etiam dubitabit crucem subire, quam Christus ascendit? Quis contemnet Ecclesiam Romanam, quam Christus ædificauit? Incredibilem quoque lætitiam pariunt Christianorum animis verba illa Christi, Ego elegi vos; Scitote quia me mundus priorem vobis odio habuit. Quis est tam stupidus, qui non vltro lubẽnsque grauissima quæque pro Christo Iesu, & pro eius Ecclesia catholica, atque eius doctrina, tormenta, conuitia, probra, & alia quæ mundus excogitare poterit, non toleret, potiùs quàm ab ipso deficiat?

Ego elegi vos, incredibilis lætitia fit animis Christianorum.

3 Tertiò in hac concione consolatur Christus discipulos, vt patienter ferant futuras, & iam imminentes afflictiones. Est autem hæc consolatio quadruplex, Sic enim ait, 1 *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Hic considerabimus, iniquum esse seruum illum, qui cùm videat herum suum pane & aqua contentum, velit vino & delicatissimis cibari. Non decet nos

Consolationis genus quadruplex. Primum.

igitur

igitur crucem, quæ est symbolum ducis nostri, militare, abhorrere.

Secũdum. 2 Ait, *de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus.* Hic cõsiderabimus, quòd Christus nos elegerit de mundo, qui si sua misericordia nos non elegisset, ex mundo & de mundo sicut cæteri essemus, & perditi. Et quia Christus nos elegit, & relicto mundo ipsum sequimur, confitemur, & imitamur: ideò mundus nos odit. Mala autẽ scabies nõ amat nisi cõmodè scalpentem. Obserua hìc malitiã mundi, quòd nedum malus est in se sed & bonos odit, & argui nõ vult, quod est certissima dãnatio eius. Prouerb. 29. Viro qui dura ceruice corripientem contemnit repentinus superueniet interitus.

Scabies mala commodè amat scalpẽtem.

Tertium. Grauissima tormenta non nisi propter confessionẽ nominis Iesu illis fuisse inflicta.

3 *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum, &c.* Hic considerabimus tormenta & reliqua grauissima mala, Apostolis, martyribus, à tyrannis & mundo illata, non propter sua peccata, sed propter confessionem nominis Iesu illis fuisse inflicta. Quia credebant & confitebantur Iesum esse salutem, Saluatorẽ, redemptorem, reconciliatorem animarum nostrarum: ideò illos neci dabant. Fœlices eos qui pro Christo patiuntur, atque reliquos pios catholicos, qui propter nomen Christi & eius sponsæ Ecclesiæ Romanæ, persecutionem patiuntur. Hinc B. Petrus 1. ca. 4. Si exprobramini in nomine Christi, beati. Item, communicantes passionibus Christi gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis. Et illud Eccl. 4. Pro iustitia agonizare pro anima tua, &c. quia Matth. 5. Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam. Ostendit igitur Christus hoc verbo sibi fieri, quicquid mali piis infertur, iuxta illud Luc. 10. Qui vos spernit me spernit. Et illud Zach. 2. Qui tãgit vos, tangit pupillã oculi mei.

Quartum. Hæretici ideò errãt, quia Christi sponsam odio prosequuntur.

4 *Nesciunt me, & oderunt me. Qui autẽ me odit, & Patrẽ meum odit.* Hic considerabimus, quemadmodum olim Iudæi errabant, dicẽtes nosse Deũ ipsúmq; Patrẽ habere cùm Christũ verũ eius filium persequerentur: ita & nunc nostri tẽporis hæretici errãt, dicẽtes se nosse Christũ, cùm eius sponsam, Ecclesiã Romanã, summo odio prosequantur. Qui odit Ecclesiam Romanam, odit & Patrem eius, & sponsum Christũ Iesum Saluatorẽ nostrum: qui illam regit, gubernat, protegit atq; defendit. Hinc implerum oraculum Psal. 34. Quia odio habuerunt me sine causa, imò retribuebant mala pro bonis. Quibus verbis indicat Iudæorum peccatum in summo gradu esse. Tolerabile siquidem est apud mundum saltem, si quis prouocatus aliquem odit, vtcunque ignoscì potest, si quis ignotum oderit. cæterùm quis ignoscat illi, qui & notum & benemerentem odio prosequatur? Gratis igitur odiebãt Christum, quia nihil mali ipsis fecerat, nec quicquam mali in ipso erat, neque aliquam odij causam, sed summæ dilectionis fomitem illis præstabat.

Iudæi gratis Christũ odio habebant.

Qui igitur veri discipuli Christi sunt, doctrinam eius quam Romana tenet Ecclesia, charã habeant. Si ob istam causam complures odio ipsos prosequuntur, nec mirentur, neque turbẽtur: nam Christum etiam mundus odio magno prosequutus est: non debet esse seruus supra dominum, discipulus supra magistrum. Quin lætentur vt qui pro Christi nomine patiantur, & à Christo sint electi, vt cum ipso in æternum regnent in gloria, Amen.

EPILOGVS.

Mutua dilectionis necessitatem, qualitatem & vtilitatem.

1 *Ostendit mutua dilectionis necessitatem, qualitatem & vtilitatem. Ipsa enim in mediis malis, magno est solatio inuictos reddens contra omnia mundi mala odia q;. Vnde Apost. Colloss 3. Super omnia autem charitatem habete, quòd est vinculum perfectionis & pax Christi exultet in cordibus vestris, in quo & vocati estis in vno corpore. Augustinus benus magister dilectionem sæpe commendat, tanquam solã præcipiendã sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, (1. Corin. 13.) & quæ non possit haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.*

Mutua dilectionis qualitas et vtilitas.

Sine charitate bona reliqua nõ prosunt.

Ciuitas dei & diaboli ab exordio mundi cõstrui cæpit.

2 *Duæ ciuitates ab exordio mundi construi cæperunt: Prima Dei, altera diaboli: Prima bonorum, altera malorum. Et hæ ciuitates semper sibi aduersantur. Ciues Babylonicos mundus diligit, vt suos: ciues vero Ierosolymitanos odit & persequitur. Non tamen de hoc tristandum sed potius gaudendũ. Per hoc enim apertè monstratur, quòd ciues sint sanctorum, quòd mundo dissimiles, quòd iusti, quòd veritatem dicant. Suo enim tempore stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Sap. 5.*

Ciues sanctorum qui dissimiles sunt mundo.

3 *Causa omnium malorum quæ mundus agit, est quòd nesciunt Deum, & quòd non attendunt quòd filium miserit.*

IN

IN FESTO OMNIVM SANctorum, Epistola.

Apoc.7. *Ecce ego Ioannes vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, &c. Finis Epistolæ: fortitudo Deo nostro, in secula seculorum, Amen.*

IN hac lectione Apocalypsica describitur nobis vniuersa communitas, & politia Sanctorum, hoc est, Ecclesiæ mysticæ. Et sunt tria præsertim quæ in ea proponuntur, quæque & nos expendere oportet. Primum est, quisnam sit Ecclesiæ seu Sanctorum auctor, collector, custos, & propugnator, de quo Apostolus sic inquit. *Vidi alterũ angelum ascendentem ab ortu solis, habentẽ sigillum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicẽs Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus suis.* Quemadmodũ autẽ Satan princeps huius mundi est, Ioã. 14. sic etiã in mundo dominatur, imò tyrannidem exercet in suos. Nã hoc datũ illi est à Deo, vt quando impij & increduli nolint resipiscere, ipse eorum sit dominus & tyrannus. Verùm ille, quia est crudelitate præditus, non satis habet suorum dominari, sed & electos Dei, ipsam nimirum Ecclesiam insuper aut in suum consortium abducere, aut extinguere conatur. Hinc nempe & dominus dicit, Videte: Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Quare ne ille pro sua libidine cum Ecclesia agat, accedit angelus ille ab ortu solis ascendẽs & habens sigillum Dei viui, nimirum ipse Iesus Christus Seruator noster. Nam is ab ortu solis ascendit verè hoc est, ab alto cælo oritur: verus ille oriens & sol iustitiæ, verus Messias & Dei viuentis filius, quò ascendit, vt interpellaret pro nobis, qui secundum humanitatem angelus seu nuntius fuit, secundum verò diuinitatem, est sigillum Dei viui, hoc est, expressa imago inuisibilis Dei & paternæ gloriæ, Coloss. 1. Hebr. 1. Is, inquam, auctor & caput Ecclesiæ est, Ephes. 5. Is Ecclesiæ est collector, Ioan. 10. & 11. Is quoque Ecclesiæ est defensor ac custos, Ioan. 17. Rom. 8. Is voce sua magna, sua diuina potestate, suo verbo prohibet quatuor angelis, terræ & mari nocituris, hoc est, ipsis dæmonibus, ne noceant Ecclesiis sanctis, electis credentibus, ne eis vel capillum vnicum auferant. Permittit quidem illis nonnũquam, vt in externum sęuiant corpus, at vt in animam, nequaquã. Sic enim ait Ioann. 10. Oues meæ non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Sic & Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Et apud eundem 17. ad Patrem: Quos dedisti mihi, inquit, ego custodiui, & nemo ex eis periit. En tanto auctore, propugnatore, collectore, custode, & assertore, gaudet Ecclesia.

Ecclesiæ seu sanctorũ auctor, custos & propugnator Iesus Christus.

Satanæ potestas in impios à Deo data.

Luc. 22.

Tituli Christi insignes.

Christus permittit vt dæmones aliquã do i corpus externũ sęuiant: non in animã.

2 Secundus autem est, quibus populis cõstet Ecclesia, seu è quibus populis collecta sit, de quo Ioannes sic ait, *Et audiui numerũ signatorum, cẽtum & quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorũ Israël. Ex tribu Iudæ: 12000 signati. Ex tribu Ruben: 12000. signati. Ex tribu Gad: 12000 signati. Ex tribu Aser: 12000. signati. Ex tribu Neptalim: 12000. signati. Ex tribu Manasse: 12000. signati. Ex tribu Symeo: 12000 signati. Ex tribu Leui: totidẽ. Ex tribu Isachar: totidem. Ex tribu Zabulõ: totidẽ. Ex tribu Ioseph, totidẽ. Ex tribu Beniamin. 12000 signati. Post hæc vidi, & ecce turba multa, quã dinumerare nemo poterat, ex omnibus gẽtibus & tribubus & populis, & linguis, stantes ante thronum & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorũ.* Ex his verbis docemur Ecclesiam collectã esse, & ex Iudæis & omnibus gentibus. Nã (vt Petrus in Act. cap. 10. inquit) in omni gẽte qui timet Deũ & iustiam operatur, is acceptus est Deo. Propterea & Paulus, Ro. 10. dicit: Nõ est distinctio Iudęi & Greci. Nam idem dñs omniũ, diues in oẽs inuocantes se. Et Ephe. 2. Christus viuẽs euãgelizauit pacem, vobis qui procul aeratis, hoc est, gẽtibus: & iis qui prope, hoc est, Iudęis: Quia per illum habemus aditum vtrique in vno spiritu ad Patrem. Est igitur Ecclesia per vniuersum orbem, per omnes populos diffusa, ideóque rectè Catholica dicitur.

Ex omni gẽte Ecclesia est congregata, et præcipuè ex Iudæis.

Iudæorum quidem populum præ omnibus aliis sibi prius in peculium elegerat dominus. vnde & ex his primùm Ecclesia collecta est: deinde verò vbi electis separatis, alij iugum dominicum, suum Seruatorem, & Euã-

gelicam gratiã prorsus aspernarẽtur, & reiicerent, sunt & ipsi reiecti, Act. 13. Quare in illorum locum assumere dignatus est dominus gentes quascunque & nationes. Ita Ecclesia, vt dictum est, populus est tam ex Iudæis, quàm gentibus in fidei vnitatem & vnicam cælestis hæreditatis spem collectus: & semper stat ante thronum, & in conspectu agni, hoc est, conuersationem habet in cælis, conuersatúrque sine querela & coram Deo, & coram hominibus. Hinc nimirum amictus est stolis albis, & palmæ in manibus eius. Nam stolarum albedo, vitæ puritatem: palmæ autem latam de peccatis victoriam. Et ex his signis vera Ecclesia deprehenditur.

Stolarum albedo, vitæ puritatẽ: palmæ autem latam signat de peccatu victoriam.

3 Tertiũ verò est, quas proprietates siue quæ exercitia Ecclesia habeat, quis sit sermo eius, quid prædicetur ì eà & è quibus signis possit deprehẽdi. de his Ioãnes sic ait: *Et clamabant voce magna, dicẽtes, Salus ei qui sedet super thronum Dei nostri & agno. Et oẽs angeli stabãt in circuitu throni & seniorũ & quatuor animalium, & procubuerũt in cõspectu throni in fvcies suas, & adorauerũt Deũ dicentes, Amen. Benedictio, & claritas, & sapiẽtia, & gratiarũ actio honor & virtꝰ, et fortitudo Deo nostro in secula seculorũ.*

Porrò clamore magno Deo & Agno dicere salutem, est salutẽ & oĩa bona soli Deo & Christo tribuere, non suis viribus aut meritis, nec alicui creaturæ: est item omnia ad solius Dei gloriam, tãquam ad supremũ finem referre. Ii igitur verè sancti & de Ecclesia sunt, qui habent fidem veram, & conscientiam purã, qui sanctè & iustè viuunt, qui oẽs tentationes, afflictionésque patientia superant, qui denique omnem salutem & gloriam vni Deo & Christo tribuunt. Quemadmodum enim Christus cognoscit suas oues, nempe Ecclesiam: sic & Ecclesia vicissim cognouit vocem sui pastoris & custodis. Hinc de nullo alio scit loqui, de nullo alio canere, nullum alium laudare, adorare, colere, & inuocare, quàm illum solum nempe, sedentem super thronum Dei, id est, ad dextram Patris, & habentem omnem potestatem in cælo & in terra Matth. 28. Ei, inquam, vni ascribit omnem benedictionem, honorem, sapientiam, virtutem, & fortitudinem. Et hoc facit non ore solùm, sed & corde atque vita.

Deo & Agno salutẽ dicere, est omnia Christo, non alicui creaturæ tribuere.

Verè sancti & Christiani, qui.

Si ergo & nos in Ecclesia, ac sancti verè esse volumus, hîs

his iisdem studeamus præditi esse signis, simus & ipsi fide vera & conscientia pura, sanctè, & iustè per charitatem, pérque bona opera viuamus, in omnibus tentationibus & afflictionibus præsenti simus robore, omnémque denique & salutem & gloriam Deo per Christum acceptam feramus.

EPILOGVS.

1 *Christus auctor, propugnator, collector, custos et assertor est sponsæ suæ Ecclesiæ. Quare oleum & operam perdunt, angeli illi quatuor Tanarÿ, quatuor orbis terrarũ fines peruolãtes, & nocẽt. Typus eius loci, est conseruatio cõsignatorũ in Aegypto, Exod. 12. Angelus percutit quidem primogenita, sed nõ domus signata: hoc est, Ecclesiæ filios, ipsámque Ecclesiam.*

2 *Ecclesia Christi ex Iudeis & gentibus collecta constat. Vbique multa mĩsa, & multæ turbæ signatæ, et ex omni natione quæ sub cælo est ad vnam Ecclesiam vocatæ. vnde Ecclesia omnium nationum & linguarum, soli Caluinistæ, soli Anabaptistæ, &c esse non possunt, qui in vnico frigido orbis angulo aut apud vnicam natiunculam latitant.*

3 *Ad filios Ecclesiæ pertinet colere semper & magnificare Deum, & omnis nostra salus ascribenda, cùm hoc etiam angeli faciant, Matth. 18. Hebr. 1. & 4. domini enim est salus, ait Psal. 3.*

IN FESTO DIVORVM omnium, Euangelium.

In illo tempore. Videns Iesus turbas, ascendit in montem, &c. Finis Euangelij: Quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Matth. 5.

OMnes quotquot sumus, nobis bene esse cupimus, & veram fœlicitatem ante omnia inquirimus. Quibus verò in rebus sita sit vera fœlicitas, & qui re vera beati sint, in hoc mirè variarunt huius seculi sapientes. Nam D. Augustinus lib. de ciuitate Dei 19. capi. 1. ducentas & octogintaocto sententias de vera beatitudine variantes numerat. Non solùm autem sapientes hîc variarunt, sed vulgi quoque variæ fuerunt opiniones, vt & hodie plerunque sunt. Cæterùm ex corruptis sententiis de fœlicitate in primis

Opinio sapientũ huius seculi variæ de vera beatitudine.

priuntur omnia peccata vitæ, dum quisque vitium pro virtute sectatur, sicque aliis subinde atque aliis implicatur peccatis. Vt igitur nostris prauis animis prauas opiniones eximeret dominus, veráque contrà inseret, differit in hoc Euãgelio de vera beatitudine; & sic quidem differit de hac, vt simplicissimè eam ostendat, simúlque refutet quæ mundus existimat beata.

Beatitudo vera à Christo simplicissimè ostenditur.

Prius verò quàm ad beatitudinis explicationem veniamus, expendendę sunt paucis historiæ circunstantię, quas Matthæus adducit. Sic enim inquit: *Cùm vidisset Iesus turbas, ascendit in montem: & quum considisset, accesserunt ad illũ discipuli eius. & aperiens os suum, docebat illos.* Multæ turbæ (vt testatur Euãgelista in fine præcedentis capitis) sequebantur Dominum, à Galilæa, à Decapoli, & Hierosolymis, & Iudæa, & à regionibus trans Iordanem sitis. Quum igitur has videret feruenti stomacho animi cælestes apperere dapes, non frustratus est desiderium ipsarum, ideóque quum introducatur vbique in sacris clemens & misericors, quíque possit affici sensu infirmitatum nostrarum, promptissimo animo totum pietatis negotium & ipsis Apostolis exposuit fidelissimè.

In montem cur Christus ascenderit, & quid suo ascensu declarare voluerit. Exod. 19.

Quòd autem ascendit in montem, id primò fecit propter auditorum copiam: deinde verò & loci celsitudine declarauit, se nihil humile terrenúmque traditurũ, sed ardua cælestiáque omnia. Quin & Mosis retulit exemplum, vt qui legem prodituras populo, montẽ ascẽdisse legitur. Item propheticum dictum Isaiæ 40. in sese cõpletum opere declarauit. Super montẽ excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, qui euangelizas Ierusalem.

Confessus Christi quid portendebat.

Præterea, q̃ consedit concionaturus, eo corporis habitu innuit se animum requirere attentum & pacatum, non oberrãtem & tumultuantem per omnia. Sedit item tanquam doctor iustitiæ, & Euangelicæ legis institutor, Isa. 33. Et iuxta Bernardum benignissimè prorsus inclinauit sese, & exinaniuit vsque ad sessionem. Sedit enim, vt ad eum quem nec ipsi quidem angeli stantem attingere poterant, etiam publicani & peccatores accedant, accedat Maria Magdalena: accedat & Latro in cruce, & Petrus negans: quasi dicat: Venite filij, audite me: timorem domini docebo vos.

Quod verò dicitur os suum aperuisse, eo designatur dominum summa modestia & totius corporis gestu, habitu exquisitissimo in concionando esse vsum: suggillãtúrque illi qui in concionibus indecoro corporis gestu, athletica membrorum iactatione, & crebra turpíque totius vultus transformatione vtuntur. Aperuit tunc os suum, qui prophetarum prius aperuit ora. Heb. 1. Multifariè multísque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè diebus istis, &c. ac si dicat illud Isa. 52. Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.

Modestia Christi in concionando.

Nunc consequenter in hoc Euangelio scalam certissimam erectã habemus, per quã ad æternam beatitudinẽ ascenderunt omnes sancti Dei: per quam & nos (si quidẽ beati cũm illis esse velimus) ascendere oportet. Habet autem ea octo gradus distinctos, quorũ primus est paupertas spiritus, de quo ad hunc modum dicit dominus:

Scala ad beatitudinem æternam nobis erexit Christus.

1 *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnũ cælorũ.* *Luc. 6.*

Mundus illos in primis beatos esse putat, quibus amplissimæ suppetunt opes, quas comitari solet superbia turgens, & insolens arrogantia. Psal. 143. Beatum dixerunt populum cui hęc sunt, &c. At Christus illos potius beatos esse pronuntiat, qui pauperes sunt, & pauperes quidẽ spiritu: hoc est, qui humili ac submissa mente sunt prædicti, qui modestissimè de sese sentiũt, quique nihil præsidij in perituris opibus ac inani huius mundi strepitu collocant. Hi enim vt reuerà in terra fœlices sunt, ita & post hanc vitam in summam extollentur in cælis sublimitatem. Hæc quoque paupertas spiritualis aliud nihil est, quàm vera agnitio peccati, & ex hac abiectio condemnatióque suiipsius. De qua nimirũ spiritus paupertate loquitur dominus, Isa. 66. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem sermones meos? Quisquis ergo ad iustificationem & spem beatitudinis pertingere cupit, sic pauper ante omnia sit necesse est, vt agnoscat ex animo & peccata sua, & commeritas pœnas, & Dei irã aduersus peccata, vtque ob id sese & coram Deo & coram omnibus hominibus humiliet, ac condemnet, quemadmodũ Publicanus tundebat pectus suum, & ait: Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc. 18.*

Primus gradus paupertas spiritus.

Paupertas spiritualis quid sit.

Hæc beatitudo quanuis omnibus electis sit cõmunis,

Paupertas spiritu beatis angelis propria.

est tamen beatis angelis propria, qui angelis apostatis superbientibus, non habuerunt elationis spiritum. ruentibus enim malis angelis per superbiam, omnes reliqui angeli stabant in circuitu throni, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, per humilitatem, & adorauerunt Deum, Apoc. 7.

Psalm 37. Secundus gradus mã suetudo.

2 *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Habentur à mundo beati, qui peritia rei militaris, fortitudineque bellica & regna sibi complurima subiiciunt, & orbi vniuerso terrori sunt: vt olim Assyrij, Babylonij, Medi, Persæ, Græci, Romani: itémque qui suum ius, imò suam libidinem citra respectum & metum cuiusquam per omnia grassando persequuntur.

Mites qui sint.

Cæterùm dominus contrà mites beatos pronuntiat, qui videlicet cedunt improbitatibus, non resistunt malo, sed in bono malum vincunt, ergáque omnes & animo & verbis leues sunt. His promittitur terra, longè mirum spatiosior & melior ea, quam crudeles illi vi possident: non quæ tribulos profert & spinas, sed de qua

Psalm. 26

Psalmista canit, dicens: Credo videre bona domini in terra viuentium.

Deinde hic gradus oritur ex primo. Qui enim verè peccata sua & commerita supplicia sentit, is sese quibuslibet hominum iniuriis quãtumuis immeritò sibi illatis ducit dignum, ideóque leniter & citra vllam indignationem eas sustinet, cogitans se longè grauiora commisisse ac cõmeruisse: timénsque, si talionem reddiderit, & Deum mox sibi talionem redditurum. Si igitur videri volumus verè agnouisse peccata nostra, & humiles esse spiritu, simus mites, ne vlciscamur nosipsos, condonemus noxam lædenti, vincamúsq; in bono malum. Sic enim futurum est vt nec nos pro merito nostro puniturus sit Deus, sed transferat tandem in terram viuentium.

Mititas patriarchis conuenit.

Hæc autem beatitudo potissimè patriarchis cõuenit, qui mitissimi fuerũt. Exẽplo sunt, Abrahã, Gen. 13. & 16. Isaac, Gen. 32. & 33. Moses, Numer. 12. Dauid, 2. Reg. 16.

Tertius gradus luctus.

3 *Beati qui lugent, quoniam cõsolabũtur.* Vulgò illi putãtur beati, quibus omnia cedunt prosperè, quíq; in risu & gaudiis versantur. Verùm si rem æstimauerimus, deprehendemus hos molles & effœminatos omnium esse miserrimos

serrimos. Nam dominus apud Lucam 3. Væ, inquit, vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. At beati sunt domino lugentes, qui nimirum dolent & plorant apud semetipsos peccata commissa, errores, studium nimium terrenarum, & neglectum rerum diuinarum: qui item tanguntur infortunio fratrum, mundíque adeò incredulitatem & ingratitudinem apud se seriò deplorãt. Hos consolabitur dominus Deus pater misericordiarum & Deus totius consolationis, remittens videlicet peccata, confirmans corda, & æternum in cordibus excitans gaudium.

Lugentes qui sint.

2. Cor. 1.

Et hic gradus ex superiori dimanat. Qui nanque intimè peccata agnouit, & immensitatem iræ diuinæ seriò expendit, quid is aliud potest atque flere & scindere cor suum? Exemplo mulieris peccatricis Luc. 7. Petri Luc. 22. Dauidis Psal. 6. 101. Lugeamus itaque & nos ob peccata nostra, si sapimus, & consolationis diuinæ participes fieri velimus. Cor nanque contritum & humiliatum Deus non despiciet, Psal. 50.

Hæc beatitudo etsi omnibus electis conueniat, præcipuè tamen dici potest de Prophetis, qui lugebãt populi peccata atque damnationem. Talis fuit Samuel, lugens Saulem. 1. Reg. 16. Ieremias cap. 9. Et Christus ipse Luc. 19. Quos Apostolus secutus est. 2. Cor. 12. & Philip. 3.

Luctus præcipuè Prophetis prius. Isa. 65.

4 *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur.* Cæcus mundus beatos censet Apitios, comedones & potatores, qui omnis generis cibis voluptatibúsque sese ingurgitant. Atqui impurissimam hanc opinionem refutans dominus, esurientes & sitientes beatos esse dicit, qui nimirũ non deliciis sese explent, neque fœlicitatis quicquam in voluptatibus, curáque venteris collocant, sed maximo & desiderio & studio iustitiã sectantur, fidem nempe, & vitæ innocentiam. Nam in his iustitia vera consistit. Tales esurientes & sitientes saturabuntur à Deo: nam conferetur ipsis vera iustificatio hic, & recipientur tandem in sedes beatas, vbi summa est saturitas, Isa. 49. Iere. 31. Quòd autem dominus disertè dicit: qui esuriunt & sitiunt, non, qui esurierunt & sitierunt: eo indicat pios nunquam putare se satis esse iustos, ideóque semper ad altiora eluctari, non vero subsistere, non fieri

Quartus gradus esuries & sitis iustitiæ. Esurientes & sitientes qui sint dicendi. Pij nũquã putãt se satis esse iustos.

in iustitiæ studio segnes, iuxta illud Apoc. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.

Ad iustificationē cōsequēdam nō sufficit agnoscere peccata, eaq; lugere, nisi esuries sitisque iustitia accedat.

Præterea nec satis est ad consequendam iustificationem, vt agnoscamus peccata nostra, & ob ea lugeamus: sed summè necessarium est vt hæc esuries sitisque iustitiæ accedat, hoc est, vt ad Iesum Christum iustitiam nostram in conscientiæ pauoribus confugiamus, iustitiæq; & meritorum eius fiducia & oremus & speremus cibum potúmque spiritualem, remissionem, inquam, peccatorum. Quare & ad hunc gradum conscendamus nos semper, ne in desperationis baratrum incidamus.

Esurie sitique iustitiæ potissimùm laborarunt Apostoli.

Hunc gradum conscenderunt Apostoli, qui præ omnibus hominibus mundi desiderium habuerunt dilatandi iustitiam legis & Euangelij: propter quod discurrerunt nudi per mūdum, & pauperes, verbo & exemplo prædicantes, hominésque ad resipiscentiam necnon iustitiæ amorem pellicientes: quorum in tantū creuit desiderium, vt pro iustitia fidei mortem subire non dubitarent: quod satis diffusè Actorum liber ostendit.

Quintus gradus misericordiæ.

5 *Beati misericordes, quoniā ipsi misericordiā cōsequētur.* Ponunt multi beatitudinem in frugalitate & auaritia: ideóq; thesauros congerūt, sibi ac suis duntaxat viuunt, nihilque impertiuntur pauperibus. Verū dominus contrà beatos pronuntiat misericordes, ideſt, benignos, beneficos & liberales erga inopes: hísque misericordiam pollicetur tam in hac vita, quàm in futura, iuxta illud: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum dominus, Psalm. 41. Item Psal. 111. Beatus vir qui miseretur & commodat, in æternum non commouebitur.

Misericordes qui.

Hic item gradus, & reliqui etiam tres, fructus nobis pœnitentia dignos, seu veræ iustificationis effectus proponūt. Mera nimirum & gratuita misericordia est, quoties remittit nobis pœnitentibus & credentibus Deus peccata. Imò quicquid præterea nobis vel etiamnum donat, nil nisi misericordia est. Par igitur est, vt quemadmodum ille copiosa erga nos vtitur misericordia, ita & ipsi misericordes vicissim simus erga proximos nostra ope indigentes. Vt autem æquitas huc nos hortari debet, sic multò magis secutura vtilitas. Nam si nos misericordes

Æquitas vt nos ad

ricordes simus, eam misericordiam Deus longè copiosiori misericordia compensabit.

misericordiam hortatur debet,

Hæc beatitudo conuenit sanctis martyribus: qui tanta misericordia pleni fuerunt, vt miseriæ infidelium miserantes, quos errore perfidiæ inuolutos cernebant, eos ad fidem allicerent: necnon propter infirmitatem fidelium, ne in fide titubarent, non solùm Deum orauerint, nec solùm sua & suos, sed etiā seipsos neci exposuerint.

sic multò magis secuturæ vtilitas.

Misericordia sanctis martyribus maximè cōuenit.

6 *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sunt plerique qui propter hypocrisim & externam sanctimoniæ speciem beati esse creduntur, vt olim Pharisæi, Mat. 23. & hodie Anabaptistæ. Contrà verò dominus beatos pronuntiat, qui sunt mundo corde, hoc est, qui veram catholicámque habent fidem, & tam internè quàm externè veræ innocentiæ student. Hi Deum videbunt: hoc est, Dei consortio & gloria æterna perfruentur, de qua visione Apost. dicit. 1. Cor. 13.

petit.

Sextus gradus, cordis munditia.

Mundi corde qui dicantur.

Item in remissione peccatorū seu iustificatione mundantur per fidem & spiritum sanctum corda nostra, quæ alioqui natura immunda sunt. Iam non satis est semel mundatum esse, sed & acceptam munditiem tueri oportet. Nam quid prodest sui quòd lota sit, si statim reuertatur ad volutabrum luti? Mundati ergo nos, mundi ab inquinamentis scelerum maneamus: imò ipsum Deum oremus sedulò cum Dauide, vt magis magisque lauet nos ab iniquitatibus nostris, cor mundum creet in nobis, spiritúque principali confirmet nos, Psal. 50.

Non satis est semel mūdatum esse, nisi & acceptam munditiem tueamur.

Prouer. 26.

2. Petr. 2.

Hæc sexta beatitudo videtur, præcipua sanctorū Confessorum, qui vt cordis munditiam obtinere possent, contempserunt terrena, mortificauerunt corpora, orationibus lachrymosis altísque suspiriis supplicauerunt domino, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Et quia mundauerunt oculum quo Deus ipse cernitur, consecuti sunt præmium cæleste, videntque Deum in æternum.

Mundities cordis præcipuè confessoribus attribuenda est.

7 *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur* Non pauci reperiuntur qui videntur sibi beati, si rixas & dissidia seminent, belliſque & tumultibus conturbent omnia. tum enim in sinu gaudent. At dominus contrà pacificos pronuntiat beatos, qui scilicet vt ipsi pace gaudent, sic &

Septimus gradus pax.

Pacifici qui.

dissidentes, & tumultuantes modis omnibus conciliare conantur. Hi nimirum filij Dei vocabuntur, qui vt ipse
Ioan. 14. pacis Deus est, ita & pacem commendauit omnibus.

Item iuxta Apostolum, iustificati fide pacẽ habemus ad Deum per dominum nostrum Iesum Christum, qui est pax nostra, Rom. 5. Ephes. 2. Vult igitur Christus, vt
Pacificandi non sõlùm sunt qui alios læserũt sed & qui nosipsos. quemadmodum ipse pacificauit nos, ita & nos alios porrò pacificemus: non eos solùm qui alios læserunt, sed & qui nosipsos. Si autem inter alios dissidentes sarcire concordiam debemus: facile videre est nos & in nobisipsis cupiditatum omnium malarum rebellionem compescere oportere, cúmque omnibus viuere in pace. Nam quomodo alioqui pacificabit alios, qui ipse pacem seruare nequit?

Pax vera est, nõ posse à domino diuidi, & in iis quæ Dei sunt solùm delectari. Pax sacras virgines concernit. Hæc beatitudo sanctarum virginum est. Vera etenim pax est, non posse à domino diuidi, secundum Augustinum, & in his quæ Dei sunt solùm delectari. Hanc habuerunt sanctæ virgines. Spreta etenim carnali delectatione, soli Deo adhæserunt, secundum illud Apostoli 1. Corint. 7. Virgo cogitat ea quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Vnde & sequuntur agnum quocunque ierit. Quare & filij Dei meritò vocabuntur, tãquam Iesu Christi imitatores præcipui, ac fratres Angelorum, qui in libro Iob filij Dei vocantur.

8 *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam quoniam illorum est regnũ cælorum. Beati estis cùm probra iniecerint in vos, &c.* Mũdus infœliciſsimos censet patria extorres, spoliatos facultatibus, & omnium odiis persecutionibúsque expositos: at dominus hos hic contrà censet beatos, hortatúrque ad exultationem & gaudium: sed eos beatos pronuntiat, non qui patiuntur ex merito, verùm qui propter iustitiam atque dominum affliguntur citra meritum. His promittit mercedem copiosam in cælis, tantò nimirum cumulatiorem illustriorémque quantò maior fuerit affectus.

Octauus gradus afflictionum tolerãtia. 1. *Pet.* 3. *Matt.* 5. *Luc.* 14. *Beati pronuntiãtur, non qui patiuntur ex merito, sed qui propter iustitiam affligũtur.*

Item carissimè constitit Christo iustificatio & reconciliatio nostra, vt qui innumera grauissimáque ob eam immeritò perpessus sit. Non igitur durum nobis esse debet, si & ipsi in eius gratiam à malis hominibus indignè affligamur, quippe qui, si meritorum nostrorum haberetur ratio, non temporalibus modò, sed & æternis passionibus essemus digni: quíque tamen pro breuissimi temporis afflictionibus, copiosissima mercede, nempe gaudiis nunquam perituris remuneraturi simus.

Hæc octaua beatitudo est omnium electorum communis, quia vt dicit Apostolus. 2. Timoth. 3. Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur, aut à carne quasi nobis innatam, aut à mundo peruersè illatam. Vnde & Loth, teste Petro 2. cap. 2. cruciabatur in Sodomis ex iniquis eorum operibus.

Persequutionem pati propter iustitiam omnibus electis debet esse cõmune.

Hic iam breuiter audiuimus gradus octo quibus ascendere pertingeréque possimus ad veram, solidam, ætérnámque beatitudinem. Si itaque hanc ex animo cupimus, vt meritò cupere debemus, ascendamus omnes pro virili per dictos gradus: simus pauperes spiritu, lugentes, mites, sitientes & esurientes iustitiæ, misericordes, mundo corde, pacifici, & patientes. Sic enim & nostra merces copiosa erit in cælis. Sed quia nemo venit ad Patrem nisi per supremam scalam Christum, huius opem ante omnia imploremus, dicentes cum sponsa mystica: Trahe me post te, Cantic. 1.

Beatitudinem amãs per dictos gradus ascendat. Ioan. 14.

EPILOGVS.

1 *Christus Iesus cælestis doctor & orator summam cælestis Philosophiæ, hoc est, explicationem diuinæ legis clara breuitate, & blandissimis inuitamẽtis & promissionibus exponit.*

2 *Oratorum alij sunt grãdes, graues, copiosi, tenues, subtiles, breues, interiecti, medij: Christus omnia est, & optimus, qui dicendo animos audientium docet, delectat, permouet, promittens regnum cælorum, consolationem, hæreditatem terræ, misericordiam, visionem Dei, adoptionem filiorum Dei, mercedem multam in cælis.*

3 *Paupertas spiritus, radix est omnis boni, vt superbia mentis radix omnis mali. Hinc mala maxima, & quæ fere permiem toti orbi intulerunt.*

SEQVITVR ALIVS SERMO de omnibus sanctis.

EX hoc Euangelio obseruabimus, Primò, quínam sunt veri sancti: scilicet non illi qui coram mundo speciosam agunt vitam. Nam de his dicit Christus Matth. 6. Amen dico

Sancti non sunt illi qui foris speciosi.

sunt, aut qui ab hæreticis celebrãtur, quíque propter hæresim patiuntur, ac certo statuunt se sola fide fieri sanctos.

dico vobis, receperunt mercedem suam: omnia faciunt vt videantur ab hominibus.

Nec illi sunt, qui ab hęreticis celebrantur, quíque propter hæresim supplicio sunt affecti, vel firmiter ac certò statuunt se sola fide sanctos fieri. Nam de his verè dicit Paulus. 1. Corint. 13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest. Ipsos charitatem non habere clarum est, quia non seruant vnitatem.

Sãcti veri qui sint.

Veri sancti sunt, qui sacramento fidei initiati, mundo carni, ac diabolo abrenuntiarunt, qui remissionem peccatorum sunt consequuti, qui gratiam Spiritus sancti receperunt, qui Christi sanguine redempti, reconciliati, iustificati, & sanctificati sunt, qui denique opera bona faciunt. Hos Christus quàm pulcherrimè describit præsenti Euangelio, cùm ait:

Sanctorum verorũ descriptio.

1 *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Nam pauperes spiritu sunt, qui in solũ Christum, non in diuitias fiduciam reponunt: qui etiam nihil boni habere se sciunt tam in corpore quàm in anima, quod à Deo per Christum non acceperint. Tales fuerunt Abraham, Loth, Iacob, Ioseph, Dauid, Iob, Constantinus. Verus igitur est Christianus, veréque pauper spiritu, qui vel paupertatem patienter fert, vel opes ac diuitias propter Dei gloriam hilari animo potest amittere, & omnia bona quæ habet tam in corpore quàm in spiritu, Deo datori accepta refert, vel qui voluntariam in religione professus paupertatem.

Pauperes spiritu qui.

Verus pauper spiritu religiosus voluntariã professus paupertatem.

2 *Beati qui lugent, quoniam consolabũtur.* Nam 2. Cor. 6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, &c. Lege ibidem ad longum.

3 *Beati mites, quoniam possidebunt terram.* Nam Psal. 36. Mansueti hæreditabunt terram.

4 *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam saturabuntur.* Nam docet vt cuique suum tribuamus: scilicet Deo fidem tanquam creatori, dilectionem tanquam redemptori, timorem tanquam iudici, & spem tanquam remuneratori.

Iustitia Dei tus reddẽs vnicuique quod suum est.

Proximo superiori obedientiam, pari beneuolentiam, & inferiori auxilium.

Sibi

Sibi ipsi cor purum, os frænatum, & corpus castum conseruando.

5 *Beati misericordes, quoniã misericordiã consequẽtur.* Nã Psal. 40. Beatus qui intelligit super egenũ & pauperẽ, &c.

6 *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* Nã Ps. 50. Cor mundum crea in me Deus, &c.

7 *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Nã Christus pacem nobis commendauit, Ioan. 14.

8 *Beati qui persequutionẽ patiũtur propter iustitiã, quoniã ipsorum est regnũ cælorũ.* Nam multi patiuntur persequutionem, sed non propter regnũ Dei, nec propter iustitiã.

2 Secundò obseruabimus quibus in rebus consistat communio sanctorum. Hic audiamus ipsum doctorem gentium Paulum, ad Ephesios ita dicentem cap. 4. Obsecro vos vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et deinde subiicit:

Communi, sanctorum quib⁹ in rebus cõsistat ex B. Paulo discere licet.

1 *Vnũ corpus.* Hoc probat & testatur diuus Paulus Apostolus Rom. 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, &c. Et 1. Corinth. 12. Quemadmodum corpus vnum est, & membra habet multa, &c.

2 *Vnus spiritus.* Hoc probat & testatur idem Apostol. Rom. 8. Legatur totũ illud caput. Itẽ 1. Cor. 6. An nescitis quoniã membra vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?

3 *Sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ* Hoc probat & testatur idẽ Apost. 1. Cor. 1. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi domini nostri. Et 1. Timoth. 6. Apprehende vitam æternam, in quam vocatus es, &c.

4 *Vnus dominus.* Hoc probat & testatur idem ad Gal. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christũ induistis: non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber, &c. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.

Vnus dominus.

3 *Vna fides.* Hoc testatur & probat exemplum patriarcharum, prophetarum, ac piorum omnium tam veteris quàm noui Testamenti.

Vna fides.

6 Vnum

Vnum baptisma.

6 *Vnum baptisma.* Hoc probat & testatur administratio baptismi. Non enim melior est baptismus ex Iordane, quàm ex Danubio, vel Rheno vel Scalda. Datur enim in Ecclesia in nomine Patris & filij & Spiritus sanctis Amen.

7 *Vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Hoc probat & testatur Paul. Rom.3. An Iudæorum Deus tantùm? nónne & Gentium? &c. Item Ro.10. Idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, &c.

Hinc docemur 1 quòd si vnum corpus sumus cum Christo, ipse autem est caput nostrum, & nos eius membra, quòd simus verè, & non apprehensiuè tantùm, participes virtutis eius, scilicet iustitiæ, innocentiæ, aliarúmque virtutum. Nam aliàs imaginaria duntaxat esset illa connexio. Secundò, si membra vnius corporis sumus omnes Christiani, ergo virtus vnius membri communicabitur aliis membris. Hoc probat scriptura ad Rom.15. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, &c. & 1.ad Corinth.9. & Psal.118. Particeps sum ego omnium timentium te.

Virtus vnius membri corporis Ecclesiæ, cõmunicatur aliis membris.

2 Docemur, Cùm vnus spiritus sit qui viuificat omnes Christianos, qui etiam ipsos docet, non possunt Christiani sentire diuersa circa articulos fidei. Non est igitur idem spiritus Christi qui docuit Lutherum, Melãchthonem, Caluinum, Zvvinglium, Anabaptistas, ac reliquos nostri temporis hæreticos, sed est alius spiritus vel diaboli, vel mundi, vel carnis: cùm diuersa hi homines sentiant ac doceant ad salutem necessaria.

3 Docemur, non alia fide quàm ea quam catholica tenet Ecclesia, omnes pios esse saluatos: nempe fide, quæ coniunctam habeat bonam voluntatem. Non fide illa sola ante quadraginta annos excogitata. August. epist.157. & lib.2. de peccatorum mer. & remiss. cap.29. item de natura & gratia cap.44.

Sanctos orare debemus, quia orant pro nobis.

Tertiò obseruabimus quòd Sanctos debemus orare, quia orant pro nobis. Sicut enim angelorum charitas qua Deum diligunt, incitat eos vt nos diligant, & pro nobis orent: ita etiam charitas perfecta Sanctorũ ipsos incitat vt pro nobis orent. Sumus enim inuicem membra. Hoc

Hoc docet scriptura Exod. 31. Iob. 5. & 42. Act. 7. & 27. Hieronymus cõtra Vigilantiũ: Cyprianus Epist. 1. lib. 1.

Sancti sunt colendi.

2 Quòd Sanctos debemus colere, quia templa fuerunt Spiritus sancti, qui singulari amore ipsos amauit, donisque maximis ornauit, & clarissimis virtutibus in ipsis habitauit. hoc docet Euseb. lib. 8. Ecclesiasticæ histo. cap. 6. & lib. 4. cap. 1. Augustin. lib. 20. contra Faustum, cap. 21. Idem cap. 8. & 10. de Ciuit. Dei, lib. 22. & lib. 8. cap. 27.

Loca reliquiarũ diuorũ piè visitentur.

3 Quòd loca vbi reliquiæ eorũ sunt, debeamus visitare, quia præsentia illius loci vbi requiescunt, vel mortui sunt, aut eorum memoria fit, affectus commouetur, vt ardentiori charitate Deum amemus, qui solus potest virtutem præstare qua Sanctos imitemur. Hoc docet Augustin. epist. 137. de reliquiis Sanctorum. Vide Gene. 50. 4. Reg. 13. Hieron. tom. 2. epist. 11. ad Riparium. August. de Eccles. dogmat. cap. 73. Chryso. hom. 66. ad populum Antiochenum.

Sancti inuocandi à Christianis duabus de causis.

Sunt etiam Sancti inuocandi à Christianis propter duas causas. 1 Quia eorum meritis & orationibus multa Deus nobis concedit, alioqui non largiturus, tam spiritualia quàm corporalia. Hoc probant Dionys. cap. vlti. de Ecclesiast. hierarchia, Hieronymus ad Dardanum de terra promissi. Leo sermon. 2. & 3. de anniuers. Pontificatus sui, Ambros. lib. 1. de pœnitentia, August. sermon. de S. Stephano, Hieronymus contra Vigilantium, Greg. Nazian. in oratione in martyres Machabæos.

Sancti orationes nostras cognoscunt.

2 Quia sancti orationes nostras cognoscunt ad se directas, vel Spiritu Dei reuelante, vel angelis qui nobiscum sunt insinuantibus, vel præsentia sua audientes, sicut Moses & Elias præsentes fuerũt Apostolis in monte, Matt. 17. Hoc probant Augu. lib. de cura pro mortuis cap. 15. & sequent. Item Hieron. in commentar. in Isaiam.

IN FESTO ANIMARVM
Euangelium.

In illo temp. Dixit Martha ad Iesum, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, &c. Finis Euangelij: Ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.

Euan

Querimonia Marthæ fidei quæ infirmitas.

EVangelio hoc continentur quinque. Primò querimonia Marthę, & fidei infirmitas: cùm ait, *Domine si fuisses hic, frater meus nō fuisset mortuus.* Prodit autē Martha his verbis querimoniam quam corde occultam de Christo gerebat. Nam perinde est atque si dicat, Domine misimus ad te nuntium qui de fratris nostri deplorata valetudine te faceret certiorem, & id quidem maturè satis, existimantes te nostri aut saltem Lazari tam esse amantem, vt mox opem esses laturus, sed frustratæ sumus mea soror & ego nostra spe. Nam te tardante sæua mors dulcissimum ac vnicum fratrem crudeliter nobis eripuit.

Sed & nunc scio quia quæcũque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Prodit autem Martha his verbis, qualis sit fides quam de Christo conceperat, & quid de illo sentiat. Nam perinde est atque si dicat, Credebamus te tantæ esse autoritatis apud Deum, vt tu præsentia fratrem nostrum à morte eripere posses: quod & nunc potes, quia Deus nihil tibi negabit ex iis quæ ab ipso petieris.

Marthæ verba quid nos doceat.

Hæc verba nos docent, 1 Quòd simul atque Christus petitionibus nostris annuere destiterit, mox conquerentur homines, obliti illius diuinæ doctrinæ qua Christus nos docuit in oratione semper dicere, Pater fiat voluntas tua. Ita ipse Christus orauit, ita Paulus, ita Petrus, ita ipsa virgo Maria: idem igitur dicamus & nos Christiani. 2 Quòd qui aliter orat, magis affectui suo indulgeat, quàm se Dei voluntati submittat. 3 Quòd Martha fidem quidem habuerit, permixtam tamen vitis immoderatis, & imperfectione maxima infirmatam. Nam potentiam Christi loco & tempori alligabat. Discamus nos tam sublimiter de Christi potentia sentire, vt fide inconcussa apud nos statuamus, ipsum posse, si velit nostris malis opitulari: vt qui sua potentia vbique semper sit præsens, Ierem. 23.

Martha cõfitetur suffragia fidelium, etiã mortuis esse salutaria.

Notandum hìc quòd Martha videtur sentire suffragia fidelium etiam mortuis esse salutaria. Gradus autem infimus est, suffragia bonorum prodesse viuentibus. Exemplorum taliũ scriptura est plena: Abraham, Loth, Genes. 19. & sancti patres toties exorarunt dominum Deum pro aliis. Moses iram Dei quasi violenter cohibuisse

buisse videtur. Dicit enim dominus, Dimitte me vt irascar. Sed maior gradus est, credere fidelium intercessiones etiam prodesse mortuis. Fortè ante Christi resurrectionem fides illa necdum adeò erat illustris, non tamen omnino ignorantiæ erat & incredulitatis tenebris sepulta. Precabatur enim synagoga pro mortuis, ex paterna traditione, quod haudquaquam fecisset, nisi intercessionem eam pro mortuis salutarem esse credidisset. Marthami hoc credidisse, eius verba ad Christum arguunt. Dicit, Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo (pro fratre meo Lazaro iam mortuo) dabit tibi Deus. Quasi dicat, Tametsi frater meus sit mortuus, tamen non dubito intercessionem illam tuam illi etiam in alio seculo salutarem. Non credidit tum plenè Christum esse filium Dei viui, iudicem viuorum & mortuorum, sed maximum omnium prophetarum esse putabat.

Synagoga precata est pro mortuis.

Ecclesia pro defunctis Deum interpellat.

Sic Ecclesia pro defunctis Deum interpellat. Augustinus. Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro defunctorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à domino, quàm eorum peccata meruerunt. Illis autem prodesse, qui ante mortem ita vixerunt, vt possint eis vtilia esse hæc post mortem. Nam qui sine fide per dilectionem operante, eiúsque sacramentis de corporibus exierunt, frustrà illis a suis huiusmodi pietatis officia impendũtur, cuius dum hìc essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vanum suscipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam, sed iram thesaurizantes. Rom. 2. Prouerb. 11. Mortuo homine impio, nulla erit vltrà spes. Verùm illi vtique abluunt spiritus mortuorum, qui orationes, oblationes, erogationes, multò feruentius obseruantiúsque pro eis impendunt, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed & spiritualiter amant. Hinc & tempore synagogæ precibus & oblationibus defunctis subuenire studebant, vt patet 2. Machab. 12. Augustinus. serm. 44. ad fratres in ere. Defunctis cum omni diligentia misereri & subuenire debemus, & studeamus, attendentes quid Iudas Machabæus fecerit. Dixit

Orationibus Ecclesiæ qui defuncti subleuentur.

Fidelibus defunctis non subueniendũ dicentes, satanæ filij sunt.

enim q̃ sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. 2. Machab. 12. Qui ergo contrarium aut docent aut sentiunt, non Ecclesiæ filios, imò nec synagogæ quondam, sed satanæ qui mendax est & pater eius, clarè se ostendunt.

Colloquiũ Christi & Marthæ.

2 Secundò continetur hoc Euangelio colloquiũ Christi & Marthæ. Nam Iesus dicit, *Resurget frater tuus.* Hinc agnoscimus mirificã Christi comitatẽ, qui Marthæ infidelitatis vitio laboranti, suæque omnipotẽtiæ atq; diuinitati nõ parum detrahenti adeò conniuet, vt nõ modò

Comitas Christi erga Martham.

indignabundus à se eam non reiiciat aut deserat, verùm etiam incredibili benignitate ipsam ferat, & de resurrectione instruat, atque plura illi vltrò promittat, quàm ipsa vnquam ausa fuisset petere. Promittit nanque se illi restituturum fratrem, à mortuisque reuocaturum.

Ioan. 5. Luc. 14. Ioan. 6.

Martha dicit, Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Hinc cognoscimus naturæ humanæ ingenium,

Naturæ humanæ ingeniũ quàm prauum sit panditur.

cuius ea est malitia, vt sibi relicta, auditis Christi promissionibus, vel de ipsis nimium præsumat, adeò vt impunè sibi peccare licere arbitretur: vel ita extenuet, vt quæ Christus dicit & affirmat, neget aut deprauet. Illud faciunt Lutherani, hoc sacramentarij, atque alij hæretici. Debuit Martha audita Christi promissione absque vlla dubitatione credere, Iesum qui sibi loquebatur, tam esse potentem qui posset imperare morti vt discederet, animæ vt accederet, corpúsque viuificaret, & inde magnoperè lætari, & in gratiarum actiones erumpere.

Christiani plurimi eo dẽ vitio laborant quo Martha, eaq; ceteriores sunt.

Discamus Christiani, quãdo mortuos nostros lamentamur, & vltra modum eorum mortẽ dolemus, eodẽ nos vitio laborare quo laborabat Martha: imò deteriores esse. Nam illa credebat suum fratrẽ resurrecturum in nouissimo die: nos verò nostros mortuos deflemus quasi ethnici, ac quasi nunquàm sint resurrecturi. Debet dolor quẽ atulit mors, deliniri ac mitigari amplissima Christi promissione, scilicet Resurget frater tuus. Oẽs mortui fratres nostri sunt, omnibus nobis Christus verba illa dixit: vnde admonet Apoc. 1. Thessa. 4. vt de dormientibus, hoc est, mortuis charissimis nostris, non contristemur sicut cæteri qui spem non habent resurrectionis & incorruptionis æternæ. Augusti. Permittantur ergo piæ corda

corda de charorum suorum mortibus cõtristari dolore sanabili, & consolabiles lachrymas fundant, conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, qua credun tur fideles quando moriuntur, paululum à nobis trãsire, & ad meliora peruenire. Vnde de martyribus ait Apostolus Heb. 11. Alij dissenti sunt, non suscipiẽtes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem.

Mortuos suos Christiani moderatè lugere debẽt, spem resurrectiõis habentes.

3 Tertiò continetur hîc conclusio colloquij. Dicit ei Iesus, *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, nõ morietur in æternum.* Hic primũ docet Christus, se resurrectionis nostræ atque vitę esse autorem: moxque declarat de qua resurrectione loquatur: nẽpe de spirituali resurrectione, & vita gratię. Christus dicit primũ se esse resurrectionem, quia ordine prior est restitutio à morte in vitam, quàm vitæ status. docent hæc verba Christi, totum genus humanum morti esse subiectum propter peccatum. Docent etiam à morte hac nũquam resurgere posse, quem ipse Christus vitæ non restituerit. Docet Christus se esse initium vitæ & autorem, ipsúmque solum esse qui sua virtute nos resuscitare, vitæque restituere possit. 4. Reg. 4. Nec Giezi nec baculus potuerunt puerum resuscitare, potuit tamen ipse propheta.

Conclusio colloquij. Resurrectionis nostræ vitæq; autor Christus. Genes. 3. Eccles. 40. Sapien. 1. Rom. 5. Verba hæc Christi quid nos doceãt.

Est etiam considerandum, q̃ sicut mors illa qua totũ genus humanum tenetur demersum, est perpetua damnatio animæ & corporis, propter inobedientiã Adami, nec non temporalis carnis interitus, testante concilio Arausicano cãn. 2. ita resurrectio illa quam Christus nobis pollicetur, & ita, est non tantùm perpetua illa beatitudo quam pii omnes expectant: verùm etiam restitutio gratiæ quã animabus nostris per Spiritum sanctũ regeneratis, virtute suæ passionis confert, Ioan 5. Ephes. 2. 4. Quartò hîc continetur quomodo nobis resurrectio hæc & vita contingant. Hoc Christus docuit cùm dixit, *Qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, viuet.* hoc est, Qui mihi per fidem adhæserit, etiam si corpore mortuus fuerit, tamen viuet: & si mortuus infidelitate, mihi credidit, viuet infidelitatis morte sublata. Ioan. 5. Amẽ dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuẽt. Et omnis qui vi-

Modus quo resurrectio hæc & vita hominibus contingant.

uit,& credit in me, nõ morietur in æternum. Ratio est; nam vitam in se habet manentem, quia Christus per fidem habitat in cordibus nostris, Ephe.3. Igitur quandiu sumus in Christo, manentem in nobis habemus vitam, quæ mori non potest, vtcunque corpus moriatur, vtcunque in puluerem redigatur. Credens enim mortuus, viuit: sicut non credens, viuens mortuus est. Apoc.3. Nomen habes quòd viuas, & mortuus es. Vnde docet Ecclesia fidem in Christum per charitatem operantem, esse vitam animæ: qua si anima destituatur, mors statim ipsam interimit, ac deglutit.

Fides per charitatẽ operans vita est animæ.

Quid fateri debeant, qui vitam æternã cõsequi, & æternam mortẽ euitare volũt.

Proinde qui volunt vitam æternam consequi, & æternam mortem euitare, debẽt fateri 1 Se mortuos esse, id est, animas mortuas habere, quandiu fidem & charitatem nõ habuerint: ac peccato æternæque damnationi obnoxias, dicente Paulo: Sicut in Adam omnes moriũtur, ita in Christo omnes viuificabuntur. 1. Corinth. 15.

2 Fateri debent Christum solum esse qui animas ita mortuas resuscitare possit, non naturam, non legem, dicente Christo Ioan. 5. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.

3 Fateri debent Christum non tantùm resuscitare posse, verùm etiam posse vitam gratiæ præstare, dicente Christo Ioan. 5. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die, Qui credit in me, etiã si mortuus fuerit viuet, Ioã. 11.

Animæ fidelium in charitate manentes, viuũt ĩ gratia & spe vitãhabituras æternam.

Hinc docemur, q̃ fidelium animæ quandiu in charitate manent, semper viuent in gratia, sperẽtque se vitam habituras æternã. Nam & si corpus morti obnoxiũ est propter peccatum, spiritus tamen viuit propter iustificationem, estq̃ habiturus vitam æternam. Ideo Christiani non tristari, sed potius lætari deberent in obitu

Mors fidelium trãsitus est ex hac vita in aliam multò præstantiorem.

suorum fratrum: vt qui transeant ex hac vita in aliam multò prestantiorem, in qua æternùm viuent. Ideo Christus dicit, non morietur in æternum. Et Sap. 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Item Sapien. 5. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud altissimum.

5 Quinto continetur hîc Marthæ confessio. Post colloquium illud quod Christus cum Martha habuit, scitatus est dominus ex ipsa: *Credis hoc?* Quasi dicat, Credis me non hominẽ tantùm, sed verum etiam Deum, qui mortis ac vitæ imperium habeam? qui animas per peccatum mortuas viuificare possim per gratiam? qui viuificatas glorificare insuper possim, æternãque illa beatitudine donare? Respõdit Martha, *Vtiq; domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hũc mũdũ venisti.* Quasi dicat, Ego credo te esse verum Messiam in lege promissum, verum Dei filium, verum hominem, à quo cuncta bona tum animæ tum corporis sunt nobis expectanda. Hinc docemur.

Martha cõfessiõ.

Confessiõ Marthæ quid nos doceat.

1 Quòd fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi, Rom. 10.

Nemo solis suis viribus Christum Dei filium cognoscere aut confiteri potest.

2 Quòd ex cognatione humanitatis Christi peruenimus in cõfessionem diuinitatis: quod contigit Marthæ.

3 Neminem esse qui solis suis viribus Christum Dei filium cognoscere aut confiteri possit, etsi eruditissimos audiat concionatores, vel ipsum Christum audiat. Nam Martha frequenter Christum audiuerat, dum ipsum hospitio acciperet, non tamen potuit agnoscere eum esse filium Dei, priusquam à Christo altius informaretur, & intus illuminaretur. Matth. 16. Beatus es Simon Bar. Iona, quia caro & sanguis, &c.

4 Fœlices illos esse, qui mox vbi Christum audiuerint eorum corda pulsantem, & mentes illustrantẽ, captiuant intellectum in obsequium fidei & eius amorem, confitentũrque cum Martha: *Tu es Christus filius Dei viui.*

APPENDIX.

1 Ex hac historia Euangelica colligimus q̃ quanuis exterior noster homo corrumpatur de die in diem, adeò vt tãdem mortuus, putidum appareat cadauer: Christiani tamen perturbari minimè debeant: q̃ interior homo renouetur de die in diem. 2. Corint. 4. Et ipsa mors Christianorum est quædam à seruitute corruptionis mortis manumissio. Hoc credidit Martha, hoc credidẽrunt Apostoli, & vniuersi alij sancti: hoc credamus & nos Christiani & cùm animarum festa celebramus, lætabimur de earum gloria, & tristabimur de calamitoso nostro exilio.

Mors Christianorum est quædã à seruitute corruptionis mortis manumissio.

2 Christus ideo de spirituali vita disseruit cũ Martha,

De spirituali vita cur cum Martha disseruerit Christus.

vt à cogitatione præsentis seculi & vitæ, Marthæ animum abducat. Optabat Martha fratri suo vitam corporalem & temporalem restitui: Verùm Christus inde occasione capta, præstantioris vitæ autorem se esse ostendit, ad cuius contemplationem & desiderium vult animum Marthæ erigere. Ita Ecclesia præsenti festo occasione mortis corporalis mortuorum, vult accendere animos & affectus ad amorem vitæ gratiæ in hac vita, & vitæ æternæ in futura.

Festum hoc cur ab Ecclesia celebretur.

3 Celebratur hoc festum ab Ecclesia, vt de morte carnis nos admoneat, ne superbiamus: & de immortalitate animæ ne desperemus. Ad hęc docet Christus hoc Euãgelio, Christianos multò magis debere esse solicitos de vita spirituali animæ non amittenda, vel obtinenda, qua anima æternùm viuet, quàm de vita temporali corporis, qua caro temporaliter viuit.

EPILOGVS.

1 INTER miracula quibus Christus diuinitatem suam confirmat, hoc præcipuum est, quo docet se dominum vitæ, mortis, & infirmitatum. 1. Reg. 2. Sapien. 16. Deut. 32. Tobiæ 13. Augu. Inter omnia miracula quæ fecit Christus, Lazari suscitatio maximè prædicatur: sed si attendamus quis fecerit, delectari potius debemus quàm mirari. Ille suscitauit hominem, qui fecit hominem. Plus est hominem creasse, quàm suscitasse.

Inter omnia Christi miracula quid maximè prædicetur.

2 Consolatorius sermo omnibus mortem horrentibus, quod Christus hîc dicit: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, viuet. hîc scito quod Augustinus habet: animæ tuæ animam fidem esse. his verbis vnica spes nobis additur quæ fidelium animos ob mortem contristatos solatur. Hac spe primi parentis animum deiectum erexit Deus, quum sopore immisso vidit Ecclesiam Christo iungendam, & per ipsum glorificandam. vide Genes. 1. Ephes. 5. hac spe Abraham filium suum Isaac, in cuius semine benedicendæ omnes gentes, ad diuinum præceptum immolare voluit, Gene. 22. plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere, Rom. 4. Hac Iob confirmatus est, Etiã si occiderit me, in ipso sperabo, Iob 13. Caussam subdit suæ spei cap. 19. Scio quòd redemptor meus viuit, &c.

Sermo Christi cõsolatorius omnibus mortẽ horrentibus.

Spes resurrectionis Patribus animũ ad didit.

Hinc

Hinc tertius septem fratrum, qui ob legem Dei ab Antiocho trucidabatur, linguam postulatus, citò protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Sit quoque reposita hæc spes in sinu nostro.

Confessio Marthæ cõ firmatur.

3 Christus confessionem Marthæ confirmat. Linum fumigans non extinxit Marthæ imò inflammauit, ostẽdens se resurrectionem esse & vitam. q. d. Si credis me supplicum vota suscipere pro animam agentibus, crede etiam ea ipsa vota me suscipere pro vita functis. Nõ credebatur peccata dimittere posse. Dixit ergo paralytico, Matth. 9. Fili confide, remittuntur tibi peccata tua, &c. Suscitauit quoque Lazarum, vt credat totus mundus ipsum viuentium vota pro mortuis suscipere, iudicem viuorum & mortuorum. Vnum summopere necessarium scitu, nẽpe nulla prorsus suffragia, neque pro viuis, neque pro mortuis cælum penetrare, nisi per Christum, hoc est, fide Christi. Quam ob rem dicit Christus, *Credis hoc?* vt eam ad talem fidem pelliceret, diceretque, *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei.*

Suffragia nulla cælũ penetrant nisi p Christum.

ALIVS SERMO DE ANIMABVS.

Animæ quot modis adiuuẽtur.

QVinque modis adiuuantur animæ quæ sunt in purgatorio: Primò, Sacrificio: quod est triplex: Oris, de illo ait Dauid Psal. 49. Sacrificiũ laudis honorificabit me. Cordis, de illo ait Dauid Ps. 50. Sacrificiũ Deo spiritus cõtribulatus: cor cõtritũ & humiliatũ Deus nõ despicies. Hęc duo prosunt animabus propter fidem, obedientiam, charitatẽ, pietatẽ, & alias virtutes eorum qui orãt. Hæc sacrificia in magno sunt pretio apud Deum, vt quę Christi virtute & meritis sint condecorata, & spiritu eiusdem Christi, qui habitat in eorum animis fiant.

Sacrificiũ triplex.

Altarìs sacrificiũ prodest animabus.

Tertiũ est altaris sacrificium. De illo ait Dauid Psal. 4. Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in domino, &c. Hoc prodest animabus propter inæstimabilem suũ valorem, & plusquam diuinam diuinitatem, ac propriam excellentissimámque virtutem: quæ tãta est, vt angelos & Sanctos ipsos lætificet, viuentes iustificet, & mortuos mirificè iuuet, eos tamẽ qui in purgatorio sunt, quorum pœnas delet.

1 Ratio huius suffragij est, quia nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. 1. Corin. 12. 2. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. Corint. 3. Dauid ait, Potasti nos vino compunctionis, Psal. 59. Cùm Dei sint hæc dona, ipsi necesse est sint grata & accepta. 3. Inter reliqua opera charitatis Eucharistia maximè ad charitatem pertinet, & eius oblatio: quia est sacramentum Ecclesiasticæ vnionis. vnde cùm ipsa sit vinculum nostræ vnitatis, nobis omnibus communicat suas virtutes. Augustin. hom. 17. de verbis Apostoli.

Eucharistia Ecclesiasticæ vnionis sacramentū est.

2 Secundò adiuuantur animæ oblationibus: quæ sunt multiplices: pecuniæ, cerei, animalia, ornamenta, panes & vinum. Quæ omnia, quamuis ipse Deus opus non habeat, à suis tamen creaturis bono animo oblata libenter accipit, odórque harum oblationum cælos transcendit, ad ipsúmque penetrat. Quæ etiam tantò hilarius iucundiúsque accipit, quanto maiori cum charitate à suis creaturis offeruntur: & vt illis pro quibus offerūtur, sint vtilia, misericorditer concedit. Pertinent enim hæc omnia ad diuinum eius cultum, ob idque ipsi sunt accepta. Damascenus in sermone de mortuis, docet cereos oleúmque pro his offerri.

Psal. 15.

Animæ adiuuantur oblationibus.

Hæretici nostri temporis hæc quasi suffragio scripturarum sacrarū destituta reiiciūt: atque idcirco nobis minimè licere cauſantur, quin Deum talia detestari temerè præsumunt affirmare. Sed hos rogo, licuerítne Abel sine expresso dei mādato sacrificiū illud primogenitorū gregis sui, & adipē offerre? num fuerit Deus execratus illi⁹ sacrificiū? minimè quidē: respexit enim dñs ad Abel, & ad munera eius, Genes. 4. Ita nobis Christianis licet primogenita gregis, panes, fruct⁹, ac reliqua omnia Deo nostro offerre: qui respiciet ad nos, & ad munera nostra, modò bona conscientia offerantur. Iudas Machabæus 12. millia drachmas argenti obtulit pro mortuis. 2. Machab. 12. Cōsuetudo hæc sacris scripturis nō aduersatur, imò illis est admodum consona. Patres eam confirmant: confirmat eam vniuersalis Ecclesia, tum occidentalis tum orientalis. Horum, ac præsertim Ecclesiæ authoritas apud viros pios & bonos maioris ponderis esse debet,

Iudas Machabæus obtulit pro mortuis 12. millia drachmas.

bet, quàm hæreticorum vana aūdáxque præsumptio.

Adiuuantur animæ quæ sunt in purgatorio, applicatione sacrificiorum. Nam quemadmodum Christus se obtulit in cruce æterno Patri hostiam cruentam in sacrificium verum, non tantùm pro credentibus viuis qui tum erant, & in posterum subsequuturis, verùm etiam pro mortuis illis qui in fide & iustitia vera ex hoc mundo migrauerant: ita & modò oblatio eadem quam Ecclesia repetit ex Christi institutione, prodest non modò viuis credentibus, verùm etiam mortuis, qui satisfactione plena pro suis peccatis nondum perǫcta hinc discesserunt: qui in loco aliquo iuxta Dei voluntatem pœnas debitas luituri detinentur. Hinc Ecclesia ab Apostolis informata, & Spiritu sancto ipsam docente, statuit, non minus pro mortuis quàm pro fidelibus viuis sacrificium illud in satisfactionem pœnarum æterno Patri esse offerendum, & eius inæstimabile pretium vtriusque debere applicari.

Animæ defunctorum adiuuatur applicatione sacrificiorum.

Ecclesia ab Apostolis informata statuit, nō minus pro mortuis quàm pro fidelibus viuis altaris sacrificiū offerendū.

Quòd autem patres veri Apostolorum successores, & vicini eorum temporibus, ita vno ore consenserint, clarum est. Nam Tertullianus de Monogamia, Vxor, inquit, pro anima mariti oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Idem libr. de exhort. casti. Iam repete apud Deum pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas, &c. Cyprian. lib. 1. epist. 9. negat pro eo offerri, nec sacrificiū pro dormitione eius celebrari debere, qui excedens ad tutelam aut curam clericum nominasset. Ambr. de obitu Theodosij, trigesimum & quadragesimum obitus diem obseruari solitum scribit, atque vtranque obseruationem habere authoritatem, qua necessarium pietatis impleatur officium. August. libr. 9. Confess. cap. 12. scribit pro matre sua oblatum fuisse sacrificium pretij nostri. Beatus Ephrem in suo testamento, cùm trigesimum diem complesset, sui memoriam fieri petiuit.

Pro matre Augustini sacrificiū pretij nostri oblatū.

Anniuersaria pro mortuis celebrata Tertulliani temporibus.

Vnde constat 1 anniuersariam illam memoriam quam pro mortuis Ecclesia celebrat, Tertulliani temporibus fuisse obseruatam.

2 Orationes mortuis prodesse, nam alioqui Tertulliа-

Orationes mortuis prosunt.

nus non hortaretur vxorẽ vt pro mortuo oraret marito.

3 Pœnas pati animas in alia vita: aliàs enim non instaret Tertullianus vt refrigerium vxor animæ mariti adpostularet.

4 Oblationem Missæ illis animabus prodesse, quæ cælo excusæ, in aliquo plectuntur loco.

Trigesimi diei cõmemoratio à morte defuncti ab antiquis temporibus celebrata.

5 Trigesimi diei à morte defuncti commemorationem, quæ fit in Ecclesia à viris fidelibus, non esse nunc excogitatam, sed ab illis temporibus acceptam.

6 Consuetudinem hanc, quam tenet Ecclesia Romana, celebrandi annuè festum animarum, non esse recenter commentam atque introductam, sed ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos vsque deuolutam.

7 Non temerè ea esse statuta quæ de mortuis docet Ecclesia, sed antiquissimæ consuetudinis authoritate esse corroborata atque retenta. Quæ cùm sint longè grauissima testimonia, animos piorum in suam pertrahent sententiam.

Animæ defunctorum adiuuãtur orationibus.

3 Tertiò adiuuantur animæ defunctorum orationibus, dicente scriptura 2. Machab. 12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Item dicente Ecclesia suis fidelibus filiis, Oremus pro fidelibus defunctis. Et in canone post consecrationem, Memento domine famulorum, &c. Ad orationes autem reducuntur omnia opera spiritualia: qualia sunt obsecrationes, petitiones, gratiarum actiones, contemplationes, exercitia alia spiritualia, meditationes, cùm spirituales sint hæ actiones, dependeatque earũ applicatio ex orantium intentione. Hinc est quòd dicamus orationes posse mortuos iuuare. Potest enim is qui orat, in eum finem suam orationem dirigere, vt illis animabus subueniat, quæ subsidiis summam habent necessitatem. Deus autem qui diues est in misericordia, quique humilium orationes respicit, ipsas acceperat, & iis pro quibus oratur, misericordiam suam clemẽter concedit Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 1.

Animæ adiuuãtur eleemosyna.

4 Quartò adiuuantur eleemosyna. Nam Sapientia Ecclesiastici 7. dicit, Mortuo ne prohibeas gratiam. Augustin. quoque lib. de cura pro mortuis agenda refert eleemosynam ipsis prodesse. Et lib. de octo quæstio. ad Dulcitium,

citium, quæstio. 2. Ad eleemosynam reducuntur omnia opera misericordiæ tam spiritualia quàm corporalia. Corporalia sunt 7. pascere famelicum, potare sitientem, *Matth. 25.* colligere hospitem, operire nudum, visitare ægrotum, redimere seu solari captiuum, sepelire defunctum. Spiritualia sunt totidem, scilicet patienter ferre infirmũ, consulere dubitanti, docere ignorãtem, consolari afflictum, corripere peccantem, remittere offensam delinquenti, orare pro persequentibus & calumniantibus nos.

Omnia hæc opera mortuis suffragari possunt, quia ex charitate fiunt. Quæ charitas cùm sit spiritus corporis mystici Iesu Christi, omnia facit communia, & cunctis membris influit. Sunt autem membra corporis Christi etiam animæ illę quæ in purgatorio pœnas debitas luentes detinentur, atque ita participes fiunt omniũ bono- *Animæ defunctorum participes fiunt omnium bonorum quæ ĝi ua mẽbra Ecclesiæ faciunt.*
rum quæ alia membra Christi faciunt. sunt enim participes omnium timentium dominum. Eleemosyna verò cum sit ipsius charitatis fœtus, & primarius effectus, eáque ratione ad ipsam pertineat: facit charitas vt sicuti ipsa, ita & eius effectus prosint non modò viuis, verùm etiam mortuis membris: & tantò magis, quantò intentio orantis feruentius in hunc finem dirigitur.

Animæ adiuuãtur ieiunio.

5 Quintò adiuuantur ieiunio: ad quod reducuntur disciplinæ, vigillæ, peregrinationes, cilicia, maceratio carnis, lachrymæ, & vniuersæ aliæ carnis afflictiones. Hæc omnia nec ex sui ratione ad charitatem pertinent, nec ad directionem intentionis: quum sunt charitati quasi extrinseca. Angeli enim etsi nunquam ieiunauerint, tamen charitatem habent ardentissimam. Et multi etiam Sancti antequam carnem macerare possent ieiuniis, abstinentia, vigiliis, cilicio, peregrinationibus, atque aliis corporalibus exercitiis: charitatem sunt consequuti, vt Latro, Zachæus, Publicanus, Martha, & plerique alij Sancti. Nihilominus possunt hæc omnia ad charitatem reduci, & intentio ieiunantis potest ieiunij molestias & alias corporales afflictiones ex charitate assumere, & pro aliis ferre. Et quia ieiunium affligit corpus, potest tanquam pœnale opus satisfactorium pro defunctorum pœnis & eorum personis Deo offerri. Ideo Greg. 4. lib. Dialogorum cap. 39. posuit quasi suffragiũ quartum post

sacri

sacrificium, eleemosynam, orationem, & ieiunium.

Quibus animabus hæc omnia prædicta prosint.

Quibus hæc omnia prosunt? Augustin. in Enchiridij cap. 110. Neque negandum est, inquit, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt: sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Item Gregorius libr. 4. Dialogorum. Dicamus ergo omnes in hac die, Requiem æternam dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. Amen.

IN FESTO B. MARTINI Episcopi Epistola.

Eccles. 44. *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, &c. Finis Epistolæ: odorem suauitatis.*

SVnt duo præsertim in hac lectione notanda, à quibus noster venerabilis sacerdos & Episcopus Martinus ab Ecclesia laudatur. Primũ est vita & opus, Et quantum ad hæc attinet, sic inquit Syrach: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuẽtus est iustus, & in tẽpore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Hoc sacerdotale encomion, secundum literam quidẽ Aaroni & Phinee insignibus illis apud Israẽlitas Pontificibus, ad æternã ipsorum memoriã, à Syracho dedicatum est. Vndéq; & omnibus sanctis Episcopis ac sacerdotibus apud nos Christianos, quoties illorũ solennitates agimus: porrò nũcupatur, vt qui & ipsi sacerdotio sanctè functi sunt, ac proinde laudẽ mereãtur sempiternam. At verò secũdũ genuinũ, internũ & mysticum sensum, in neminẽ iustius ac verius cõpetit, quã in illum solum, quẽ omnes Pontifices & sacerdotes veteris testamenti præfiguratum, quémque testamẽti noui antistites semper sedulò sunt imitati, nimirũ Iesum Christum seruatorem nostrũ, ad quem sic Pater cælestis, medio iuramento, loquutus est: Psal. 109. Tu es sacerdos in ẽternum, secundum ordinẽ Melchisedech. Nã is omnia in se absolutissimè expressit, quæ hîc cõmemorãtur. multi nãque fuerunt pij in vtroq; testamẽto, qui deo placuerũt: verùm nulli ita quẽadmodum noster Sacerdos Iesus. Nam quotquot

Sacerdotalis officij encomion.

Encomion hoc nulli iustius competit quàm vero Pontifici & sacerdoti Christo.

quot illi placuerũt, in hoc & propter hunc placuerũt illi: athic illi placuit propter semetipsum, vnde & sic de illo in Euangelio, Mat. 3. & 17. testatus est: Hic est filius meus charissimus, in quo mihi complacitum est, 1. Petr. 1.

Fuerũt & plerique iusti, qui iustitiã anxiè coluerunt & cõseruarũt Dei legẽ, sed nulli ita & tãta perfectione, atq; ipse. Illi enim ex ipso iusti fuerunt & coluerũt iustitiam: illi per hunc & huius auxilio legẽ conseruarunt. Nã ipse ipsissima omniũ iustitia est, & finis legis ad iustitiam omni credẽti. Verùm ipse per semetipsum fuit & est iustus, adeò vt peccatũ non fecerit, nec inuentus sit dolus in ore eius, 1. Pet. 1. Ipse itẽ per semetipsum legẽ excelsi conseruauit, adeò vt ne vnum iota aut vnus apex sit in lege, quẽ ille non perfectissimè impleuit. Hinc ipse in cruce pendens post degustatum acetum, quod illa vinea subamara dabat, per sextum verbum ait: Consummatum est.

Legis paternæ Christus obseruantissimus. 1. Cor. 1. Rom. 10.

Fuerunt etiam quidam piorũ qui irã domini precibus assiduis mitigauere, velut Abrahã, Moses, Iosue, & Prophetę: verùm nulli tãto fructu, quàm noster sacerdos. Nã illi prouna atq; altera gẽte interpellarũt, noster autẽ pro omnibus: illi pro expiatione obtulerũt sanguinẽ hircorum & vitulorũ, at noster semetipsum & proprium sanguinem Deo Patri obtulit: Ephes. 5. Heb. 9. illi aliquando non exauditi sunt, at noster Pontifex exauditus est pro sua reuerentia, æternam redemptionem inuenit, Heb. 5.

Iræ paternæ mitigator Christus.

2. Posterius q; hîc considerandũ occurrit est finis & prẽmium eiusdẽ nostri sacerdotis, Et quantũ ad istud attinet sic Syrachus ad eius laudẽ prosequitur. d. *Ideo iureiurãdo fecit illũ dominus crescere in plebẽ suã, benedictionẽ omnium gentium dedit illi, et testamentũ suũ cõfirmauit super caput eius, &c.* Quia ille sic Deo patri placuit, iustúsq; inuẽtus est, & omniũ factus est recõciliator, hũc viciſsim illi pater honorem detulit iuxta humanitatẽ, vt factus sit caput suæ plebis, hoc est, totius Ecclesiæ: omniũ itẽ tũ Iudæorũ tum gentiũ benedictio, atq; ita diuini testamẽti obsignaculũ: ad hęc magnificatio in cõspectu regũ, & corona gloriæ, adeò vt in nomine ipsius omne genu flectatur cælestium, terrestriũ, & inferorũ, & omnes cõfiteãtur q; sit in gloria Dei Patris, Phil. 2. omniũ dominus, iudex viuorũ & mortuorũ. Certa de his adfert testimonia d. Pau. Col. 1.

Functionis sacerdotalis præmiũ.

Honorem summum detulit Pater Christo pro sacerdotali officio ritè expleto.

Ipse,

Ipse, inquit, est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenés, Quia in ipso cõplacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum recõciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Et Petrus Act. 4. Hic est, inquit, lapis reprobatus à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio quopiam salus. Item Act. 10. Verbum misit Deus filiis Israël, annuntians pacem, per Iesum Christum: hic est omnium Dominus.

Sic quia venerandus Antistes B. Martinus ab infantia deo placuit & iuuentus est iustus, per verum nouæ legis Pontificem & sanctum sanctorum ad Præsulatum sublimatus est, in qua dignitate quia factus est deuotus populi reconciliator & intercessor, nec inuentus sit illi vix similis, qui in eadẽ conseruaret legem excelsi, ideo amauit eũ dominus & ornauit eũ stolâq; gloriæ induit eum, nec non benedictione cælesti hæreditauit illũ dñs Deus noster. Bonorũ enim laborũ glorioſus est fructus, Sap. 3.

Vitam autem B. Martini, quemadmodum à Sulpitio Seuero descripta est, ex Latino hagiologio patitam, sacerdos pius clero populóque, tum ad eorũ eruditionem, tum emendationem proferre potest, ac debet.

EPILOGVS.

1 *Quia Ecclesia militans & triumphãs vna sunt Ecclesia, ideò meritò ipsa militans Ecclesia laudes patrum &c. Test. in Christo dormientium, attribuit sanctis noui testamenti, quia eodem Spiritu ducti, eadem fide præditi, iisdem virtutibus donati, eadem charitate succensi, omni conamine legem Dei adimplere studuerunt.*

2 *Omnis diuorũ laus, tanquã in suum scopũ dirigenda est in ipsum caput sanctorũ omniũ Christũ, è quo tanquam ex fonte, omnes sancti suã iustitiã, pietatem, legis diuinæ adimpletionem hauserũt. Vnde dixit Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. hinc est quod verè sancti dicunt cũ Dauide, Nõ nobis domine, nõ nobis sed nomini tuo da gloriã. Psal. 113. Imò potissimùm cõuenit hæc lectio Pontifici nostro Christo, qui et ipse omnia quæ in ea cõmemorantur in se absolutissimè expressit.*

3 *Finis & præmiũ per gratiã Dei bene actæ vitæ necnõ sacerdotalis officij ritè gesti, honor, benedictio, misericordia, gratia,*

tia, corona gloriæ, & æterna beatitudo. Hinc dicturus est dominus: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui, Matth. 25.

IN FESTO EIVSDEM S. Episcopi, Euangelium.

In illo temp. dixit Iesus discip. suis. Sint lumbi vestri præcincti, &c. Finis Euangelij: quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Luca 2.

IN Euangelio hodierno, quod totum est parabolicum & allegoricum, docet nos parabolicè dominus quatuor. Primò quonam pacto nosmet dignè ad ipsius aduentum, hoc est, mortis horam, & diem nouissimum parare debeamus, ne inopinatò rapiamur in æternum exitium, cùm dicit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ accensæ.* Hanc parabolam à viatoribus nocturnis sumpsit dominus. Nam hinc, vel stercoribus commaculentur, vel à sentibus remoueantur, omnium primò vestimenta sua præcingunt, mox verò ne quà impingant, aut à semita deflectant, sed expeditiùs iter conficiant, lumina seu lucernam gestant in manibus. Iam sumus nos viatores spirituales, adeóque viatores nocturni, hoc est, vita nostra perpetuus cursus est, & progredimur vsque de die in diem, quemadmodũ viatores de miliari in miliare, sitóque iter nostrum noctu, hoc est, in caliginoso, cæróque mundo. Hoc testatus est Dauid. 1. Paralip. 29. Peregrini sumus coram te & aduenæ, sicut omnes patres nostri, dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora. Et Apost. Heb. 13. Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Nam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino. 2. Cor. 5. Vult igitur dominus nostrer, vt & nos (viatorum & peregrinorum more) præcingamus lumbos nostros, luminaque gestemus in manibus, hoc est, vt animos nostros cohibeamus, subducamúsque à stercoribus peccatorum & sentibus voluptatum huius mundi, & vt Apostolus vult, Heb. 13. Sint mores alieni ab omni auaritia contenti iis quæ adsunt: & iuxta B. Iac. 1. cap. simus abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam

Similitudo aptissima à viatoribus nocturnis desumpta.

Viatores spirituales sumus & nocturni.

mali

malitiæ, in manſuetudine ſuſcipientes inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas noſtras. Item iuxta Petrum 1.cap. 2. tanquam aduenæ & peregrini abſtineamus nos à carnalibus deſideriis quæ militant aduerſus animam, conuerſationem inter gentes habentes bonam, &c. ac contrà in fide veram vitam agamus, pudicam, ſobriam, iuſtam ſanctámque, necnon corpora noſtra ieiuniis, vigiliis, ac continentia aliiſque exercitiis carni ingratis maceremus caſtigemúſque, 1.Corint.9.Galat.6.Nam per præcinctionem lumborum peccatorum voluptatúmque omnium conſtrictio ſeu reſiſtentia intelligitur: Per verò lucernas accenſas, bona opera (fide nimirum lucida & charitate feruida) intelligenda veniunt. Senſus itaq; eſt. Si dignè ad domini aduentum parare nos velimus, ante omnia à peccatis abſtinere, & innocenter contrà viuere nos oportet. Non enim ſatis eſt, vt lumbi noſtri præcincti ſint, hoc eſt, vt non peccemus: ſed & lucernis contrà accenſis inſtructi ſimus neceſſe eſt, lucerna nimirum verbi Dei, Pſal.118.luce veræ fidei, Ioan.12.& luce bonorum operum, Matt.5.Sic luceat lux veſtra coram hominibus, &c. Nam cui hæc non adſunt, is cæcus eſt, & manu viam tentans, ſicut Petrus habet. 2.cap.1.Ideóque non tantùm ſcriptum eſt: declina à malo: ſed & additur ſtatim: & fac bonum, Pſalm.32.Item Iſa.1. Quieſcite agere peruerſè, addit: & diſcite benè facere.

Lucernæ lumborúm que præcinctio quid ſignificent.

Atqui necdum hoc ſufficere nobis debet, vt lucernas huiuſmodi geſtemus in noſtris manibus, ſed addendum etiam hoc, vt vigilemus, expectemúſque gnauiter, adipſum vſque domini noſtri aduentum reditúmque, quemadmodum fideles ſerui, noctu foris agente domino, vigilare ac omni momento expectare illum ſedulò conſueuerunt. Audiamus porrò dominũ nos adhortantẽ: *Et Ego*, inquit, *ſimiles eſtote hominibus expectãtibus dominũ ſuum, quãdo reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit ac pulſauerit, confeſtim aperiãt ei.* Hæc parabola à ſeruis fidelibus petita eſt. Nuptiæ antiquitus noctu peragi ſolebant: oportebat igitur ſeruos vigilare, & expectare dominos ſuos per totam noctem. Sic nimirũ & nũc ſpiritualiter agitur, inter Chriſtum dominũ noſtrum, atq; nos ipſius ſeruos, dominus quidẽ, qui nuptiis intereſſe dicitur, dominus noſter Ieſus

Nuptiæ olim noctu peragi ſolebant.

Ieſus Chriſtus eſt, rex regum & dominus dominãtium, Apoc.19.Nuptiæ autem, cæleſtia ſunt gaudia, Apoc.10. Serui verò ſumus omnes nos, cuiuſcunque ſimus vel ſexus vel conditionis: quum enim venundati eſſemus per chirographum peccati diabolo, redemit ille nos, fecítque nos ſibi peculium, Colloſſ.1.Tit.2. Nox verò poteſtas eſt tenebrarum, Luc.22, mundi maligni ſumma peruerſitas, Ioan.3. & finis temporis gratiæ, Ioan.9. At reditus domini à nuptiis, Chriſti aduẽtus eſt ad iudicium: ſpiritualis quidem & inuiſibilis in hora mortis, corporalis verò & viſibilis in nouiſsimo die, Ioan.14.Matt.25. Incertus autem domini reditus, & horæ mortis & diei nouiſsimi incertitudinem ſignificat, Matth. 24. de die autem illa & hora nemo ſcit, neque angeli cælorum, Marc.13.neque filius, niſi ſolus pater.

Nuptiæ Chriſti cæleſtia ſunt gaudia.

Serui domini ſumus omnes nos.

Reditus domini à nuptiis, eſt aduentus eius vltimus.

Eſt ergo dominus noſter profectus ad nuptias. hoc eſt, aſcendit ad cælos, ſedétque ad dextram Patris, & fruitur cæleſti, diuináque gloria: at inde tandem rediturus eſt ad iudiciũ, idque in hora mortis inuiſibiliter, & nouiſsimo die (vt dictũ eſt) viſibiliter. Quũ ergo nos omnes ſimus ſerui ipſius, oportebit ſanè & nos vigilare, expectaréque ipſum ſedulò. Videmus enim, etiã ſi quis lucernis accẽſis noctu vel inſtructiſsimus ſit, ſi tamẽ is ſomno indulgeat, excidere illas è manu ipſius, ſicque mox extingui: ita videlicet, etiam ſi & nos quàm pientiſsimam arripuerimus vitam, ſi tamẽ dormiamus, hoc eſt, omnem metum ponamus, & agamus ſecurè, peribit mox omnis noſtra pietas. Nox enim adeſt, imò magis horribiliúſque ea totum modum in dies occupat, hoc eſt, totus mundus in maligno poſitus eſt, 1.Ioan.5. refrixit charitas, nutat ac labaſcit fides, defecere fermè virtutes oẽs, abundauítque interim iniquitas multorũ, Matt.24.ideóq; meritò ſanè dicit Paulus dies eſſe malos, inſtaréque periculoſa tẽpora, Ephe.5.2.Tit.3. Venit autem dñs certò in nocte hac, & veniet quidem eo tempore, quãdo longiſsimè adhuc abeſſe ipſum putabunt homines mundani, 1.Theſſa.5.2. Pet.3.Apoc.3. Si igitur conſultum nos ſaluti noſtræ volumus, procraſtinationem ponamus, præcinctos habeamus lumbos lucernas accenſas geſtemus, quámque primùm & egrediamur domino obuiam, vigilemus & ex-

Seruorum Dei eſt vigilare & expectare ipſum.

Nox totum mundũ occupat.

Dominus eo tẽpore veniet quando longiſsimè abeſſe putabitur.

pectemus ipsum citra intermissionem omni momento à nuptiis cælestibus reuersurum, hoc est, perseueremus, cúmque metu ac tremore salutem nostram operemur. Scriptum enim est. 2. Timoth. 2. Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et Matth. 24. Qui sustinuerit vsque in finem, hic saluus erit. Audiatur iterum Apostolus Tit. 2. Apparuit gratia Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata omni impietate & secularibus desideriis, sobriè, & iustè, & pie viuamus in hoc seculo, expectantes beatã spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Et Psal. 26. Expecta dominum, viriliter age, confortetur cor tuum & sustine dominum. Et rursus Psal. 36. Expecta dominum & custodi viam eius, &c.

Audiuimus hactenus breuiter laborem nostrum. Ne ergo nos eius laboris & vigiliæ tederet, addit & præmiũ hoc loco consequuturum, quum ait dominus: *Beati sunt serui illi, quos cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Hic dominus vigilantes & succinctos pronunciat beatos, atque ne quis beatitudinem hanc imaginariam censeat, addit modum beatitudinis: nimirum, se (vtpote dominum) collocaturum suos ad mensam, & ministraturum ipsis, hoc est, æternã eis concessurum requiem, & sua ipsius donaturum eos gloria. hanc ineffabilem mercedem suis quoque promisit, Luc. 22. d. vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Item Apoc. 16. Ecce venio citò sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videãt turpitudinem eius, Idem cap. 21. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum. Iterum cap. 22. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, dare vnicuique secundum opera sua.

Præmium succinctorum & vigilãtium.

Ex his autẽ verbis colligere facilè possumus, quantopere sitiat dominus salutẽ nostram, vt nempe saluemur. colligere quoque possumus, quanta ipsius erga nos sit liberalitas, etiã si fecerimus maximè omnia, quæ & hic & alibi nobis præcipit, nihil tamen deberetur nobis. Nã omnia

Liberalitas domini

omnia nostra benefacta plus quàm satis à domino nobis antè refusa sunt, neque nostra illi opus est beatitudine; nã sine nobis & ab æterno regnauit, & porrò regnare potest. Attamen pollicetur nobis æternam fœlicitatem, tanquam præmium, ac si nostris iustitiis ea deberetur; & ideò beatos nos esse cupit, vt & suum nobis offerat ministerium, velitque ministrare nobis, tanquam seruis dominus, quum tamen nos ipsi ministerium re vera debeamus. Tantum igitur, támque liberale præmium nos meritò extimulare omnes debet, vt alacrius studiosúsque spirituales nostros lumbos præcingamus, habeamus lucernas accensas, vigilemus & expectemus dñm.

erga nos quàm magna sit.

Præmij magnitudo ad virtutum amorẽ & vitiorum odium nos excitare debet.

3 Tertiò ostendit dominus summam erga seruos suos longanimitatem, mansuetudinem, & patientiam. Poterat enim quispiã ad hæc dixisse: Audio quidem præmij magnitudinẽ, & maximam domini erga nos munificentiam: verùm quis semper habere potest præcinctos lumbos, & accensas lucernas? quísve semper vigilare & expectare sic dominum potest? In multis enim offendimus omnes, Iacobi 3. & nemo purus à peccato est, teste Iob. Ad hoc ergo sic respondet consequenter dominus: *Et si venerit in secũda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, atque ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Quibus verbis (vt diximus) patientiam & longanimitatẽ suam nobis cõmendat. Et si iure optimo nos omni tẽpore paratos esse oportet in prima vigilia, in secunda, & tertia, hoc est, in ipsa pueritia statim, in adolescentia & in senectute, iuxta illud Thren. 3. Bonum est viro cùm portauerit iugum domini ab adolescentia sua: & illud Eccl. 39. Iustus cor suũ tradet ad vigilandum diluculo ad Deum qui fecit illum, &c. tamen adeò clemens & longanimis est dominus, vt quos non inuenit per omnia paratos in pueritia, cum his sit patiens vsque ad adolescentiam: & quos nec in hac paratos inuenit, eos toleret vsque ad vltimam senectam. nouit enim pronitatem nostram in malũ, Gene. 8. & instabilitatem in bono. Ideo longanimis est super nos, nec statim vleiscitur lapsos nos, sed patiẽter expectat ad pœnitentiam, iuxta illud Isa. 30. Expectat dominus vt misereatur nostri. Et 2. Pet. 3. Non tardat dominus promissionem suam sicut quidam existimant, sed patienter agit

Longanimitas & patientia domini nobis cõmendatur.

propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Si igitur cessauimus hactenus aut lapsi sumus, surgamus, resipiscamúsq; vel adhuc: nondũ enim serò est, quãdiu differt aduentum dũs spes est salutis. Sed tamen interim is beatior erit, qui sic vitã suam componit, vt omni momento liberè effari audeat hoc dauidicum: Paratus sum & non sum turbatus, Psal.118. Item Psal.107. Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum.

Spes salutis est quãdiu dominus differt aduentum suum.

4 Quartò docet quid nos præterea debeat cõmouere potissimùm, vt studiosius nosmet paremus. Est quæ horæ mortis iudiciique futuri incertitudo. Quia ergo nescimus quando maximè sit venturus, eò q; tẽpus illud ignotum est, certum tamen est adfuturum, (nam nihil morte iudicióque certius, hora verò nihil incertius) præstat & vtile atque necessarium est, vt semper vigilemus, necnõ perpetuò parati & instructi simus bonis operibus, atque ab omnibus mundanarum rerum impedimentis expediti. Ob id nimirum dominus subiungit: *hoc autem scitote, quòd si sciret pater familias qua hora fur esset venturus, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Tam timent homines opibus suis terrenis, vt ob has vel totas noctes insomnes ducant, ne se dormientibus, irrumpãt fures, & eas furentur. Quantò magis nos solicitos oportebit, ne opibus spoliemur æternis ac cælestibus? Vigilandum igitur nobis est perpetuò, semper, inquam, studendum iustitiæ & pietati, ne dies domini (qui tanquam fur in nocte veniet) nos imparatos obruat, 2. Pet.3. Nã sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabant ad nuptias, vsque in diem qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth. Edebant & bibebãt, emebant, & vendebant, plantabãt & ædificabant: qua die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit, secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur, Luc.17. Matth.24. *Et vos igitur*, inquit, *estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Vltimam horam ignorare nos voluit dũs, vt semper suspecta sit, & ad eam præparemur, Eccl.5. ne tardes cõuerti ad dũm, & ne differas de die in diem, subitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Eccl.9. Quodcunque facere potest manus tua, instãter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapiẽtia erũt apud inferos quò tu properas. Quæ enim paratæ erant virgines, intrauerũt cum sponso ad nuptias, & clausa est ianua, Matth.25. Atque ne hîc caussemur nostram impotentiam, quamplurimos habemus prædecessores, ipsos Apostolos, Martyres, Confessores, virgines, & viduas, atque inter hos ipsum etiam B. Martinum, cuius hodie memoriam agimus. Et hi omnes ob id præcesserũt nos, & glaciem prosciderunt, vt eos imitemur, eadémq; tandem cum ipsis fruamur cælesti gloria, Amen.

Dies aduẽtus domini furi comparatur.

Horam vltimam nos ignorare vo-luit dominus vt semper suspecta sit.

Sancti præcessores nostri.

EPILOGVS.

1 *Christus nos hac lectione præmonet nostræ mortis & iudicij sui, fatemur quotidie in articulis fidei dominum venturum iudicare viuos & mortuos, sed certum tẽpus eius aduẽtus nos latet. Signa quidẽ plurima dominus prædixit, quorũ aliqua præcessere, pleráque quotidie videntur, pleráque expectantur, tamen horrendi illius diei certam horam inde colligere non possumus. Sic Heb.4. Statutum est homini semel mori. Et Sap.7. Vnus introitus omnibus ad vitã, & similis exitus manet omnes: hora tamen (iuxta Euang. Matth.24. & hic) mortis, nulli certa. Vnde & Poëta dicit: Tacito clam venit illa pede. Et sicut iudicium quadam signa prænuntiant, sic mors habet suos nuntios, casum, infirmitatem & senectutem, sed sic neque mortis hora fit certa. Quare hoc vt vigilemus, nósque apparemus bene viuendo & orãdo, Matth.24. & 25. Marc.13. Luc.21.*

Iudicij mortisque hora ex signis non fit certa.

2 *Ad studium bonorum operum quum in vltimam horam tum in extremũ diem, allicit nos & stimulat Seruator præmiis allicit, incerto & improuiso suo reditu nos vrget & stimulat, Apoc.3. Si non vigilaueris: veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.*

3 *Similitudine habitus ministrantium dominus docet sedulitatem nostram, vt stemus in fide, vigilemus in negotio salutis, mala non agamus, & bonis operibus insudemus: Psal. dicente, declina à malo & fac bonum. Nam tali modo optimus Christus voluit suos esse in hac sententia, vt extremum illum diem semper expectarent parati, ceu mox venturum. Et in hac sententia fuisse Petrum, Paulum, Hieronymum*

& innumerabiles alios constat. Furem Hilarius diabolum intelligit sequutus Origenem, alij extremum diem. Vterque enim fur est, teste Petro 1. Pet. 5. & 2. eiusdem. 3. cap. Pater familias vnusquisque nostrũ intelligitur, cui domus conscientiæ sub custodia cõmissa est. Dictũ est ergo omnibus nobis, Vigilate, Marc. 13. Nescitur dres nec hora, mors est certa, dies incerta, incertior hora. Cõsulat ergo anima qui sapit ille suã.

IN FERIIS CATHARINÆ virginis & martyris, Epistola.

Sapien. 7. & 8. *Sapientia vincit malitiam, &c. Finis Epistolæ & electrix operum illius.*

LEctionis huius verba sapiẽtissimus Israẽlitarum rex Salomon in diuinę sapientiæ encomion loquutus est, quo nos omnibus aliis posthabitis in vnius eius amorem & admirationem citiùs & libentiùs rapiamur: & præsertim tractatur hîc loqui eum de vulgari sapientia, quæ est affectio quædam animi, circa diuinarum, humanarúmque rerum cognitionem versans. Et ostendit se præcipuè loqui de ea sapientia quæ omnem sapientiam transcendit & à qua omnis sapientia veluti riuulus è fonte prõficiscitur, nempe de ipsa sapientia Dei, quę est filius Dei Iesus Christus Seruator noster. hîc enim summa illa Dei sapientia est, in quo omnes sapientiæ & scientię Dei thesauri recõditi sunt, Colloss. 2. qui & nobis à patre factus est sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. 1. Cor. 1. de hac dicit Salomon: *Sapientia vincit malitiam.* Vicit enim Christus morte sua diabolum, mortem, peccatum, &c. Apoca. 5. Vicit leo de tribu Iuda, vide etiam, Luc. 11. Ioan. 12. & 14. Rom. 5. Neque hunc potuit, neque potest vincere malitia, nam peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, Isa. 53. 1. Pet. 2. Imò nec vllum eorũ vnquam potuit malitia vincere, qui huic sapientiæ adhæserunt, qui in hanc spei suæ collocarunt ancoram. Sic enim ipsa dicit. Matth. 16. Et portę inferi non præualebunt aduersus Ecclesiã meam. Et Paulus ait: Nihil damnationis illos manet, qui insiti sunt Christo Iesu: nam si

1 duo: Primò ostendit quæ sit hæc sapientia, ne quis arbitretur hîc loqui eum de vulgari sapientia, quæ est affectio quædam animi, circa diuinarum, humanarúmque rerum cognitionem versans. Et ostendit se præcipuè loqui de ea sapientia quæ omnem sapientiam transcendit & à qua omnis sapientia veluti riuulus è fonte prõficiscitur, nempe de ipsa sapientia Dei, quę est filius Dei Iesus Christus Seruator noster. hîc enim summa illa Dei sapientia est, in quo omnes sapientiæ & scientię Dei thesauri recõditi sunt, Colloss. 2. qui & nobis à patre factus est sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. 1. Cor. 1. de hac dicit Salomon: *Sapientia vincit malitiam.* Vicit enim Christus morte sua diabolum, mortem, peccatum, &c. Apoca. 5. Vicit leo de tribu Iuda, vide etiam, Luc. 11. Ioan. 12. & 14. Rom. 5. Neque hunc potuit, neque potest vincere malitia, nam peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, Isa. 53. 1. Pet. 2. Imò nec vllum eorũ vnquam potuit malitia vincere, qui huic sapientiæ adhæserunt, qui in hanc spei suæ collocarunt ancoram. Sic enim ipsa dicit. Matth. 16. Et portę inferi non præualebunt aduersus Ecclesiã meam. Et Paulus ait: Nihil damnationis illos manet, qui insiti sunt Christo Iesu: nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. hoc palàm factum est in S. virgine Catharina, quæ annos nata octode cim viros etiam grauissimos & humana philosophia elariss imos sua disputatione superauit, & superatos ad Christi fidem conuertit. Superest igitur, vt quando ipse vera sapientia sit, nos ab eo sapientiam postulemus, dicentes, illud Prouerb. 5. deriuentur riuuli tui foras, in plateis aquas tuas diuide. Et quando ipse victor sit malitiæ, sub ipsius agamus præsidio. Omnia, inquit Apostolus, possum per eum, qui me confortat.

Malitia sic perare non poteſt Dei sapientiæ inniteteti

2 Secundò ostendit quos effectus habeat sapientia æterna, cùm subdit, *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Iesus Christus æterni Patris sapientia à fine vsque ad finem attingit fortiter & disponit. Quia ille est, per quem condita sunt vniuersa, visibilia pariter & inuisibilia: per ipsum omnia gubernantur & implẽtur, Colloss. 1. Ephe. 4. Restat igitur, quãdo ipse oĩa moderetur & gubernet, vt nos ipsum nostrũ regem agnoscamus. Isa. 33. dominus iudex noster, dñs legifer noster, dominus rex noster, ipse veniet & saluabit nos.

Hunc Christum Dei sapientiam omnium dominus dilexit, ipse nãque Dei patris filius est charissimus, in quo sibi complacuit, Matth. 3. & 17. In hoc voluit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitarẽ corporaliter, & reconciliari omnia erga se, siue quæ in cælis, siue quæ in terris. Quando erga ipsum Deus ipse tam intimè diligat, par est vt & nos eum diligamus, idque neque verbo, neque lingua, sed opere & veritate, Ioan. 3.

Sapientiæ patris, christum diligere debemus, quem pater tam intimè amat.

Hic quoque sponsus ille est, quẽ omnes electi exquisierũt & amplexi sunt, de quo testatus est Ioã. Bapt. Ioã. 3. d. Qui habet sponsam sponsus est, &c. cui sponso & Paulus suos Corinthios desponsauit: despondi, inquiẽs, vos vni viro, virginem castam exhibere Christo, 2. Corinth. 11. Par quoque est vt & nos hinc sponso nostro seruemus fidem, ne nobis obiiciatur quod olim de synagoga conquestus. d. Iere. 2. duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt venam aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, &c. & Ose. 4. Spiritus fornicationum, &c.

Sponso nostro fidem nos seruare oportet.

Christus etiam doctor disciplinæ Dei est, & electror operum illius, nam ipsę cęlestem doctrinã, voluntatém-

Doctor disciplina dei

Christus, et elector operum illius.

quẽ Patris è cælo attulit, & in nos apertè effudit. Verbũ inquit Petrus, misit Deus filiis Israël, nuntians pacẽ per Iesum Christum: hic omnium dominus est, Act. 10. Hic inuenit (ait Baruch 3.) omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël seruo suo: post in terris visus, & cum hominibus conuersatus est. Et ipse dominus. Ioan. 15. Omnia quæcunque audiui à patre meo, annuntiaui vobis. Et ad Patrem, Ioan. 17. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi in mundo. Verba quæ dedisti mihi, dedi eis: ego tradidi eis sermonẽ tuũ. Quum ipse denique doctor sit, quem dedit nobis Deus Pater, teste Iohele 2. cap. reliquum est, vt ipsius doctrinã amplectamur, quum præsertim & Pater cælestis hoc vnicè exigat, dum inquit: Hunc audite, Matth. 17.

Doctrinã Christi nos amplecti oportet.

Lectio hæc ob id hodiernæ festiuitati peculiariter cõsecrata est, q̃ & ipsa B. Catharinã virgo, spreta mũdana & vmbratili sapientia, hanc vnã tanquam verã & oĩa potentẽ & legerit & amauerit & exquisierit cũ Salomone, atque adeò tam mordicus tenuerit, vt ab ea neq; minis, neque pollicitis, neque verberibus, neque verbis, neque rotis, neque gladio potuerit auocari, sicque suo declarauerit exẽplo, verisimũ esse, quod hîc Salomon dicit, nẽpe malitiam non posse vincere sapientiam, & hãc à fine vsque ad finẽ attingere fortiter, & oĩa disponere suauiter. Vnde non ineptè in eius encomion tale canticum canit Ecclesia, d. Regnũ mundi, & omnem ornatum seculi contempsi, propter amorem domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi.

B. Catharinæ constãtia & fortitudo.

EPILOGVS.

1 *Sapientia increatæ cõmendatio & laus, in quã nõ incidit malitia, hoc est peccatũ, sed per eã potius à peccatis emũdamur. 1. Ioã 3. Scitis quia ille apparuit vt peccata tolleret, & peccatũ in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat, &c.*

2 *Amabilem se reddit Sapientia ab vtilitate & pulchritudine. Ab vtilitate, quia multò plura, maiora, & meliora bona habentur per eam, quàm per diuitias temporales. Hinc ait, Quid sapientia locupletius quæ operatur omnia? Infinitus thesaurus est, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei. A pulchritudine, quia nemo castum & immaculatum sese potest exhibere sponso suo Christo, nisi adsit donum*

num sapientiæ. Hinc Zach. 9. Quid est bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? id est sapientia efficiens castas mentes.

3 *Prouerbium est apud d. Dionysium: Optimi est optima adducere. Sic omnium donorum mater sapientia nobis omnia secum adfert, contestante hoc Salomone, Sap. 7. Venerunt mihi quiens, mihi omnia bona pariter cum illa, temporalia scilicet & æterna. Meritò ergo ea à nobis inuocanda, super salutem & speciem diligenda, atque regnis & sedibus & totius mundi diuitiis præponenda est.*

IN FERIIS EIVSDEM S. VIRginis, Euangelium.

In illo temp. dixit Iesus discip. suis, Simile fiet regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, &c. Finis Euangelij: vigilate itaque: quia nescitis diem neque horam. *Matt. 25.*

Mortis iudicijq; incertitudo ostenditur.

SAluator ostendit in hac parabola mortis iudicíque incertitudinem, atque post hanc vitam meritorum vacuitatẽ. Et ideo admonet non dormitandum aut cessãndum esse in vita hac, sed assiduo cultu pietatis & officiis in proximum parandum nobis viaticũ in vitã futurã, quòd scilicet in resurrectione serò nimis quæsituri hoc ipsum simus, nisi hîc parauerimus maturè. Hinc admonet Seruator Ioã. 12. Ambulate dũ lucẽ habetis, veniet enim nox, quãdo nemo potest operari, Ioã. 9. Et Pau. 1. Cor. 16. Vigilate, state in fide, viriliter agite, & cõfortamini: omnia vestra in charitate fiant. Et Gal. 6. Dũ tempus habemus operemur bonũ, &c.

1 Ecclesiæ militantis status, qualis hîc sit ostenditur.

Præsertim in hac præsenti parabola notatu digna occurrunt tria. Primò delineatur nobis status præsentis Ecclesiæ militantis. Cõparatur enim Ecclesia arcæ Noë continenti munda & immunda animalia: & areæ in qua est triticũ cum palea: item sagenæ, omne genus piscium capiẽti, Matt. 13. & hîc decẽ virginibus, inter quas quinq; sunt sapiẽtes, & reliquæ quinque imprudẽtes & fatuæ: in qua nũc ægrè discerni possunt mali à bonis, & è cõuerso. Discretio hæc tantũ fiet post mortem in futuro iudicio, quãdo exibũt angeli, & separabũt malos de medio iustorum, & mittẽt eos in caminũ ignis, &c. Mat. 13. Tũc enim

sicuti Saluator dicit Ioã.5. Qui bona fecerũt, ibunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerũt, in resurrectionem iudicij, dicit ergo Christus: *Simile fiet regnũ cælorum decem virginibus: quæ sumptis lãpadibus suis exierunt obuiã sponso. Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudẽtes. Sed quinque fatuæ acceptis lãpadibus, non sumpserunt oleũ secũ. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis.* Per decem virgines omnes in genere Christiani intelliguntur: quinimirum dicuntur virgines, quod castitatẽ habeant veræ fidei, sintque in baptismo desponsati vni Christo cælesti sponso, satanæq; & omnibus eius operibus ac pompis renuntiauerint. Quemadmodum enim quis virgo nascitur, sic & nos in baptismate renascimur spirituales virgines, hoc est, à peccatis & corpore & spiritu puri: idque in eum finem, vt virginitatem huiusmodi nostram ergà sponsum Christum illibatam seruemus, hoc est, in fide & in vita stabiles sinceríque simus, iuxta quod omnes hortamur ab Ecclesia. d. statim à baptismate accepto, Accipe stolam candidam, lampadem ardentem, & custodi baptismum tuum, vt possis Christo occurrere. Hinc nimirum & Paulus ad Corinthios suos, quos per baptismum & fidem Christo adduxerat, inquit, Desponsaui vos vni viro, vt virginem castam exhibeatis Christo, 2. Corinth. 11.

Christiani cur virgines dicantur.

Fidei castitas sponsõ nostro seruanda.

Hîc verò cogiter iam vnusquisque nostrũm, num etiam adhuc virgines simus, num etiam fidem Christo sponso seruauerimus. Certè qui vel fornicati vel adulterati sunt, hoc est, vel in hæresim, vel in impiam vitã inciderunt & extra veram orthodoxámque fidem agũt, Christúmque vel ignorãt vel abnegarunt, ij in scripturis non virgines, sed meretrices & adulteræ dicuntur: iuxta illud Oseę 4. Spiritus fornicationum decepit populum meum, & fornicati sunt à Deo suo, nec in Christianorum verorum albo sunt, imò ne inter hypocriticos quidem Christianos numerari sunt digni: nam vt vt hypocritæ sunt, virgines tamen adhuc sunt, si non interne, externè saltem.

Hæretici adulteri, & Christianorum albo indigni.

Rationem quur dominus Christianos decẽ virginibus comparari hîc scire oportet. via domini, per quam nos oportet Christo ire obuiam, est via mandatorum Dei Psal. 118. Mandata autẽ decem sunt numero, vt omnibus constat. Cõparantur igitur Christiani virginibus decem, vt ad

Christiani

vt admoneamur, decem præceptorum à nobis exigi obseruationem: quemadmodum & Matth. 19. dominus ait: Si vis vitam ingredi, serua mandata. Porrò mandatorum horum summa est, fides in Deũ, & charitas tum in Deum tũ in proximũ. Hæc in genere de Christianis dicta sunt.

cur decem Virginibus comparantur.

Sponsus autẽ cui obuiã exierũt virgines decem, Christus est, vti suprà ex Paulo ostensum est, 2. Corinth. 11.

Sponsus Christus.

Per quinque verò virgines prudentes, veri Christiani intelligendi veniunt, per fatuas Christiani adulterini & hypocritici: de vtrisque habes Matth. 7. vbi Christus dicit: Omnis qui audit verba mea, & facit ea sapiẽs est, &c. Qui verò audit, sed non facit, stultus est, &c. Item Deut. 32. Gens absque consilio & sine prudentia, &c.

Virgines prudentes Veri Christiani.

Fatuæ adulterini & hypocritici.

Habuere virgines singulæ lampades, at non omnes oleum. Per lampades autem intelligũtur commodè, externa fidei confessio, & externa bona opera: per oleum verò, fides & charitas intelligi debent. Sic ergo omnes Christiani externè quidẽ fidem cõfitentur & bona opera exercent, verùm non omnes fidem etiam cordis habent, ac ex charitatis ductu, rectáque intentione bonis incumbunt operibus. Sunt itaque ij genuini Christiani, qui & ore fidem confitentur, & corde eriã fidem fouẽt, ac quorum opera bona ex vera fide & charitate rectáque intentione proueniunt. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Contrà hypocritici sunt, qui fidem ore duntaxat profitẽtur, & externè operãtur, veritate fidei & charitatis rectæque intentionis interim vacui, in quos torquetur hoc Euangelicum. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuũ tenebrosum erit. vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Nã sicut lampas sine oleo fœtet, sic opus sine intentione recta & charitate, ingratũ est. 1. Cor. 13. Si charitatẽ nõ habuero nihil sum, nihil mihi prodest. Hinc iã colligere possumus, verine Christiani nos, an adulterini simus. In summa: Non externa fidei confessio, nec externa bona opera veros à falsis discernũt. nã vtriq; his insigniti sunt, verùm sola fides cordis, charitas ex vera fide promanãs, cõscientia bona & pura, ac recta ad Deũ intentio alteros ab alteris disterminant. Si ergo veri Christiani esse volumus, ante omnia, & vera perseuerãtíque fide, & vera charitate præditi

Oleũ fides & charitas.

Christiani genuini.

Christiani hypocritici.

Opera sine intentione recta & charitate ingrata.

Christiani veri ac falsi per quem discernuntur.

diti esse studeamus: sic enim vltrò & confessio & externa opera sequuntur.

Mora est aduentus Christi ad iudicium dilatio.

Iam sponsi tardatio & mora, de qua sequitur: Moram faciente sponso, aduẽtus Christi ad iudicium extremum dilatio est: qui nimirum in longum differt reditũ suum, non (vt impij iudicãt) quòd omninò emansurus sit, sed vt longanimitate sua inuitet nos omnes maximè imprudentes ad pœnitẽtiam & resipiscentiam, ac æternùm seruet, testibus Paulo, Rom. 2. & Petro, 2. cap. 3. Olim Gentiles in Deorum suorũ encomion hoc prouerbium statuerunt d. Dij laneos habẽt pedes.

Spõsus longanimus super sponsam suam.

Multò magis hoc de prædicandum est de Deo nostro vero & Seruatore Iesu Christo, qui pius & lõganimis est super sponsam suã Ecclesiam, de cuius pietate sic ait Isa. 30. Expectat nos Deus vt misereatur nostri. Sed attendẽda & pertimescenda hîc est Lactãtij sententia, d. Diuina quidem ira tardè ad vindictam procedit, sed tarditatẽ supplicij grauitate cõpensabit. Audiẽdus ergo Habacuc, 2. cap. Si morã fecerit, inquit, expecta eum quia veniens veniet, & non tardabit.

2 Secundò ostenditur qualis Ecclesiæ militantis status tandem in fine futurus sit, & quis eius terminus, cùm subdit Christus: *Moram autem faciente sponso dormitauerunt omnes, ac dormierunt.* Quòd verò quum tardaret sponsus virgines omnes dormitare cœperunt & dormierunt: per hoc defectus & mors significatur, quibus tam boni quàm mali hoc in mundo obnoxij sunt: Nam omnibus semel moriendũ est, siue veri siue hypocritici, siue boni siue mali, quia secundũ corpus, vnus est omniũ interitus, siue pij siue impij: siue sapiẽtes, siue stulti: siue docti siue indocti, Eccles. 2. Heb. 9. Statutũ est hominibus semel mori, post hoc autem iudiciũ. *Media autẽ nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exite obuiã ei.* Clamor in media nocte, quãdo altissimè dormitur, aduentum domini repẽtinum & inexpectatum ad iudiciũ significat: quemadmodum enim fur in nocte, ita dies domini veniet. Quum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, 1. Thess. 5. Isa. 30. Dum non sperat veniet ei contritio, & sicut in diebus Noë venit diluuium, & in diebus Sodomorum & Gomorrhæorum pluit Deus ignem & sulphur, ita erit & aduentus filij hominis, Matth. 24.

Dormitio aut dormitatio mortem significat.

Clamor in media nocte inexpectatum domini aduẽtum denotat.

Item

Item Apoc. 3. Si non vigilaueris, veniam ad te quasi fur in nocte, & nescis qua hora veniam ad te.

Porrò clamor ille nocte intempesta, sponsi præsentiam nuntians, & virgines à somno ad occurrendũ illi excitãs: turbã angelicã denotat, qua (eo tempore quo minimè putabunt homines) mortui omnes in ictu oculi excitabuntur ad vitã, ad iudiciúmq; Christi sponsi citabũtur, iuxta illud Matth. 24. Tunc plãgent omnes tribus terræ, & videbunt filiũ hominis venientem in nubibus cæli cũ virtute & gloria multa. Et mittet angelos suos cum tubæ voce magna, & congregabũt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum. Huius clamoris etiam Paulus meminit. 1. Cor. 15. Canet, inquit, tuba, & mortui resurgẽt incorrupti. Item. 1. Thess. 4. Ipse dominus in iussu & in voce archãgeli, & in tuba Dei descendet de cælo, &c. O quantus hîc clamor, futurus est! Non erit anima tam altè in cælo, nec ita profundè in inferno, nec corpus ita absconditum in sepulchro, quin audiat hunc clamorem. Iste clamor semper feriebat aures B. Hieronymi, qui ait: Quoties diem iudicij cogito, toto corde contremisco: siue bibo, siue comedo, semper videtur sonare in auribus meis illa terribilis tuba: Surgite mortui, venire ad iudicium. O vtinam & nos sæpius, maximè inter epulas, comessationes, ebrietates & vanas voluptates, iudicij huius & clamoris recordaremur, certè à tam enormibus luxuriis & peccatis abstineremus. Memorare, ait Sap. nouissima tua, & in æternum non peccabis. Vtinam Christi consilium adimpleamus, d. Luc. 21. Attendite ne grauentur corda vestra, crapula & ebrietate, & curis huius seculi, ne irruat super vos dies illa repentina. veniet enim tanquam laqueus super iis qui sedent super faciem vniuersæ terræ. Sed quid tuba canet? Haud dubiè: *Ecce sponsus venit cum maiestate magna, exite de tumulis vestris obuiam ei.* Et tunc ait dominus Ioan. 5. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocẽ filij Dei. Sanè, inquam, tunc in momẽto, in ictu oculi, iuxta Ezechielem 37. cap. in campo magno ossibus mortuorum pleno, ossa ad ossa, & nerui ad neruos colligentur, quia surget corpus spirituale, quod seminatum est animale, & resurgẽs à mortuis, iam nõ morietur, mors illi vltrà non

Clamor tuba personãs est.

Clamor tubæ quàm efficax.

Tuba quid canitura sit.

domi

Vox vltima tubæ iucunda & horribilis.

dominabitur. O quàm iucunda erit hæc vox in auribus piorum, & horrenda in auribus impiorum, quemadmodum ad aduentum iudicis lætantur boni, & timent mali.

Oratio.

O domine Iesu Christe fili Dei viui, da in illa hora auditui nostro gaudium & lætitiam & exultabunt ossa humiliata: non timeamus tunc quæso domine ab auditione mala, quam audituræ sunt virgines fatuæ, quibus dicturus es: Ite maledicti in ignem æternum. O quàm plangent se tum omnes tribus terræ, & dicent montibus, cadite super nos: & collibus operite nos. O dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ. O domine Iesu da nos esse in numero paratarum virginum, quibus dicturus es hanc vocem clamoris: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnũ à constitutione mundi, venite ad nuptias, quia omnia parata sunt, quæ ad æternam beatitudinis vitam attinent, Sequitur, *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerũt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis: ite potius ad vendentes & emite vobis.* In die extremo resurgẽt omnes boni & mali, sed modo diuerso: sicut in hac vita, quidã è somno corporali excitantur à Deo, aliqui à diabolo: alij ad peccatum, alij ad virtutes: alij ad orationem, alij ad fornicationem: alij ad Missam & ad sacram concionem, alij ad tabernam, &c. Secundum hunc modum variè resurgent in iudicio, Daniel. 12. Multi de his qui dormierũt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium vt videãt semper. Quod verò sequitur, quemadmodum expergefactę virgines omnes adornarint lampades suas: eo portenditur, simul atque mortui è terræ puluere euigilauerint, cõsideraturum tum vnumquẽque opera sua quæ in vita mortali gesserit. Nam de solis operibus tunc quæstio fiet, iuxta illud Matth. 16. Futurum est vt filius hominis veniat in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique iuxta facta ipsius. Et Paulus. 2. Cor. 5. Omnes manifestabimur ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit propria corporis, siue bonum siue malum. Nam Apoc. 14. Opera illorum sequuntur illos.

1. Cor. 15. *Resurrectio generalis diuersimodè fiet.*

Opera in futuro iudicio examinabuntur.

Sed

Sed quòd prudentes ornauerint incenderúntque lampades suas, fatuæ verò tandem tum se oleum non sumpsisse secum senserunt, obque olei carentiam lampades suas non potuerunt incendere, ideóque à reliquis petierunt illud: eo delineatur, quòd dies domini reuelaturus sit abscondita tenebrarum & consilia cordium. 1. Cor. 4. quòd etiam tum sunt pœnitentia anteactæ vitæ tangendi hypocritæ & impij, sed serò nimis. Quandiu in hac mortali vita sumus, latet qui veri sint Christiani, qui contrà adulterini, at vt ventũ fuerit ad iudicium, vltima illa dies omnia declarabit. Tum enim iusti fulgebunt vt sol, Matth. 13. Iniusti verò & hypocritæ videbunt & se & sua opera meras esse nugas & tenebras. Ibi demum petent oleum, hoc est, tangẽtur pœnitentia, volent aliter actum, at serò. Ioan 9.

Dies domini reuelaturus est quæ hîc fuerunt abscõdita.

Quòd autem sapientes denegarũt fatuis olei sui communicationem, illud vix sibi sufficere dixerunt: significat, in illo die nemini prodesse posse aliena merita aut suffragia, sed vnumquenque suum ipsius onus portaturum, Gal. 6. In presenti seculo, orationibus, ieiuniis, eleemosynis, sacrificiis possumus adiuuari: cùm autem ante tribunal Christi ventum fuerit, nec Iob, nec Daniel, nec Noë, &c. rogare poterunt pro quoquam. Tunc vix quisque sibi sufficiet, vt sibi testimonium perhibeat conscientia sua, 1. Pet. 4. Vix iustus saluabitur, impius autem vbi parebit? Significat item, neminem piorum tunc confisurum suis meritis, sed in consideratione rigidi iudicij Dei omnia sua opera, pro insufficientibus habiturum, solâque diuina misericordia & gratuitis promissis nixurum.

Merita aliena aut suffragia in extremo die nemini proderunt.

Adhæc verò, quòd sapientes relegarunt fatuas ironicè ad olei venditores: eo notatur illorum stultitia ac securitas, qui in præsenti vita audiunt adulatores spirituales, sieque veram pietatem negligunt: cuiusmodi assentatores sunt, qui alios ob externam iustitiæ speciem beatificant, neglecta vera animi pietate, aut peccatoribus ex falsis indulgentiis remissionem & culpæ & pœnæ (citra etiam omnem præcedentem pœnitentiam) pollicentur, aut in confessionibus (& præsertim in mortis hora) nimis largiter immensam Dei misericordiam inculcant, nulla interim iustitiæ diuinæ mentione habita: de quibus

Stultitiæ & securitas adulatoribus fidentiũ reprehenditur.

Olei vendi tores qui sint.

bus agit Ier.cap.5. Qui hos inquam parasitos audierunt, ij in iudicij die videbũt se miserrimè esse deceptos: iuxta illud Isa.3. Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.

Dum autẽ irent emere, venit sponsus. Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausas est ianua: nouissimè verò ℣eniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis: At ille respondens ait: Amen dico ℣obis, nescio ℣os. Dum irẽt emere, hoc est, quęrere suffragiũ, sed nimis tardè, venit sponsus Christus, cũ magna maiestate & gloria, qui prius venerat in summa paupertate & humilitate, Zach.9. Mat.21. Quòd ergo sequitur postquã sponsus venisset, solas paratas virgines intrasse cũ illo ad nuptias, clausamq; mox esse ianuam: inde docemur, neminem obuenturum vnquam cælestium nuptiarum & gaudiorum cõsortium, nisi qui paratus sit, hoc est, in fide veram charitatem, innocentiámque exercuerit, iuxta Sap. consilium d. Eccle.18. Ante mortẽ para iustitiam: aut saltem per veram anteactæ vitæ pœnitentiam, in sanguine Iesu Christi remissionẽ omnium suorũ peccatorum sit consecutus, quia dixit Christus Luc.13. Si pœnitentiã non habueritis, omnes simul peribitis. Nã alterutrũ adsit oportet. O quantæ exultationis vox: *Ecce sponsus venit*, ô quantæ dulcedinis: *Intrauerũt cum eo ad nuptias.* Sed ô quantæ item amaritudinis: *Et clausa est ianua*: Quæ ianua obsecro tũ erit clausa? Ianua inquã, misericordię, ad indulgendum, quæ modò omnibus aperitur: Ianua gratiæ ad merendũ, quæ modò omnibus offertur: Ianua gloriæ, ad intrandum, quæ modò omnibus pœnitentibus reseratur, Matth.3. & 4. Sanè tũ ea ianua erit clausa, quæ nũc patet venientibus ab oriente & occidente, vt recumbant cum Abrahã, Isaac & Iacob in regno cælorum, Matt.8. Ianua tunc erit clausa, quę nunc ait Ioan.6. Eum qui venerit ad me, non eiiciam foras, ea inquam, quæ nunc intromittit per pœnitentiam, homicidas, publicanos, meretrices, adulteros. Hócque genus reliquos, vel quamlibet graues peccatores, quandoquidem multus est dominus ad ignoscendũ, & præstabilis super malitiam. Iohel.2. Tum verò nõ talis erit, quia dicit: Et clausa est ianua, pietatis, scilicet, & misericordiæ, quæ nũc lachrymis, gemitibus, & pre

Aduentus Christi vltimus gloriosus.

Nuptiarũ cælestium consortium nullis continget nisi paratis, & per veram pœnitentiã sanctificatis.

Ianua modo omnib⁹ patens, in iudicij die clausa erit.

& precibus pœnitentium facilè patet. tunc autem nullius pœnitentia, nullius oratio, nullius gemitus amplius admittetur. Etenim tunc erit clausa ianua, quæ Aaronẽ post idolatriam recepit, quæ Dauidem post adulterium intromisit & homicidium, quæ Petrum post trinam negationem non solùm non repulit, sed claues suas ei seruandas commisit, quæ publicanum Matthæum ingredi passa est, quæ latronem in cruce non exclusit, quæ & peccatricem Magdalenam non est dedignata. Hæc eadem ianua tunc omnibus virginibus fatuis, id est, peruersis & obstinatis peccatoribus & non paratis, æternaliter erit clausa: quia magna erit eius seueritas post iudiciũ, cuius ineffabilis misericordia prærogata est. Hinc Amos dicit 5.cap. Cunctis qui foris sunt, dicetur, væ, væ, væ. Apoc.21. Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

Seueritas eius magna post iudiciũ in eis qui nũc misericordia eius abuntur.

Postremò verò ꝙ fatuæ à venditoribus olei reuersæ inanes, quãtumlibet & pulsarint ostium, & apertionem petierint, tulere tamen repulsam, nec intromissæ sunt: inde docemur, non solùm post vltimũ absolutum Christi iudicium neminem posse saluari contra opinionem Origenicam, sed & irrationabilem prorsus ac vanam illorum fiduciam, qui citra vel veram pietatem vel seriã pœnitentiam hoc in mundo exercitam sperare audent gloriam regni cælestis. Non enim miserebitur omnibus, qui operantur iniquitatem, Psal.58.

Redẽptio & salus post iudicium nulla.

Fiducia quorũdam ℣ana.

Ne quis autem hìc latronem, & à suscepto baptismo morientes nobis obiiciat: dicimus longè aliam in his & fuisse & esse rationem, quàm in nobis. Latro enim morte prohibebatur seu impediebatur, quo minus vitæ pietatem vrgere potuerit: & in eadẽ ratione ipsi etiam baptizati, si à suscepto baptismate moriantur statim, excusantur: verùm cùm nos statim à suscepto baptismo aut accepta iustificatione moriamur, vel piè viuamus, aut post peccatum ex animo resipiscamus oportet, vel nihil nobis salutis polliceri queamus.

Exhortatio ad vigilãtiam & bonorum operum commeatum.

3 Tertiò concludit dominus parabolam, & hortatur vt ad exemplum prudentium virginũ, serui fidelis, ac prouidi patris familiàs, vigilemus, necnon in tempore nobis paremus bonorum operum commeatum, quia ne-

scimus diem & horam illius aduẽtus, qui cùm subitò extiterit, iam non erit amplius tempus benefaciendi, sed vnicuique ferendum erit præmium pro retro gestis, & ait: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horã.* Ad nos viuẽtes hęc verba loquitur, ac si dicat, Si coronari cupitis, certate legitimè, si pręoccupari nolitis, vigilate omni momento, atque occurrite sponso Christo cum lucẽtibus sincerę conscientiæ & bonorum operum lampadibus. Nemo pœnitentiam in finem protrahat, dicẽs illud Augustini. Iuuenis sum, faciam illud quod me delectat, & postea pœnitẽtiam agam: ac si diceret: Percutiam me gladio, postea vadam ad medicum. Heu nescis, vnius horæ puncto vulnus accipitur, quod vix longo tempore ad sanitatem reducitur. Si quis tamen in extrema necessitate constitutus cupit recõciliari Deo: fateor quidem, pœnitentiam negare nõ possumus, sed nec securitatem dare possumus. Nunquid dico damnabitur? Sed nec dico liberabitur. Igitur vis à dubio liberari, tene certum, & dimitte incertum. Age pœnitentiam dum sanus es, dum potes peccare, quia tunc deseris peccata. Quando autem pœnites, cùm peccare non potes, peccata te deserunt, & & tu non illa. Sera enim pœnitentia, rarò vera, Hæc Augustinus. Hinc Sap. admonet. Eccl. 5. d. Ne tardes conuerti ad dominum, neque differas de die in diem, &c. Sed quodcunque facere potest manus tua instanter operare, &c. Eccles. 9. Nam virgines paratæ introierunt cum sponso ad nuptias, verùm fatuis præclusæ sunt fores: hoc est, hypocritæ & impij coniicientur in tenebras exteriores, Matth. 13. 24. ibunt in ignem æternum, Matt. 25. At veri Christiani subuehentur à Christo in regnum cæleste, 1. Thessal. 4. Quod vt nobis omnibus contingat, vigilemus, & subministremus in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia temperantiam, in temperantia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternam charitatem, in fraternitatis charitate dilectionem, 2. Per. 1.

Pœnitentia in vltimum finẽ non protrahenda.

Pœnitentia sera rarò vera.

Christianorũ verorũ & falsorum præmium.

EPILOGVS.

1 *Virginitas quæ propter excellentiam suam præceptum non est, 1. Corinth. 7. est res sublimis, quæ etiam apud veteres à prisceis sanctisque viris coli non potuit. Hæc tamen vt sublimis virtus non sufficiet, nisi adsit opus fidei & labor charitatis quibus*

quibus Deo desponsamur virgines castæ.

2 *Quisque prospiciat, ne erremus, Deus non irridetur. Nullus nos defendere poterit, si oleum non habuerimus in lampadibus. Hortamur cum Apost. 2. Corinth. 6. ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim Isa. 49. Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te, Ecce nunc tempus acceptabile, &c.*

3 *Crebrò repetit Christus, Vigilate, quia nescitis diem neque horam, ostendens ignorãtiam exitus ab hac vita vtilem esse. Igitur cũ illo Paulino epilogo libet receptui canere. Vigilate, state in fide, viriliter agite, estote fortes, omnia nobis cũ charitate fiant. Hæc est vita Christiana. Et sic qui dixerint cùm apparuerit Christus, habebunt fiduciam, nec pudefient ab eo in aduentu eius sed introibunt cum sponso, scilicet, Christo ad nuptias.*

Ignorantia exitus ab hac vita nobis vtilis.

Finis Euangeliorum & Epistolarum de Sanctis.

Hæ sequentes Feriæ suo loco reponendæ, inter sermonem, nempe, de angelis, & festum Simonis & Iudæ, fol. 178.

IN FERIIS LVCÆ EVANgelistæ, Epistola.

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, &c. Finis Epistolæ: per fidem eius. *Ephes. 3. 1. Cor. 15.*

POstquam Apostolus ostẽdisset Ephesiis gratiam cognitionis diuersorum ministeriorũ esse sibi collatam, consequenter pergit declarare ipsorum mysteriorum executionẽ quoque sibi demandatam, quorum ipse factus erat minister secundum donum gratię Dei, Act. 9. 1. Corinth. 4. Et præsertim facit tria. Primò ostendit ministerij sui officiũ sibi commissum quale fuerit, cùm dicit: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus euangelizare, &c.* Quibus verbis apertè declarat sibi Apostolicam legationem inter gentes commissam, eámque non vulgarem, sed summam arcanáque complectentem mysteria, de qua dicturus Paulinæ modestiæ excellentiam

1

Paulinæ modestiæ excellẽtia.

ostendit. Cùm enim diuinæ gratiæ magnificentiam prædicaturus est, audi quid dicat: Mihi omnium sanctorum vel vt alij volunt, hominum data est gratia hæc. Animi quidem erat demissi, & super prioribus peccatis, deletis etiam, lamentabatur, illorúmque recordabatur, ac modestiam tenebat: vt quando seipsum blasphemum vocat, & 1. Timo. 1. persequutorem, & contumeliosum. Verùm huic quod Tit 3. iam dicit, nihil poterit conferri. Primùm enim, inquit, talis eram: Et abortiuum se etiam vocat, 1. Corinth. 15. Quòd verò post tantas virtutes, & in eo q̃ præsens erat adeò modestus est, vt & omnium se minimum esse dicat, multæ & excellentis est modestiæ, & eò quoque excellentioris, quòd non dicit: Mihi omnium Apostolorum, sed sanctorum minimo. nam alio loco dicit: non sum dignus, vt vocer Apostolus. Summa. Quamuis minimus non erat quoad potestatem sibi commissam, ex consideratione tamen status præteriti se minimum vocat. Ego sum minimus, inquit, Apostolorũ, qui nõ sum dignus vocari Apostolus, quoniã persequutus sũ Ecclesiã Dei, &c.

Apostolus minor tempore non labore.

Item q̃ hìc se omnium aliorum minimum vocet, & alibi etiam dicat, se plus omnibus laborasse, vtrunque verum est: & vnum referendum est ad laborem, aliud ad tempus vocationis suæ. Plus enim omnibus Apostolis laborauit, quia cùm cæteri in locis sibi distributis prædicarent, ille non solùm Iudæis prædicauit, sed etiam omnibus gentibus, quibus constitutus est magister & prædicator. Minimo autem quòd dicit, tale est, ac si diceret, nouissimo & vltimo. Nouissimus enim omnium Apostolorum ipse vocatus est ad gratiam Euangelij: quia illi ante passionem à domino, hic verò post eius ascensionem de cælo vocatus est, Act. 9.

Paulus magister & prædicator gentium.

Quænã autem sit hæc gratia sibi data, subdit *Vt Euangelizem*, inquit, *in gentibus impenetrabiles diuitias Christi &c.* Vnde & alio loco dixit: Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes. Et cum cognouissent gratiam Dei quæ data est mihi inter Gentes, &c. Gal. 2.

Gratiæ Paulo commissæ magnitudo.

2 Secundò ponit commissæ gratiæ magnitudinem & excellentiã quę fuit reuelare & manifestare secreta Dei quę sunt magna & occulta, cùm dicit. *Data est mihi gratia*

tiæ hic in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi, à seculis in Deo, qui omnia creauit. Euangelizare, est bona annuntiare, quia Euangelium est bonum nuntium. Euangelizat ergo, non solùm qui Euangeliũ prædicat Christi ore prolatum, sed qui bona annuntiat, gratiæ Dei magnitudinem prædicat, & gaudia patriæ cælestis promittit, quæ in lege, & prophetis & Psalmis, necnon Euangeliis, dicíque sanctorum patrum continentur. Quasi ergo dicat Apostolus: Hæc gratia data est mihi, vt annuntiem Gentibus bonum. Non enim misit me Christus baptizare sed euangelizare, 1. Corin. 1. Et ibidẽ 9. Væ mihi, si non euangelizauero, hoc boni annuntiare præcipitur. *Inuestigabiles, nempe, diuitias Christi*, nimirum illa, de quibus idem Apost. alibi dicit. Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se, hoc est, gaudia patriæ cælestis, vita sine fine mansura. *Et illuminare omnes*, Non solùm Iudæos, sed etiam Gentes. Nam omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 2. Timoth. 2. Ad hoc, vt intelligant, quæ sit dispensatio sacramenti, hoc est, quàm ingenti & admirabili dispensatione facta sit per Christum generis humani arcana redemptio. Quia ergo hoc quod priori loco dixit diuitias, in subsequentibus appellauit sacramentum, ideò per diuitias præsertim mysteria incarnationis, & passionis Christi intelligit Apostolus, necnon redemptionem generis humani, & fidem Gẽtium, & q̃ de cætero nulla distantia sit inter Iudæos & Gentes in gratia Dei, quæ omnia rectè sacramentum appellat, & diuitias imperuestigabiles, quia ante Christi aduentum occulta & secreta fuerunt: Quę idem Apostolus vehementi stupore correptus admiratur, d. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, &c. Sed illæ diuitiæ, quas nullus antea potuit ad liquidum cognoscere eo q̃ inuestigabiles essent: domino veniente, vestigabiles & comprehensibiles factæ sunt. Et quæ in sua natura inuestigabiles sunt, per gratiam & reuelationẽ Spiritus sancti hominibus fidelibus peruiæ & cognitæ factæ sunt. Sicut verbi gratia,

Euangeliũ bonum nũtium.

Euangeliũ redemptionis & salutis etiam gentibus annuntiatum est.

Rom. 11.

Statua, quam non potuit intelligere Nabuchodonosor quidnam prefiguraret, per reuelationem sancti Spiritus Danieli vestigabilis & comprehensibilis facta fuit, vnde & eius mysterium ipsi regi interpretatus est, Dan. 2. Sic etiam Apostolo data est gratia illuminare per fidē omnes qui voluissent credere, nec solùm illuminare, sed & euangelizare, quæ sit dispensatio, id est, distributio, vel ministratio sacramenti absconditi, in Deo, qui omnia creauit. Hoc ipsum hìc appellat Apostolus sacramētum, quod superius vocarat diuitias, mysterium scilicet incarnationis filij Dei, fidem & salutem Gentium, & gaudia vitæ æternæ, quod à seculis, siue ab initio, absconditum fuit in Deo vero, id est, in sola notitia Dei, qui creauit omnia. Nec dicit, Deo fuit absconditū, sed in Deo, quoniam ipse per semetipsum id manifestare dignatus est. Vnde appellatur sacramentum, quòd est res secreta & occulta, antequàm in publicum deducatur. Sacramentum hoc sapientibus & prudentibus, necnon huius seculi potentibus occultatum fuit, sed Apostolis apertum & reuelatum, Matth. 11. & 1. Corinth. 2.

Diuitias Christi, & sacramenti dispensationem, vocat incarnationis mysterium.

3 Tertiò ostenditur ab Apostolo quis finis fuerit reuelati sacramenti, & deinde quis inde sit subsequutus fructus, cùm subdit: *Vt innotescat principatibus et potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapiētia Dei secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro, in quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius.* Ac si dicat, In eum finem sacramentum salutis à seculis absconditum tandem reuelatum & denuntiatum est Gentibus, vt innotescat, hoc est, manifesta fiat, multiformis sapiētia Dei principatibus & potestatibus in cælestibus. Sapiētia Dei vnica in essentia, multiformis in variis effectibus declarata est. Filius Dei natus est de virgine citra virilis seminis commixtionē, vagiebat vt infans in præsepio, sed ab angelis glorificabatur Deus in cælo: ab Herode quærebatur ad necem, tanquā homo, sed à magis stella duce quærebatur & adorabatur vt Deus: mortuus est vt homo, surrexit per virtutem diuinam: postquàm resurrexisset à mortuis, apparuit discipulis in habitu hominis, sed Spiritum sanctum dedit eis, vt Deus. Vt ergo ista multiplex sapientia Dei manifestaretur principibus & potestatibus in cælestibus (quas B. Hieronymus angelicas virtutes vult intelligi in cælo residentes) filius Dei veniens in mundum, reuelauit eam Apostolis suis, & per Ecclesiam, hoc est in Ecclesia prædicantibus Apostolis, manifestauit angelicis virtutibus. Dicit nanque B. Hieronymus, q̄ quædam angelicæ dignitates erant, quæ mysteria superius memorata ad purum non intellexerunt, donec completa est passio Christi, & Apostolis prædicantibus per omnes Gentes, cœpissent sua prædicatione Gentes ad fidem attrahere. Vnde domino propria virtute ad cælos ascendente dixisse feruntur illud Isaiæ. 63. Quis est iste qui venit de Edom, hoc est, de cruento & sanguinolento mundo? &c. Et illud Psal. 23. Quis est iste rex gloriæ? &c. Enimuero angelis & archangelis illud & solis constabat, q̄ Israël esset pars domini, populus eius, & allaturus esset dominus populo suo salutem, & eundem à prauis facinoribus exempturus. Quòd autem Gentiles tantum essent honoris consecuturi, & ad hoc, vt iuxta thronum Dei collocarentur, latebat vtique tam superiores quàm inferiores illas potestates. Gregorius autem Nyssenus, ante incarnationem affirmat, simplicem quādam potestates cęlestes habuisse Dei cognitionem, videlicet, q̄ sola volūtate cuncta crearit, & eidem licere omnia præuidebant, moderarique vniuersa & sapienter curare omnia intelligebant. Incarnato autem Dei verbo, ex contrario contraria sunt effecta. Nam per mortem vita successit, per infirmitatem potentia, per ignominiam gloria, per viliora denique sunt consequuta, quæ Deum decerent. Sic igitur nunc multiformis cognita cælestibus Dei est sapientia atque potentia, quæ vbi nobis innotuere, potestates illæ per nos perfecta Ecclesia, quantis esset dignata bonis, ad certiorem sunt diuinæ sapientiæ cognitionē deductæ, idque secundum præfinitionem vel præordinationem siue prædestinationem seculorum, quam præfinitionem fecit siue impleuit in Christo Iesu, id est, per Christum Iesum. Sicut ergo Deus Pater præordinauit ante omnia secula, sic compleuit & manifestauit multiformem sapientiam suam per Christum.

Sapientia Dei in variis effectibus multiformis demonstrata est.

Vocatio gētium latuit angelos & archangelos.

In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per

fidem eius. Quòd autem per Christũ effecta sint omnis, patet, inquit, ex eo, quia ille sit qui nos ad patrem deduxit: Veruntamen nequaquam sumus captiuorum more, nec vt sontes & noxij ad patrem deducti: sed fiduciã habemus, non simplicem quandam, sed vt cosidere plurimùm possimus & audere. Verùm vnde huiusmodi nobis bona proueniunt? Per fidem inquit: hæc nanque prauis deletis facinoribus, fiduciam nobis adiecit & confidentiam. Summa. Duplicem ostendit fructum nobis à Christo prouenisse, spem scilicet perueniendi ad cælum & æternam hæreditatem, 2. Corinth. 3. & obtinendi facultatem, Rom. 5. Per quem accessum habemus per fidem in gratia ista in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Hinc admonet Hebr. 4. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Fides fiduciam adsecit & confidentiam.

EPILOGVS.

1 *Paulus gratia Dei Gentibus destinatus Apostolus, & sacramentum sibi apertum & concreditũ, multis temporibus filiis hominum absconditum, reuelaret, Gentes esse scilicet cohæredes & concorporales, & comparticipes promissionis Iudaicæ in Christo Iesu per Euangelium, Rom. 15.*

2 *Prædicationis Apostolicæ præcipuus hic scopus fuit, Gentibus denũtiare parietem illum inimicitiarum, qui hactenus Iudæos à Gentibus segregauerat per Christi sanguinẽ demolitum esse, omniũmque electorum, siue è Iudæis, siue è Gentibus, fore vnam Ecclesiam. Christus dicitur Lapis angularis Matth. 21. propterea quòd duos in se populos tanquam parietes complectitur. Hinc & Paulus Ephe. 2. Ipse, inquit, est pax nostra qui fecit vtraque vnum. Et post pauca dicit Gentibus conuersis, Iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Hoc sic futurum præcinuit Zacha. cap. 6. Ipse inquit ædificabit templum domino & consilium pacis erit inter duos illos, puta Iudæos & Gentes.*

3 *Fides omnium donorum & meritorum donum, sine qua nemo placebit Deo. Hinc credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentium se remunerator sit, Heb. 11.*

Præsens

PRæsens lectio ab Ecclesia recitatur in honorem S. Lucæ, B. Pauli discipuli & itineris socij, eo quòd & ipsi data sit gratia nõ solùm euangelizãdi, sed etiã Euangelium scribendi. Scripsit autem Euangelium sicut audierat non solùm à Paulo qui cum domino in carne non fuerat, sed & à cæteris Apostolis, vt Lucas ipse in principio sui voluminis declarat. De hoc etiam Paulus: Misimus, inquit, cum illo fratrem, cuius laus est in Euãgelio, 2. Cor. 8. Item 2. Timoth. 4. Lucas, ait, est mecum solus. Et Coloss. 4. Salutat vos Lucas medicus charissimus. Acta vero Apostolorum sicut viderat, composuit.

IN IISDEM FERIIS
Euangelium.

Post hæc autem designauit dominus & alios septuaginta duos, &c. Finis Euangelij: dignus est enim operarius mercede sua. *Lucæ 10. Matt. 9. & 10.*

QVi ad administrandã Rempublicam assumuntur, his in primis necessarium est vt sciant cur ad id assumantur, & quid ad eorum munus requiratur: alioqui nec bonum promouere, nec pericula Reipublicæ præcauere poterũt, & sibi & aliis perniciem adferunt. Vnde verè dictum est, Eccles. 10. Væ terræ cuius rex puer est. Quantò igitur periculà animarum præponderant periculis corporum, tantò magis necessarium est Ecclesiastico pastori vt sciat ea quæ officij sui sunt. Ob eam caussam Christus emissurus 72. discipulos, prius eorum officium ipsis depingit, neque id solùm, sed & præcipit vt certi sint hanc Dei esse voluntatem & præceptum, vt officio suo inuigilent, nimirum pœnas daturi, si quid negligant eorum. Hinc est quòd Apostolos legimus tam diligenter officio suo functos. Sic Petrus, Act. 6. Non est, inquit, æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis, Sic Paulus 1. Corinth. 9. Væ mihi si non euangelizauero: necessitas enim mihi incumbit: sequitur ibidem, Ob id cùm liber essem omnium me seruum feci. Itẽ Act. 20. Certus sum quòd me vincula & carceres Ierosolymis manent, sed

Pastori Ecclesiastico necessariũ est vt sciat quæ officij sui sunt.

Apostoli diligenter officio suo fũcti sunt.

nihil horum vereor, dummodo consumem cursum ministerij mei. Hinc ibidem his quos præsbyteros constituerat, dixit: Attendite vobis & vniuerso gregi, &c. Hinc est quod Ieremias 1. cap. dixit. a. a. a. Domine, ecce nescio loqui. Et ob eandem caussam Ionas cap. 1. Fugit a facie Dei. Sic Exod. 4. Moses diu reluctatus est, donec dominus quasi iratus cogeret ipsum subire munus illud educendum scilicet populum. Hinc idem dicebat: Quare impositi mihi hoc onus? &c. Quod si quidam ex nostris attenderent, non tanto strepitu ad quælibet officia sese ingererent.

Verbi Dei mysteria nõ licet cuiuis tractare nisi diuinis à Deo doctis & missis.

Hæc dum Christus curat, potissimum sex facit. Primò designat & emittit præter Apostolos etiam alios discipulos 72. Nam sicut summum in Ecclesia est verbum Dei, quo nihil in terris habemus diuinius, ita non cuiuis licet tractare hæc mysteria, nisi diuinis planè & à Deo doctis ac missis. Vnde hîc notandum, quòd quatuor genera discipulorum in scriptura leguntur: Primum eorum, qui à Deo non ab homine neque per hominem eliguntur, quales fuerunt Prophetæ & Apostoli, & hi 72. discipuli: sicut & Paulus hoc ipsum de se prædicat, Galat. 1. Secundum genus eorum, qui à Deo quidem vocantur, sed per hominem statuuntur, quales fuerunt ij de quibus dicitur Numeri 11. Congrega mihi 70. viros, &c. Itẽ ij quos Apostoli ordinauerunt, quales fuerunt Titus & Timotheus. Huc quoq; pertinẽt ij qui nũc quoque per Episcopos vel communitatem eliguntur. Tertium genus eorum, qui ab homine non à Deo vocantur, quales sunt ij, qui hominum fauore in sacerdotium vel prælaturam subrogantur: huc pertinent ij, qui vel muneribus, nummis, vel aliis, eligẽtium animos demulcent, sicque eliguntur. Talis fuisse legitur Alcimus, 1. Machab. 7. miserrimi vtique huiusmodi homines, qui quod onus est, maximum, scilicet curam multarum animarum, honorem æstimant, qui aliorum curã ambiunt, cùm quisquam vix pro seipso rationem reddere satis possit. Hinc Paulus Act. 20. valde exaggerat hunc statum. Et Moses, Num. 11. Cur afflixisti seruum tuum, vt ponerem hoc onus super me? &c. At nostri ambitiosuli interim securè & otiosi viuunt, nullam curam habentes pro

Discipulorum quatuor genera.

Homines miserrimi aliorum curam ambientes.

pro ouibus. Quartum genus discipulorum est eorum, qui nec à Deo nec ab hominibus vocantur, sed seipsos ingerunt, de quibus dominus Iere. 32. dicit, ipsi currebãt, & ego non mittebam eos, &c. Et Paulus. 2. Cor. 11. Operarij iniqui, inquit, trãsfigurãt se in Apostolos lucis, &c.

Apostoli Episcopos repræsentant, & hi discipuli reliquos secũdi ordinis præsbiteros & sacerdotes.

Sed de primo genere hîc agitur, qui à Deo, non ab homine missi sunt, cùm Lucas dicit: *Designauit dominus & alios septuaginta duos.* Sicut Apostoli repræsentarunt Episcopos: sic 72. discipuli secundi ordinis præbyteros repræsentarunt. Secundi ergo ordinis septuaginta duo designantur, qui totidem linguarum gentibus Euangelium prædicarent, quemadmodum prius duodecim Apostoli ad conuertendas duodecim tribus Israël vocati erant. Vnde & prohibiti erant ne in vias gentium irent, &c. Matth. 10. Ita, inquam, & ij propter exteras gentes destinantur imbuendas, in septuaginta duas linguas diuisas. Designauit igitur hos dominus Iesus, id est, signanter elegit, & quos ab æterno prædestinauit ad hoc opus, temporaliter ad hoc instituit & ordinauit. Fœlices certè ij qui à domino destinantur. Non enim possunt non esse animo syncero.

Et misit illos binos. Sicut misit eum Pater, sic misit eos, Ioan. 20. Misit eum Pater ad debellandum diabolum, destruendam mortem, peccatum, iram Dei, ad conferendam vitam, remissionem, &c. Hæc autem omnia parata sunt per mortem Christi, nondum tamen distributa erant. Ideò nunc eos mittit vt ea per verbum suum distribuant, & quidem tanto affectu, quanto ipse ea perfecit. *Binos misit*, vt vnius charitatis spiritum habeant. Ad idem facit illud quod ante passionem orans dixit, Ioã. 17. Volo vt vnum sint sicut & nos, hoc est, vnius voluntatis ac mentis, vt sint vnũ corpus, ita vt quilibet sibi collata dona aliis communicet, quemadmodum membra in corpore, & tanto affectu, quanto tu me misisti, & obediui. Simul mittit, eadẽ præcipit vt doceant, vno ore annuntiandum esse Euangelium, alioqui nullũ fructum, sed sectas, dissensiones, contẽtiones & inuidiam parit: id quod declarat dies hæc, quia nõ idipsum dicant omnes, 1. Cor. 1. Ob id igitur discipulos binos misit & binos, nimirum admonẽs vt fraternæ charitatis memores essent,

Binos cur miserit discipulos Christus.

citra

citra quam nullus est Euangelij fructus. Quanquam & ob id quoque binos emiserit vt sufficerent labori, & eo alacriores essent. Deinde vt se mutuò consolarentur in persequutionibus, irrisionibus, tribulationibus, &c. Eccles. 4. Melius enim est duos esse simul, quàm vnum. Item Prouerb. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, tanquam ciuitas firma.

Misit illos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quo ipse erat venturus. Ne aduentus eius lateret, mittit illos ante faciem suam. Voluit enim omnibus notum esse, qui venit saluandis omnibus. Ideò inquam, mittit illos, vt sicut præcursor Ioannes præibat parare viam eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum: necnon redderet domino plebem perfectam, conuerterétque corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum: sic & illi corda hominum pararent ad suscipiendum Christum. Per prædicationem enim verbi Dei Domino corda hominum præparantur. Gregor. Prædicatio præuenit, & sic ad habitaculum mentis dominus venit. Ad seruandam eius sermonem venit, & mansionem facit, Ioan. 14.

Notus omnibus esse voluit, qui venit saluandis omnibus.

Prædicatione verbi domino corda præparantur.

2 Secundò dicebat illis causam & rationem postulationis, quare & illos designaret ad hoc opus: *Messis quidem multa: operarij autem pauci.* Matthæus 9. cap. sic ait: Et circumibat Iesus omnes ciuitates & castella docens in synagogis eorum & prædicans Euangelium regni & curans omnem languorem & omnem infirmitatem. Nam sequebatur eum turba multa, quia videbant signa quæ faciebat super iis qui infirmabantur, Ioan. 6. Hinc omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes, Luc. 6. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem, Matth. 9. Tunc dicit discipulis suis. *Messis quidem multa*, quasi dicat. Sufficeret quidem mea prædicatio in Iudæa, sed habeo & alias messem inter Gentes, aliásque oues quæ non sunt ex hoc ouili, Ioan. 10. ad quas ego non visibiliter venturus sum: ad illas igitur adducendas necessaria est non solùm Apostolorum, sed & aliorum discipulorum missio, &c. Attendenda penitus est hæc similitudo vel metaphora

Missionis & designationis causa.

taphora messis. Messem enim dicimus cùm fruges terræ iam ad maturitatem prouectæ, desecantur, & in horreo reconduntur, pro futuro cibo. Iuxta hoc duplicem in scriptura habemus messem. Altera de qua Christus Matth. 13. loquitur, cùm dicit: Sinite vtraque crescere ad messem, &c. Et hæc messis Christo exponente consummatio est seculi. Verùm de hac nihil hic ad propositum. Altera de qua Ioan. 4. dicit: videte regiones, quàm albæ sint ad messem, & hæc nunc est, nihilque aliud est quàm prædicatio Euangelij, qua homines à terra retrahuntur ad aream Ecclesiæ, vt ibidem expurgati, tandem transeant ad æternam gloriam. Huius messis sata spiritualia & spicæ intellectuales, sunt qui prophetarum voce culti, ad fidem Christi perueniunt. Quæ segges albescit, cùm iam maturus, hoc est, promptus animus est ad suscipiendam fidem & Christi religionem. Sicut enim fruges frustra & sine fructu ante maturitatem desecantur, sic vt Euangelium fructuosè prædicetur, necesse est vt seminatio præcesserit, scilicet prædicatio legis: quæ mortificat, terret, &c. Deinde necessarium est, quòd maturæ sint fruges, hoc est, salutem sitiant: & tunc est tempus metēdi. At sicut in messe, nedum grana ipsa, sed & paleæ, & stramina in horreum inuehuntur, vbi postmodum per triturationem & cribrationem ab inuicem separātur, imò semper plus palearum & straminum inuehitur, quàm tritici, adeò vt ipsum triticum præ paleis videri nequeat. Sic in Ecclesia verbum Dei omnibus sine discretione personarum prædicatur, omnes introducuntur ad domum conuiuij & boni & mali. Discernuntur autem per triturationem, id est, tentationem, & cribrationem, id est, hæresum permixtionem, hic soli electi persistunt, quorum pauciſsimi sunt. Semper enim maior pars paleæ sunt, hoc est, plures sunt semper, qui verbo Dei abutuntur, vel infructuosè audiunt, adeò vt inter ipsos pij vix conspiciantur. Verè igitur dictum est, multi sunt vocati, pauci electi, Matth. 20.

Metaphora.

Messem quid vocamus.

Messis duplex exscriptura.

Messis sata & spicæ qui.

Operarij pauci Ex prædicta similitudine messis colligimus operarios dici prædicatores. Nec dicit: Pauci sunt doctores, prædicatores, sacerdotes, sed pauci operarij. Non enim operarij omnes sunt qui sacerdotes aut prædicatores

Ecclesia omnes admittit bonos & malos.

Plus palearum habet Ecclesia quàm tritici.

Operarij prædicatores sunt.

Operarij

Omnes non sunt, qui prædicatores & sacerdotes.

dicatores. Sunt quidam qui officia ambiunt, non vt opẽrentur, sed vt otientur: quos Zacharias cap. 11. idola vocat. Sunt alij qui operantur quidem, sed mercenarij sunt: suã enim quærunt. Sunt alij qui operantur quidem, sed indeliter. Multa ergo requiruntur ad operarium, Primò vt

Requisita ad bonum operariũ.

sciat operari. Nemo enim tam stultus, qui ad metendum conducat eum, qui metere nesciat. is enim plus damni quàm vtilitatis adferret. Sic aliud est verbum Dei prædicare, aliud prædicare illud, quomodo oportet. Et quidem primum plurimi sciunt, non autem secundum. Plerunque enim fit vt publicis concionibus homines magis offendantur, quàm ędificẽtur: nec mirum, cùm nihil nisi conuitia, blasphemias & scommata in vtranque dignitatem, & maximè in sacramenta, audiant: fieri quidem non potest, quin verbum Dei aliquos offendat, nempe Pharisæos, sicut & Christo contigit: sed propter eos non intermittendum verbum Dei. Id autẽ curandum, ne nos aliquid cõmittamus, quo verbũ Dei in contemptũ veniat. Potestatem enim accepimus non in destructionẽ, sed in ædificationem, 2. Cor. 13. Sic idem Paulus docet, 2. Cor. 6. Nemini dantes offensionẽ vllam, vt non vituperetur ministerium nostrum. Deinde ad operariũ requiritur quòd fidelis sit. Hoc nunc quæritur inter dispensatores, &c.

Operarius artem operandi scire debet.

Operarius fidelis sit.

Exemplum fidelis operarij Paulus.

2. Cor. 4. Fidelis autem dicitur, si & fideliter laboret, & fideliter prouideat, ne labor suus inutilis reddatur domino suo. Sic prædicatoris est, fideliter laborare, & præcauere omnia, per quæ prędicatio impeditur. Huius figurã habes Nehem. 4. cũ filij Israël reuersi è Babylone rædificarent ciuitatem, de ipsis scribitur: vna manu faciebant opus, altera tenebãt gladiũ, nimirũ propter aduersarios. Sic Paulus docet Titũ cap. 1. vt amplectatur sanã doctrinam, quò possit exhortari, & etiã aduersarios reuincere, &c. Exemplũ autem fidelis operarij in Paulo quoque habes. Sic enim de seipso dicit, Act. 20. Vos scitis quòd nihil omiserim, quo minus annuntiarẽ omne consiliũ Dei vobis. Idem 1. Cor. 9. Cùm essem liber omnium me seruum feci. Et Gal. 4. Filioli quos iterũ parturio, &c. De eodem legis quomodo aduersarios deuicerit, præsertim in epistola ad Galatas. En hi sunt operarij veri, quorum heu pauci sunt, qui nihil nisi Christum quærant: de quibus idem

idem Paulus. 1. Corinth. 4. Et si decem millia pædagogorum habetis, sed non multos patres.

3 Tertiò monet Christus quid in hac penuria nobis agendum sit: *Rogate*, inquit, *dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*. Ex quibus verbis innuitur quàm deflendum sit verbo Dei priuari. Nisi enim magnum aliquod damnũ inde sequeretur, non diceret Christus: Rogate, Rogat, vt rogetur. Cùm igitur Christus hìc sic ingemuerit, & populo compassus sit, eo quod non haberent operarios, deniq; & orare præceperit, vt Deus mittat operarios: sequitur quòd magnũ est periculum vbi verbum Dei subtrahitur, econtra magnum donum cùm Deus verbum suum mittit. Quanta autem vtilitas consequatur prædicationem verbi Dei, ostendit Ioannes Apoc. 14. cùm ait: Vidi angelum qui habebat Euangelium eternum, &c. sequitur: Et audiui alium dicentem: Cecidit Babylon illa magna, &c. Viden quòd per verbum Dei regnum diaboli cadit, quod alioqui inexpugnabile est? Ad idem facit illud Ieremiæ 3. dabo vobis pastores, &c. sequitur: Et tũc dices: Pater meus es tu. Ecce fructus, nec mirum. verbum enim Dei ignis consumens est, id est, accendens corda frigida, & malleus conterens petras, corda, scilicet, dura. Econtrà nihil magis deflendum, quàm destitui verbo Dei. Id autem fit tripliciter, Primò cùm omnino destituimur verbo Dei: quod quàm sit miserum, patet ex hoc, quòd Deus cõminantur Amos 8. d. Mittam in vos famem verbi Dei, &c. sequitur: Tũc occidet vobis sol in meridiem. Et commouebuntur & deficient virgines. Imò iuxta alium Prophetam, vbi non relinquit semen verbi Dei, quasi Sodoma & Gomorrha similes erũt. Secundò cùm paleæ pro vero tritico proponuntur, & ideo periculosius est perniciosius, quòd sub titulo verbi Dei simplices decipit. Cùm enim eo titulo proponitur quasi esset verbum Dei, tanto auidius assumitur, & minimè cauetur. Idem fit de libris qui titulum verbi Dei præ se ferunt, intus tamen nihil nisi humana figmenta, deceptiones, & blasphemias continent. Quem autem non deciperent huiusmodi pomposi tituli? Magis igitur officiunt huiusmodi libri, quàm paganorum libri, qui nullum titulum verbi Dei præ se ferunt. Tertiò proponun

Verbo Dei carere maximum malum, & dãnum.

Vtilitas verbi Dei, & virtus.

Verbo Dei possunt homines destitui tripliciter.

Libri falsi titulũ verbi Dei præ

seferentes, magis officiũt quàm Paganorũ libri.

ponuntur etiam verba scripturæ, sed non debito modo. Huius figuram habes 1. Reg. 4. cùm filij Israël aliquoties infœliciter pugnassent contra Philistæos, tandem adduxerunt arcam, sed quia in arca tantùm confidebant, sed sine fide, ideo & victoriam & arcam perdiderũt. Sic vere cum magno spiritu iactamus nos de scientia scripturarum, quia tamen in ore tantùm scripturas gestamus, non in corde, facilè cadimus. Non enim litera scripturæ in

Litera scripturæ ore prolatæ nõ saluat, sed verbũ Dei ore conseruatum.

ore prolata saluat, sed verbum Dei corde conseruatum. Contra huiusmodi igitur pericula Christus remedium adhibet, d. *Rogate dominum messis, &c.* q. d. Potens est Deus omnia præstare si petieritis. Rogate vt mittat operarios, non otiosos, qui ædificationem, non destructionem: animarum salutem, non propriũ commodum quærant. Rogate vt mittat, ne à seipsis veniant, vt vera doceant, ne per spiritum malum decipiantur. Ad hoc enim conatur diabolus, vt sit spiritus mendax in ore Prophetarum ad decipiendos homines, 3. Reg. 22.

Ex his verbis colligere possumus, quid agendum sit,

Quid agend sit cùm pastoribus destituimur.

cùm destituimur pastoribus, aut cùm pastores sibi viuũt non gladio illud vindicãdum, sed precibus. Propter peccata siquidem nostra, Deus regnare facit hypocritam, Iob. 34. Sic ad Ezechielem dicitur, Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperãs est: deinde quòd omnium

Spiritualia omniũ maximè petenda.

maximè ea petere debemus quæ spiritualia sunt. Sic & Matth. 6. dicit: Primùm quærite regnum Dei. Item Luc. 11. Matth. 6. Sic orabitis: Panem nostrum supersubstantialem da nobis, id est, panem viuum. Quòd si talem panem à patre petierimus, certè non dabit nobis pro pane lapidem. Sed quia nos solùm temporalia petimus

Discipuli quales se erga peccatores gerere debeant, et quibus armis muniri debeat.

ideò nec temporalia, nec spiritualia habemus.

4 Quartò docet discipulos hos, quales se erga peccatores præbere debeant, & quibus armis eos munitos esse velit. Nam 2. Tim. 3. Omnes qui piè volunt viuere persequutionem patientur. Item Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Ante omnia itaque suos munit & armat, quia eis prædixerat diabolum omnibus viribus ipsis restituturum. Et dicit: *Ite: ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Enarma

ma quæ diaboli insultibus opponas, humilitatem, scilicet, patientiam, simplicitatem, beneficentiam, &c.

Arma discipulorum contra insultus diaboli.

Poterat quidem Christus suos etiam externè reddere fortes & formidabiles omnibus, sed non hoc expedit Euangelio. Neque enim violentia violentiam, iniuria iniuriam, superbia superbiam extinguit, sed mansuetudo, lenitas, munificentia, &c. iuxta illud Prouerb. 13. Vir iracundus suscitat rixas, mitis extinguit suscitatas: hæc vera fortitudo est, & optimum vincendi genus patientia. Is enim verè fortis est, qui magnum onus portare potest. Et quod onus maius & intolerabilius, quàm conuitia, ignominiæ, aduersitates? &c. Qui hęc ferre nouit æquo animo, is verè fortis est. Hinc Sapiens Prouerb. 16. Melior est patiens viro forti, &c. Item 24. Vir sapiens fortis, & vir doctus robustus, &c. Hinc Christus, Matth. 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Dicit ergo: *Mitto vos sicut oues, &c.* Nullum periculum præsentius est oui, quàm si in lupum inciderit: maius periculum, si non vnus tantùm lupus, sed plures irruant: omnium autem maximum si in medio luporum sit. Hoc igitur exemplo Christus futura discipulorum & omnium Christianorum pericula prædicit. Cum lupis, inquit, vobis res erit, & iisdem multis, imò in medio luporum eritis, nullibi securi, vndique imminebunt pericula, ex omni parte cautos esse oportet. Idem dicitur Ezechieli capit. 2. Fili hominis, mitto te, &c. sequitur: cum scorpionibus habitas.

Optimum vincẽdi genus patientia.

Onus maius intolerabilius fertur.

Iuriæ ferre.

Pericula verorũ Christianorum prædicuntur.

Sed cur obsecro suos Apostolos Christus voluit esse inter lupos, & ad lupos mittere? Nunquid vt ipsi quoque in lupos verterentur? Nequaquam: sed sicut oues inquit. Oue ad prospiciendum sibi nihil stultius, animal est prorsus inerme, atque iniuriis omnium expositum, à solius pastoris cura & defensione pendens: hominibus tamen nullum animal commodius oue. Tales nos esse voluit Christus, videlicet, vt à solo Deo pendeamus, non nostra quæramus commoda, non aduersa extimescamus, sed tantùm aliorum commoditatibus inseruiamus. Hi verè oues Christi sunt. Talis erat Paulus, qui ob prædicationem Euangelij aliorúmque

Quæstio.

Solutio.

Animal nullum cõmodius oue.

salutem, nulla non pericula & labores subiuit, 2. Corinth.11. Ter virgis cæsus sum, inquit. Vult igitur Christus his verbis, vt qui Apostoli officium gerit vel discipuli, paratus sit omnibus succurrere, omnia perferre, etiam animam tradere pro omnibus, vt vel hinc discat quàm pauci veri pastores sint.

Impedimẽtum omne negotij Euangelici abiiciendũ præcipit.

§ Quintò præcipit vt omne impedimentum quod negotium Euãgelicum impedire posset, abiiciãt, omnemque fiduciam & totius vitæ curam in Deum Patrẽ collocent, cùm subdit, *Nolite portare sacculũ neque peram, neque calceamenta, &c.* Quæ verba nedum Apostolis, sed omnibus quoque Christianis dicta sunt: Iuxta illud Matth. 6. Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini, &c. Si ergo hæc omnibus Christianis præcipiuntur, multò magis sacerdotibus & pastoribus dicta erunt. Grauiùs enim punitur in prælatis diffidentia, quàm in subditis: id quod patet in Mose, & Aarone, qui ob vnam diffidentiam puniti sunt, Exod. 20. cùm populus vix post decem tentationes Dei, eodem iudicio punitus sit, Numer. 14. Verùm nunc nulli (vti vereor) Deo minus fidunt, quam sacerdotes, adeò vt & vulgi sermone feratur, neminem magis auaritiam sectari, tenacius retinere quàm sacerdotes, vt verè de illis dictum videri possit, illud Isa. 56. Canes impudentissimi, nescierunt saturitatem. *Nolite*, inquit, *portare sacculum ad reponendam pecuniã.* Vnde apud Matthæum dicit: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Quo præcepto ab omni eos liberat solicitudine terrenorum, vt vacationem omnem tribuerent verbo Dei. Verum enim est Christi dictum, Matth. 6. Nemo potest duobus dominis seruire. Vnde & Apostolus. 2. Timoth. 2. monet, Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus. Quod etiã discipulis ideo mandat, ne doctrina eorum suspecta esset, quam vel maximè suspectam reddit ambitio & auaritia: id quod & in externis experimur. Nõ facilè creditur ei, qui scitur ambitiosus esse & auarus. Deinde hoc exigit à discipulis, vt externa opera fidem facerent verbis eorum. Prædicaturis siquidem regnum cælorum, mortificationem carnis, contemptum mundi, &c. congruebat vt & factis ostenderent

Solicitudo omnibus Christianis interdicitur.

Diffidentia grauiùs in prælatis quàm in subditis punitur.

Auaritia maximè clerum infamat.

Solicitudo terrenorũ maximè sacerdotibus inhibetur.

Doctrinã Euangelicam nihil sic suspectã reddit atque ambitio & auaritia.

derent se non terrena, sed cælestia quærere. Alioquin frustra de cælestibus loquitur, quem nihil nisi terrena quærere videmus. Huic certè rectè improperari posset illud Apostoli, Rom. 2. Qui alium doces, teipsum nõ doces? qui doces legem obseruãdam, per præuaricationem legis Deum ipse inhonoras? Et illud: Medice, cura teipsum. Demum his verbis voluit, vt expediti & alacres pergerent ad euangelizandum: ob id omnia interdixit, quæ impedimento esse possent. Impediunt autem diuitiæ, sarcinæ, vestimenta superflua, arma ad defensionem, &c. Ne igitur discipuli dicerent, Mittis nos ad ignotas regiones & barbaras, quis nutriet? quis vestiet? quis defendet? sicque in externis præsidiis comparandis & portandis impedirentur. Ob id Christus omnia simul illis interdixit, q.d. Præcipua intentio vestra, non sit ex verbi prædicatione in sæculo pecuniam reponere audiẽtium, neque victum in pera. Non enim prædicabitis vt edatis, sed edere debetis vt prædicetis. 1. Corinth. 9.

Impedimẽta sermonis Euangelici.

Non voluit dominus tamen his verbis ostẽdere, quasi fas non esset, vnquam futurum, eos qui tractãt rem Euãgelicam aliquid necessariæ sarcinulæ secum ferre, imò plus laudis fortassis meretur, qui suo sumptu Euangelium annuntiaret, quemadmodum Paulus fecit, 1. Cor. 9. Nec dubium quin in maiori pretio esset Dei verbum si hoc sæculo infirmo competenter prouisum esset concionatoribus de superabundantibus & superfluis quorundam monasteriorũ diuitiis, gratísque (prætermisso quæstu sordido) verbum Dei annuntiarent. Neque etiam peccaret Ecclesiasta si ad inhospitalem gentem profecturus, commeatus aut pecuniæ nonnihil secum ferret. Sed his verbis omne sermonis Euangelici impedimentum amouere voluit, quo fœliciori successu eorum sermo curreret.

Laudẽ meretur maiorem quã Euangeliũ suo sumptu denunciat.

Non peccat concionator Euãgelicus si quando cõmeatũ secum ferat.

Neque virgam, addit Matth. 10. Quod etiam virgam prohibet accipere, quam tamẽ apud Marcum. 6. cap. concessit. Hoc modo dubium dissoluitur. Duplex est virga, vna regum gentium, quæ dominationis virga dicitur, hæc Apostolis inhibetur, secundum illud Luc. 22. Vos autem non sic. Idem docet Petrus 1. cap. 5. non quasi dominãtes in clerum. Item Paulus. 2. Corinth. 1. Non quasi

Virga duplex.

Doctrina vlchra ex Paulo contra rigidos prælatos.

dominemur fidei vestræ, id est, non hoc dico, fuisse me animaduersurum in vos, q̃ dominemur vestri propter fidem, quia videlicet credidistis, non hoc quæro vt tyrannidem in vos exerceam, vt nostra quærerem, sed vt adiutores simus gaudij vestri, ministri sumus non ad vexandum vos, sed vt gaudium vestrum iuuemus. Per virgæ igitur baiulationem prohibet Christus, ne terrenæ potentiæ aut defensioni innitamur, ne vindicandi libidinem in corde habeamus, ne vi nosipsos defendamus. Vult enim vt simus tanquam oues inter lupos. Item ne homines vi aut gladio ad fidem cogere conemur, Apostolis certè gladio externo non vtendum, postquam Christus dixit Petro, Matth. 26. Conuerte gladiũ tuum in locum suum. Et Apostolus ad Timoth. 1. cap. 3. & Tit. 1. Episcopum, inquit, oportet esse irreprehẽsibilem, &c.

In vet. Testa. sacerdotibus gladiis vti licebat.

subdit: non percussorem, &c. In vet. quidem Test. gladiis vti licebat, ne deleretur gens è qua Christus nasciturus erat. Christo autem nato, iam gladio alio non est opus, nisi gladio spiritus, quod est verbum Dei, Ephe. 6. Hinc de Christo dicitur, Psal. 44. Accingere gladio tuo, id est, assume humanitatem, qua nobis verbum salutis annunties. In eodem Psalmo, Sceptrum regni Christi nihil aliud est, quàm verbum Dei: virga, inquit, directionis, virga regni tui. Hæc igitur virga permittitur Apostolis, virga scilicet, directionis, virga pastoralis solicitudinis super curam animarum solicitè vigilantis, quæ nihil aliud est, quàm lex vitæ & disciplinæ. Faxit autem Deus vt virga nobis permissa ritè vtamur, ad ædificationem scilicet, & non ad destructionem.

Virga viris Euãgelicis concessa.

Verbi Dei negotiũ festinatè peragendum.

Et neminem per viam salutaueritis. Festinatè iubet verbi negotium peragere, ne alicuius obuij confabulatione remorentur ab iniuncto itinere. Neque simpliciter ait: Neminem salutaueritis, cùm sit vsus humanitatis alios salutare. Nam angelus salutauit Mariam, Lucæ 1. Christus discipulos & mulieres, Matth. 28. Luc. 24. Et Apostolus monet: Salutate inuicem in osculo sancto: qui etiam scribit, q̃ Lucas medicus salutarit condiscipulos: Sed addidit, in via, quia non salutatio fraterna inhibetur, sed ne per nimias salutatiões & vana colloquia obstaculum fiat Apostolicæ functionis. Et tali modo loquendi

Vsus humanitatis alios salutare.

quendi vsus est Eliseus, quum mitteret festinãter Giezi seruum suum ad suscitandum puerum mulieris defunctum, 4. Reg. 4. d. Accinge lumbos tuos, &c. sequitur: Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, &c.

In quancunque domum intraueritis, primùm dicite, Pax huic domui, &c. Quasi dicat, Quid soliciti estis de hospitio? Totus mundus vobis patria erit, domini est terra & plenitudo eius. huius autem vos negotium agitis, deinde cùm cælum hominibus annunciaturi sitis, non deerunt, qui domicilium terrenum administrabunt. Magna bona portabitis, non deerunt qui illa gaudenter suscipiant, vix fieri poterit, vt vsquam sit tam deplorata ciuitas, in quâ nullus reperiatur, qui tales hospites non sit cupidè recepturus, cùm sint qui medicum corporalem magno conducant, & è longinquo accersant. Qui enim ægroti sunt, in aduentu medici gaudent.

Discipulis veris non defuturũ hospitium.

Matth. 10. ait Seruator: *In quancunque ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit.* Ac si dicat, Non opus est vt in diuersoria meritoria diuertatis, sed inquirite, si quis illic sit probitate vitæ commendatus, & auidus regni cælestis, itémque veræ salutis, cui mundus hîc tædio sit, qui suspiret promissum Messiam, qui simplicitate vitæ & beneficentia in pauperes maioris etiam profectus spem de se præbeat. Huic vos eritis hospites gratissimi, deinde & ipse vobis erit hospes conueniens. Non enim passim ad quoscunque prædicator Euãgelicus diuerti debet, ne Euangelium malè audiat, si ad sceleratos prędicator Euangelicus diuertat. 2. Corinth. 6. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Ecclesiast. 7. Melius est, inquit, nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa, maximè in prędicatore. Nam vnguenti pretiosi odor, totam quidem habitationem implet: bona autem fama omnes vicinos adit. Signanter autem dicit Christus. Interrogate quis dignus sit, non quis diues aut potens, ne viderentur sua quærere, aut ambire fauorem potentum, aut contemnere pauperes.

Ecclesiastæ diuersoria meritoria vitare debent.

Hospites quales quæ rere debeãt viri Ecclesiastici.

Primùm dicite: Pax huic domui. Verè Euangelica & apostolica salutatio. Quid iucundius, & magis necessarium pace? Verùm non de pace externa hîc loquitur,

Euangelica & Apostolica salutatio.

sed interna; erga Deum scilicet, quę quantum bonum sit ex Isaia 52. cap. discimus, dicente: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem: sequitur fructus: euangelizantium bona, salutem, dicentes, Sion, regnabit Deus tuus, q. d. Omnia hęc consequuntur pacem hanc, omne bonum, salus, Deus ipse. Nam in pace factus est locus eius. Nihil enim melius pace conscientię, pace erga Deum. Tales enim securum accessum habent ad Deum in omni angustia. Et quoniam hanc pacem per Christum habemus, cuius regnum, regnum pacis dicitur, Isa. 2. & 9. ideo hanc pacem omnibus offerre debebant discipuli. Ob id, & externis verbis iubentur salutare eos, quibus prędicaturi essent.

Bona pacē cōsequētia.

Et si ibi fuerit filius pacis: & (vt Matthęus habet cap. 10.) domus fuerit digna, *requiescet super illum pax vestra, sin autem, reuertetur ad vos.* Hinc videre licet aliud esse iudicium Dei, aliud hominum. Non omnes recipiētes Apostolos digni sunt. Sunt enim qui hypocriticè recipiunt. Dignus autem est qui syncero & auido corde suscipit. Super hunc itaque requiescet & pax vestra. Vides quanta bona promissa sint suscipientibus Apostolos ac discipulos. Sin autem reuertetur ad vos, tamen commendabitur charitas vestra & solicitudo, qua etiam indignis pocem obtulistis.

Iudicium Dei aliud ab hominū iudicio.

Bona promissa discipulos suscipientibus ingentia.

In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Nolite transire de domo in domum, ne vel leuitatis vel cupiditatis argui possitis. Quæuis domus, quiuis victus sufficere debet viris Euangelicis. Vides ex his q̄ Christus Apostolos suos ab omni suspicione leuitatis, ambitionis, auaritiæ, gastrimargiæ, &c. voluit esse alienissimos. Grauitas decet maximè Ecclesiasticos. Nec mirum q̄ Apostoli talium pręceptorum memores, multos conuerterint, neque item mirum q̄ non eodem feruore verba nostra accipiantur à populo, cùm tam lōgè ab hac Apostolorum regula deflexerimus, vt nihil in nobis cōspiciatur, quàm leuitas, ambitio, auaritia. Hinc dominus ait, Quia scandalizastis plurimos in lege, dedi vos contemptibiles. Malach. 2.

Grauitas maximè decet Ecclesiasticos.

6 Sextò. Discipulis omnem pusillanimitatem & diffidentiam eximit, certioréque facit de mercede, cùm dicit:

Dignus est enim operarius mercede sua. Q. d. Patris negotium agitis. Patri igitur erit curæ necessaria vobis suppeditare. An non & id mundani homines faciunt? Non solicitus est seruus pro cibo. scit enim q̄ dominus suis ex seipso cibum suppeditabit operanti. Si ergo mundani homines cùm sint mali, bona tamen præstant seruis suis & operariis, quantò magis pater suis operariis, Luc. 11. qui solem suum oriri facit etiam super malos, Matth. 5. & temporalia etiam malis præstat? Non est cur vos diffidatis. Nō deseret Deus fideles operarios, etiam in media fame. Id quod ex Elia disces, 3. Reg. 17. quem in fame etiam dominus per coruos pauit.

Apostolis & fidelibus nunquam de futura tēporalia.

Deinde his verbis non tantùm discipulis, sed omnibus etiam Christianis omnem diffidentiam eximit. Quid enim aliud sumus quàm operarij in vinea domini? Operarios itaque suos pasceт, iuxta verbum quod hîc dicit, & Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Ad hoc facit illud quod non semel inculcat. Scit pater vester, quod his indigetis, Matth. 6. Item Ioann. 16. Ipse pater amat vos, quia vos me amastis. Item Luc. 12. Nolite timere pusillus grex, complacuit patri vestro vobis dare regnum. Qui ergo regnum dare vult, quomodo minora negabit? Hinc Dauid Psalm. 33. Inquirentes dominum, non deficient omni bono. Sic Abraham, Isaac, Iacob, etiam in aliena terra peregrinos nutriuit, quod satis testatur liber Geneseos. Sic ipsi Ioseph nihil defuit. Sed eum quoque dominum totius Ægypti constituit, Genes. 41. Sic ipsi Iob nihil defuit, etiam cùm omnia amisisset. Sic perire non potuit Loth, etiam in Sodomis, Genes. 19. Sic viduam Sareptanam etiam in media fame per Eliam nutriuit, 3. Reg. 17. Omnia hæc scripturę loca eò tendunt, vt discamus Deum etiam ventrem nostrum curare, si ex fide vocationi nostræ & Dei voluntati respondeamus. Salus enim iustorum à domino, quasi dicat, Ista ad te pertinent, alia non curato, committe Deo, omnem curam proiicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis, 1. Pet. 5 Hoc fecit Dauid, cùm diceret, Ad te leuaui oculos meos, &c. Item, Oculi omnium in te sperant domine, Psalm. Præterea ex his verbis: *Dignus est operarius mercede sua.* Ostēdit Christus, q̄

Diffidētiæ ab omnibus Christianis longè absit.

Deus etiā ventrē nostrum curat, modò vocationi nostræ respondeamus.

Ministris Ecclesiæ debetur victus & cætera vitæ necessaria.

ministris Ecclesiæ debetur victus & alia necessaria. Sic enim in lege dicitur, Deute.25. Non alligabis os boui trituranti. Qui brutis consulit, nos vtique instruit. Qui non vult fraudari bouem cibo suo, nō vult quoque fraudari operarium vel mercenarium operis sui, iuxta illud Deuteron.24. Non negabis mercedem indigenti. Multò minus fraudari vult cibo suo operarium & doctorem verbi sui. Hinc Paulus, Galat.6. Communicet is qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Item.1.Thessal.5. Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui inter vos laborant. Et 1 Corinth.9. Quis militat suis stipendiis vnquam? quis plantat vineam? &c. Vide Apostolum pulchrè hæc deducentem ibidem.

EPILOGVS.

1 *Ostendit Christus quanta diligentia Euāgelicum semen spargendum sit, & quanta animi deuotione & desiderio suscipiendum & amplectendum. Hinc enim præter Apostolos è numero discipulorum & alios septuaginta designauit, qui sua prædicatione præpararent animos audientium in aduentum domini, quemadmodum antè duodecim seleuerat Apostolos. In cuius rei figuram filij Israël olim venerūt in Elim, vbi fuerunt duodecim fontes, & septuaginta palmæ. Exo.15. Numer.33.*

2 *Admirabili sermonis tropo discipulis adhuc crassis eximere voluit Christus omnem solicitudinem earum rerum, quæ solent animum remorari à cælestibus, successuque verbi Dei. Nam vt poëticum dictum habet: Pluribus intentus deficit ad singula sensus. Nemo commodè duobus dominis seruire potest. Matth.6.*

3 *Mirabilis Dei operatio hîc nobis expendenda relinquitur: Ab omnibus denudat Apostolos, & tamen omnia tribuit. Prohibet aurum & peram, & tamen promittit nihil horum eis defuturum: vnde tanquam nihil habentes omnia possederunt, 2.Corinth.6.*

Laus soli Deo Opt.Max.semper.

IN SERMONES DE SANCTIS AEGIDII TOPIARII INDEX alphabeticus, in quo a primam paginam, b alteram indicat.

A

Abiectionis diuinæ argumentum. 74.b
Abominatio quic quid cum verbo Dei pugnat. 138.a
Achaz promissionē, & Dei signum respuit. 57.b
Ad mutuā charitatem vnusquisque hortatur. 173.a
Ad quid Deus omnia concluserit sub peccato. 171.b
Aduentus Christi humano testimonio factus ostenditur. 111.b
Adulteri quadrifariam peccant. 149.a
Adulterium vitium periculosum. 149.a
Aduocatus noster Christus. 84.b
Affectus spiritus, quàm naturæ vehementiores. 39.a
Agni paschalis typus. 29.b
Agnitio præcedit prædestinationem. 178.b
Agricola siue vinitor Deus. 72.a
Agrippina ambitiosissima. 126.a
Alabastrum quid sit. 120.b
Alas contrahere, quid. 21.b
Altaris sacrificium prodest animabus. 201.a
Ambitio vulgi & concionatorum. 126.b
Ambitio Apostolorū. 125.b
Ambitio duorū fratrum in primatu petendo. 143.a
Bellorum, dissidiorū fons. 143.b
Ambitio, odij Herodis in Christum causa. 33.a
Ambitione & contentione peccarunt Apostoli. 144.a
Ambitionis vitiū comitem habet inuidiam. 170.b
Ambitio insolens pestis subtiliter irrepens. 171.a
Amicitia malorum non nisi scelere conciliari potest. 102.b
Amor omnia æqua quasi nulla facit. 56.b
Amoris præcipui in Christū, signum. 121.b
Angeli puerorum custodia. 175.b
Angeli post cælum absolutum creati. 176.a
Angeli substantiæ sunt inuisibiles. 176.b
Angelorū lapsus causa. ibid.
Angelorum officium. 170.a
Angelorum officium quadruplex. ibid.
Angeli orant pro homini-

bus. ibidem
Angeli contra insidias hostiũ nostri defẽsores. 177.a
Angelus cuilibet homini cõmissus. 177. b
Angelos venerari Christianus quisque tenetur. 178.a
Angeli astare orantibus delectantur. 59 b
Angelus Zachariæ cur prædixerit multos gauisuros in Ioan. natiuitate. 101.b
Anima quomodo seruatur. 133.a. quomodo odiẽda. ib.
Animam suam amare quid. 132. b
Animæ fidelium in charitate manentes, viuunt in gratia, & sperare debent se vitã habituras ęternã. 199.b
Animæ quot modis adiuuentur. 201.a
Animæ defunctorum adiuuantur applicatione sacrificiorum. 202. a. oblationibus. 201. b
Animæ defunctorum adiuuantur orationibus, eleemosyna & ieiunio. 202. 203.
Animæ defunctorum participes fiunt omnium bonorum, quæ viua membra Ecclesiæ fiunt. 203.a
Animarum curatores Christum sequi debent. 5.a
Anniuersaria pro mortuis celebrata Tertulliani tempore. 202.a
Apertio cæli, quid. 48,a
Apostoli cur lapsi. 129.a
Apostoli quibus primũ prædicarunt. 1.a
Apostoli ob Iudæorum salutem missi. 19.b
Apostoli per assessoriam dignitatem: cæteri electi per approbationẽ iudicabuntur. 39.b
Apostoli, Christi legati. 19.a
Apostoli alterius subrogatio perquam necessaria. 52.a
Apostoli cur piscaturi missi. 5.a
Apostoli qũo mundi. 75.a
Apostolorũ opus, quod. 52.b
Apostolorum verorũ notæ. 85.b
Apostolorum inuidia. 171.a
Apostoli nõ tãtùm reliquiis peccati laborarunt. ibid.
Apostolorum infirmitas nobis proponitur. 171.b
Arca Noë, quid. 10 a
Authoritas apud maritũ in matrimonio. 98.a

B

BAbylonia turris frustra contra Dei templum paratur. 67. a
Baptisma Christi modo triplici sumitur. 127. a
Baptisma nũc est, quod olim erat circunciso. 98.a
Baptismus aqua vitæ. 48. b
Baptismus Christi in Iordane factus, respondet facto Naaman Syri. 46.b
Baptismus & prędicatio Ioannis quid effecerit. 101.a
Baptismus maxima consolatio nostra. 47.b
Baptismi virtus vnde pendeat. 47.b
Baptismi materia, aqua naturalis. 48.b
Beatũ de proprio viuere. 4.a
Benedictio à siniſtra. 67.b
Benedictio domini à dextera. 68.a
Benedictio Dei per Christũ prouenit. 141.b
Benedictio Iudæorũ in terris erat. 141. b
Benignitatis diuinæ indiciũ, &c. 141.a
Beneficium Christi in discipulos mirum. 18.a
Beneficia Dei maxima in Euangelio prædicãtur. 13.a
Bonitas Dei erga Iudæos, mira. 20.a
Bonitas Dei â nobis semper laudanda. 164.a
Bonitas Dei vocantis magna. 5.b
Bonitas Christi erga d. Thomam. 14.b
Boni non moriuntur, sed obdormiunt. 18. b
Bonorum Christi consortes, qui. 156.a

C

CÆlum domus patris est. 81.a
Cælum venale. 5.b
Calamitas extrema vbi nullum verbi Dei semen. 10.b
Calix Christi triplici modo bibitur. 127.a
Calix Christi glorioſus. 25.b
Caluini vafricies. 64.a
Caluini turpis error. 47.b
Carne ex omni eligi. 70. a
Caro Christi verè cibus, & sanguis verus potus. 93. a
Castitati studere. 30. b
Catholicorum officium est, &c. 61.a
Caussa quę veritati innititur, defendenda. 17.b
Caussæ duæ cur Christus sit baptizatus. 47.a
Cedro Christus se comparat. 135.b
Cœna domini quid complectatur. 87.b. in quem finem instituta. 87.88.a
Cœna dominica non est vbi pauper contemnitur. 88.b
Cœnæ dominicæ institutio & author. 87.a
Charitas de sua & aliorum salute solicita. 45.a
Charitas non est tumultuosa. 76.b
Charitas Christi ineffabilis. 169.b
Charitatis doctrina. 3.a
Christiani re & nomine, qui. 25.a
Christiani fœcundi quandiu manent in Christo. 73.a
Christiani veri quibus notis insigniri debent. 30.b
Christiani germani, qui. 86. a. in sola Christi cruce glorientur. 86.a
Christiani multifariam à Deo per Christum vocantur.

tur. 38. b
Christiani mortuos suos lugere moderatè debent, spē resurrectionis habentes. 199.a
Christiano futuro quid facto sit opus. 38.a
Christiano fides sola non sufficit. 182.b
Christi & Petri mors similis. 25. b
Christi ad amorem excitantia duo. 133. b
Christi in discipulos patientia. 144.a
Christi piscatio. 4.a
Christi mors, iustificatio nostra. ibid.
Christi beneficiorū memores simus oportet. 181.a
Christum sequi quid sit. 38.a
Christum sequendi ratio duplex. 5.b
Christus cōminatur eos qui pusillis offendiculum ponunt. 173.a
Christus nulla alia re lucratur quàm verè Christianis benefaciendo. 173. b
Christus permittit vt Dæmones aliquando in corpus externum sæuiāt, non in animum. 190.a
Christus cum cruce sequendus. 25.a
Christus vitis vinum protulit suauissimum. 155.a
Christus Paulum ter allocutus. 36. b
Christus quomodo impleuerit omnē iustitiā. 47.a
Christus cur propriè venerit. 55. b
Christus anno ætatis suæ tricesimo baptizatus. 46. a b
Christus verè primogenitus verus agnus, &c. 44.a
Christus quomodo excipiatur hospitio. 137.a
Christus salutare Dei. 46.a
Christus cum fœnore multo resurrexit. 132.a
Christus mediator & pacificator noster. 124.a
Christus tanquam medicus nobiscum versatus. 166.b
Christus pulchræ dilectionis mater, &c. 155.a
Christus omnia in omnibus. 83.b
Christus dignitatis & officij vocabulum. 160.a
Christus intra cælū cælorum inuenitur. 16.a
Christus ordinum Ecclesiæ institutor. 162.b
Christus ex regibus ortus. 159. a
Christus abeundo suis profuit. 82.a
Christus amicus constans & fidelis. 87.a
Christus patrem in seipso Apostolis ostendit. 83.a
Christus ante Ascensionem quæ fecerit. 10.b
Christ⁹ operit peccata. 122.b
Christus omnium malorum propulsor. 180.b
Christus reges suo iugo subdidit. 96.a
Cibi indigus Christus. 136.b
Claues quādo dederit Christus. 109.b
Clemētia Dei erga Mariam declaratur. 116.a
Cognitio Christi ad salutem necessaria. 107. a. cælestis patris donum est. ibid.b
Colloquium Christi & Ecclesiæ. 110.b
Colloquium Mariæ & Elizabeth familiare. 113.b
Commercium piorum amplectendum. 79.b
Communicaturis necessaria. 92.b
Conatus noster præcipuus quis. 124. b
Conceptionis Ioannis modus, 96.b
Conceptionis Christi qualitas & modus Mariæ & Prophetis incognitus. 63. a
Concionatoris munus. 32. a
Cōfessio Petri omnibus necessaria. 107.a
Coniungij sacramētum Deo placitum ostenditur. 97.b
Cōubij castitas habet suum meritum. 97. b
Cōsanguinitatis gradus non infringendi. 149. b
Consilia Dei in eius operibus nunquam discutiēda. 54.b
Cōsolatio amplissima in aduersis. 80. a
Consolatio contra crucem, &c. 79.b.80.a
Consolatio dulcis pro pauperibus. 40.a
Consolatio triplex pro fidelibus. 40.a
Consolatio in morte. 83.b
Consolatio duplex. 54. b
Consolationis genus quadruplex. 188. a
Consuetudines Ecclesiasticæ non obliterādæ. 98.b
Conuersionis & obedientiæ forma. 7. a
Conuersionis Pauli modus duplex. 36. b
Conuiuia nec reiicienda nec damnanda. 165. b
Corona vitæ qualiter obtinetur. 71.b
Corpus Christi mysticum efficimus. 91.a
Corpus idem conficitur in sacramento quod ex virgine natum est, &c. 91. a
Corporis Christi primus fructus 93, a. secundus, tertius. ibid. b
Corinthiorum praua consuetudo. 88. b
Corinthiorum error fœdus. 89.a
Crudelitas maior, quæ. 151.b
Culpa temere accedentium ad Eucharistiam quadrupliciter arguitur. 88.b
Cultus præcipui in Ecclesia Dei, qui. 76.a
Cultus quis Deo exhiberi potest. 10.b
Cypressus odore est violentissimo. 135.b

D

DAuidis sedes quãdo redemptori data. 62.b
Decretum Christi immobile. 31.b
Deuotio ingens, clamor in auribus Dei. 114.b
Deo q̃ fidit, nõ pudefiet. 1.a
Deo in tribus placere possumus. 10.a
Deus à nobis quomodo benedicitur. 141.b. cur laudandus. ibidem.
Deus affligit nos nõ vt perdat, sed vt sanet. 74.a
Deus bis pater noster factus. 50.b
Deus cùm nostra præmiat merita, sua dona coronat. 40.a
Deus Christi prædicatione, morte, & resurrectiõe prę destinatos vocauit, iustificauit & glorificauit. 180.a
Deus Iustificator, Christus aduocatus & defẽsor. ibid.
Deus diuersis mediis ad se sequendum cur vocet, nobis non est inuestigandum. 40.b
Deus elegit nos, quia dilexit. 186.b
Deus de quibus agat gratias. 54.a
Deus ingraueſcente periculo suis adest. 32.a
Deus non irascitur in finem. 33.a
Deus neminem vult perire. 142.a
Deus post longã expectationem misericors. 99.b
Deus saluat in maximis periculis. 31.b
Deus semp̃ suos respicit. 72.a
Deus verè omnipotẽs. 54.p
Deus vitæ & mortis dominus. 27.b
Doctorum verorum ac falsorum notæ. 85.a b
Doctrina pro ministris diuini verbi. 11.b
Doctrina saluatoris ense penetrabilior. 96.a
Doctrina de iudicantibus, non tantũ concernit Apostolos, &c. 39.b
Doctrina liberi arbitrij obedientis. 5.a
Domesticorum habenda cura. 6.b
Dominandi cupiditas mortalibus quantum attulerit malum. 35.a
Dominus eo tẽpore veniet, quando longissimè abesse putabitur. 206.a
Domini in nomine exaudimur. 1.b
Domus Iacob qui sint. 62.b
Bona Ecclesiastica, quia gratis accepta, gratis danda. 161.a
Donatiõis finis duplex. 13.b
Donorum alia publica, alia priuata. 160.a
Donorum alia externa, alia interna. 186.a
Dialogismus Mariæ & Gabrielis. 61.a

Diaboli versutia. 166.a
Dies aduentus Domini furi comparatur. 207.b
Dignitas Ecclesiastica virtuti, nõ sanguini debetur. 128.a
Dilectus Christus quid suo aduentu Ecclesiæ contulerit. 112.a
Dilectio fortis vt mors. 25.b
Dilectionis proximi modus discitur. 136.b.137.a
Diligentes Deum ij sunt, qui omnia in bonum cooperantur. 178.a
Dilecti natura depingitur. 111.b
Dilectus sponsæ Deus & homo esse ostenditur Christus. ibidem.
Discipuli Christi, qui. 156.b
Discipulorum de primatu disceptatio. 143.b
Dispendium vitæ redimendum membri vnius abscissione. 175.a
Dissecari cordibus, quid. 17.b

E

ECclesiæ arma, orationes & lachrymæ. 103.b
Ecclesiæ ad sponsum ardens desiderium. 111.a
Ecclesia ab Apostolis informata statuit, nõ min⁹ pro mortuis, quàm pro fidelibus viuis altaris sacrificiũ offerendum. 202.a
Ecclesia catholica hodie auferfertur à multis, cur. 22.b
Ecclesia Catholica penes quos sit. 109.a
Ecclesia Christi duplex. 29.a
Ecclesiæ Dei fundamentum, materia, opera, forma, situs, finis & architecti. 66. b. 67.a
Ecclesiæ dona publica. 161.a
Ecclesia inexpugnabilis fore promittitur. 108.a. super Petram fundata. ibidem b
Ecclesia Romana verè pontificia. 24.b
Ecclesia sanctorum, ciuitas & Dei templum. 66.a
Ecclesiæ semper Christus adest. 111.b
Ecclesia tãtifacienda, vt, &c. 76.a
Ecclesia vera & inuisibilis. 30.b
Ecclesia vera, quæ, & eius membra. 111.a
Ecclesiæ variæ appellationes. 29.b
Ecclesia pro defunctis Deũ interpellat. 198.a
Ecclesiastica refectio. 175.b
Ecclesiasticus ordo notatur cum vulgo. 174.a
Educatio Christi. 18.a
Effectus venerabilis sacramẽti tres. 92.a
Electi quibus notis deprehẽduntur. 30.b
Electio & vocatio nostra per bona opera est ponẽda. 178.b
Electorum omniũ vna beatitudo

titudo quo ad obiectum. 81. 82. a
Eleemosyna quo animo sit danda. 130. a b
Eleemosynæ fructus. 130. b
Eleemosynæ ditant. 131. a
Encomij Mariæ excellentia. 60. b
Ephesij quales ante fidem, & quotuplici ratione peregrini. 65. a. quales post acceptam fidem. 65. 66. a
Episcopi in Ecclesia positi, non vt sibi, sed vt saluti aliorum consulant. 186. b
Episcoporum munus, vt in horrea domini fructus afferant. 186. b
Episcoporum electionis modus. 52. b
Episcoporum electio penes quos. 4. b
Epitheta quibus vera cognoscitur Ecclesia. 135. a
Error Apostolicus. 126. b
Esurientes & sitientes qui sint dicendi. 193. a
Ena, infirma domus. 139. a
Euangelium, Dei opus. 84. a
Euangeliū doctrina quæ ab ipso Christo prodiit. 169. a
Euangelica doctrina Dei prophetia. ibidem
Euangelij vtilitas & fructus. ibidem
Euangelij officium. 168. b
Euangelij hostes duplices. 166. a
Eucharistia quomodo sumēda. 88. a
Eucharistia Ecclesiasticæ Venionis sacramentum. 101. b
Eucharistia quomodo sumēda. 92. a
Eucharistia contra cacodæmones antidotum. 91. b
Exemplum pietatis & bonorum operum. 113. a
Exemplū humilitatis Christus. 129. a
Exemplis cauetur ne simplices & iusti lædantur. 173. b
Euangeliū bonū nūtiū. 216. a
Euangelium redemptionis & salutis etiam gentibus annuntiatum. 216. a

F

FActa quædā diuina cur nobis occulta. 27. a
Facultas edendorum miraculorum quibus primum data. 16. b
Fame spirituali qui pereunt. 19. a b
Fœcūditas matrimonij apud Iudæos magnifica habebatur. 97. a
Festi Petri ad vincula institutio. 129. b
Festum animarum cur ab Ecclesia celebretur. 200. b
Fidei nostræ scopus. 16. b
Fidei & prædicationis cognatio. 2. a
Fidei virtus quanta. 115. b
Fidei finis salus animarū. 51. b
Fides per charitatem operās vita est animæ. 199. b
Fides cōmunicaturis necessaria. 92. a

Fides sola ad conciliandū nobis Christū nō sufficit. 76. b
Fides catholica non est dissimulanda. 108. a
Fides Thomæ & confessio probatur. 15. a
Fides Magdalenæ non fuit otiosa. 121. a
Fides scutum aduersus omnia mala. 81. a
Fides totius Ecclesiæ. 15. b
Fides per opera charitatis manifestanda. 121. b
Fideles purgatione quotidiana opus habent. 73. b
Fidelibus defunctis non sub uenie ndū dicentes, Satanę filij sunt. 198. b
Fidelium mystica oblatio. 44. a
Fidelium carmina. 30. a
Filij dei apud Iudæos contemptus. 95. b
Filium nosse quid sit. 55. a
Filius dei ab æterno destinatus vt humanitatem nostram assumeret. 94. b
Fons omnium virtutū, quis. 155. b
Fontem ad viuum itur animo, non pedibus. 155 156. a
Fructus Mariæ, fructus vitę. 115. a
Fructus Eucharistiæ præcipui tres. 91. b
Fuga Christi in Aegyptum. 32. b
Fugæ Christi in Aegyptum. cauſſæ duæ. 33. a
Fundamentum fortitudinis magnum, quod. 80. b
Fūctio Apostolica vnde pendeat. 52. b

G

GAbriel quid. 58. b
Generatio Christi, qui. 156. a
Gladius externus Apostolis negatur. 129. a
Gladium & potestatem magistratui tradidit Christus. 147. b
Gloria futuræ gloriæ differentia. 81. b
Gloria vana in eleemosyna vitanda. 130. b
Gloriandum cur non sit in cæremoniis externis. 86. a
Glorificatio bonorum operum merces. 179. b
Grano frumenti Christus se comparat, cur. 131. b
Gratia quam Maria reperit, quæ sit. 61. b
Gratiam primam nemo mereri potest. 40. b
Gratiæ & meriti discrimen. 160. b

H

HEbræorū mos in geneālogiis contexendis. 159. b
Herodis præpostera religio. 151. b
Herodis conuiuium satanicum. 152. b
Herodes versipellis dicitur. 147. b. paternæ malitiæ imitator. 147. b

Herodis figmentum prauũ. 149.a
Herodes Pharaoni non absimilis. 34.a
Herodes lupo similis, sæuissimus, & cæt. 34.a
Herodes & hæretici sathanæ serui. 31.b
Herodes tres scelere pares. 102.a
Herodes vxorem legitimam repudiauit. 148.a
Herodis execratio. 151.a
Hæreditatis consequutionẽ quid præcedat. 68.b
Hæresiarchæ seductorum ferent peccata. 21.a
Hæretici ideo errant, quia Christi spõsam odio prosequuntur. 188.b
Hæretici verbum Dei contemnũt & Ecclesiam. 12.a
Hæretici Iudæorũ instar concionatores occidunt. 10.b
Viperarum filij. 21.a
Hæreticis non datur verba Christi tractare. 28.b
Hæreticorũ modernorũ de sacramẽto corporis & sanguinis interpretatio. 91.a
Hæretici, præposteri reformatores, 77.b
Hæreses & schismata vndę. 183.a
Hæresiarchę non excusabuntur, per quos ordo Ecclesiasticus inuertitur. 174.b
Hierusalem malorum omnium lerna 20.a
Hierusalẽ Christi nidus. 21.b
Homo quibus ad salutẽ disponitur. 96.b
Horam vltimam nos ignorare voluit dominus, vt semper suspecta sit. 207. 208.
Homines in quibus angelis assimilentur. 17.b
Hospitalitatis virtus ad quos pertineat. 137.a. fructus. ibidem.b
Hospitalitatis cõsuetudo, pedes abluere. 122.a
Hospitalitatis exemplum. 136.b
Hospites iusti ad conuiuium vocandi. 119.b
Hostes Euangelij non tam alios, quàm se ipsos lędũt. 36.b
Humilitas & charitas Mariæ declaratur. 43.a
Humilitas Christi & Ioannis humilitas. 46.b
Humilitas candor & innocentia commendantur. 171.b
Humilitas discipulos Christi commendat. 128.b
Humilitatis exemplũ. 114.a
Humilitatis exemplũ Christus. 145.a
Humiliationis indicium insigne. 159.a
Humiliora deus plerunque magis probat. 52.b

I

IEsus lux gentium à Deo datus. 96.a
Iesus saluator interpretatur. 26.a
Ignorãtia Apostolorum de Christi regno. 125.b. arguitur. 126.b
Ignorantia humana in Dei rebus profunda. 83.a
Imbecillitatis discipulorum vsus quadruplex. 144.a
Imitatio duplex, spiritualis & corporalis, 5.b
Immanuel duplicẽ in Christo naturam denotat. 58.a
Immanuel, quid. 58.a
Impij non semper vitandi. 167.a
Impij & iniusti, qui. 146.b
Improborum mos. 17.b
Incarnationis Christi author, quis. ibidem
Incarnationis Christi architectus, quis. 63.a
Incarnatio Christi salutis paratæ indicium. 50.b
Incarnatio Christi saltus dicitur. 111.a
Indoctos vocat Deus, cur. 4.b
Infantes sine auxilio rationis in baptismo iustificantur. 48.a
Infernus difficilius meretur, quàm cælum. 127.b
Innocentia paruulorum non vita regnum cælorum acquiritur. 172.b
Innocentes pueros cur deus occidi permiserit. 34.b. martyres, cõfessores sunt & doctores. 35.a
Insignia regni Christi spiritualia. 126.b
Insidiatores & aduersarij nostri, qui. 181.b
Institutio Christiana de morte. 28.a
Intuitus Dei, quid. 3.b
Ioannes cur angelus dictus. 41.a
Ioannis progenies, encomiũ parentum. 96.b
Iter ad regnum Christi ostẽditur. 127.a
Ioannes inter nouum & vetus testamẽtum venit. 97.b. secundum legem circunciditur. 98.a
Ioannes Dei gratia interpretatur. 98.b
Ioannes in lucem gentium datus, à regibus honoratus. 96.a
Ioannes ab vtero nominatus. 95.a
Ioas ob scelus patratum in Zachariam occiditur. 22.a
Ioiadas pontifex, binomius. 21.b
Iustitia pax est, sicut peccatum inimicitiæ cum Deo. 112.b
Iustitiam omnem quis impleat. 46.b
Iustificatio quo ordine fiat. 166.a
Iustificationis ordo depingitur. 179.a
Iustificationis gradus. ibi.
Iustificationis vitæ indicia quatuor. 165.a
Iudas Machabæus obtulit

pro mortuis 12. millia drachmas. 201.b
Iudæi dei cognitionem non habent. 49.b
Iudæi omnium gentium miserabiliores. 22.a
Iudaïcæ infirmitati signis cõsuluit deus. 63.b
Iudæorum consuetudo nominum indendorum pueris. 98.b
Iudicium humanum in rebus diuinis sæpe cæcum. 138.a
Iudiciũ dei horrendũ in infrugiferos palmites. 74.b
Iudicij mortísque hora ex signis non fit certa. 208.a
Iudicium horrendum malis extimescendum. 40.a
Iudicium in hæreticos. 12.a
Iugum Christi humilitate & mansuetudine gestari se iubet. 56.a
Iugum duplex, Euangelij & gratiæ. 55.b
Iugum Mosis Christus disrupit. 56.a
Iuramentum inter comites habendum. 151.a
Iuramentum incautum rescindendum. 152.a
Iustus dei quis, 23.a. fructus. ibidem b
Iusti & timẽtis fructus. 24.a
Iusti huius mundi. 168.a
Iustum qui fructus sequantur. 23.b
Iræ paternæ mitigator Christus. 204.a

L

LAchrymis fulmen diuinæ iræ extĩguitur. 121.a
Lapides viui, & mortui in Ecclesia, qui. 107.a
Laudatio Dei in quibus censeri debet. 51.b
Lætitia carnis & Spiritus vana. 53.b
Lex purgãdæ mulieris quid admonebat. 44.a
Lex vitæ & disciplinæ, quæ, 70.b
Lex ad iustificationem & ad peccati ostẽsionẽ data. 185.a
Legis paternæ Christus obseruantissimus. 204.a
Liberalitas domini erga nos quàm magna sit. 207.a
Liberalitas diuina, ablata in duplum restituit. 99.b
Liberalitatis exhortatio in pauperes. 130.a
Liberum arbitrium in rebus diuinis inefficax. 144.a
Libidinis fructus. 152.b
Litania duplex. 77.a. quid. ibidem b
Loca reliquiarum diuorum piè visitentur. 197.a
Locus conceptionis Christi qualis. 58.b
Locus, tempus culpã aggrauant. 102.b
Locũ quomodo nobis Christus parauerit. 82.a
Longanimitas & patientia domini nobis commendatur. 207.a

Lucernæ lũborúmque præcinctio qd significẽt, 205.b
Luxuria petulantes facit & homicidas. 152.b

M

MAgdalenæ peccatricis pietas vicit &c. 122.a
Magdalenæ peccatricis obsequia quatuor. 120.b
Magdalena per excellentiã dicebatur peccatrix. 120.a
Magistratus politici ordinẽ cõfirmauit Christus. 145.a
Magnitudo virtualis triplex. 9.a
Magnus in veritate, quid. 69.a
Magnus efficitur qui legi vitæ, & cæt. 71.a
Magnificum esse, quid. 165.b
Mali corui malum ouum. 150.b
Malitia non potuit vincere mundi sapientiam. 208.b
Malum minus permittitur, & cæt. 120.a
Malitiam omnem quis impleat. 46.b
Mansiones cæli ab æterno sunt paratæ. 81.b
Manna pani vitæ nõ est comparandum. 94.a
Mãducare spiritualiter quid. 94.a
Martyrem facit non pœna, sed causa. 127.b
Marthæ querimonia & eius infirmitas. 198.b
Marthæ confessio. 200.a
Quid doceat. ibidem
Maria vitis fructifera. 157.a
Maria Angelis & hominibus veneranda. 114.b
Maria reparauit quod Eua perdidit. 64.b. Theotocos rectè dicitur. ibidem
Maria ratione triplici fuit virgo. 59.a quid. ibidem moribus castissima. ibi. b
Maria quomodo gratia plena. 60.a. præ aliis benedicta. ibidem
Maria legi purgationis obnoxia non fuit. 43.a
Mariæ verecũdia, modestia, prudentia. 61.a
Mariæ obsequiũ nobis obseruandum. 53.a
Mariæ fœtus sanctus. 63.b
Mariæ beatitudinem Elizabeth fidei tribuit. 115.b
Marthæ pars Marię est ablata. 140.a
Matthæus Leui dictus, cur. 163.a
Matthæi fides ꝓbatur. 164 b. obedientia. ibidem fructus. 165.a
Meritum non ex nobis, sed ex deo dependet. 40.a
Messias quò venire ostenditur. 41.b. Angelus testamẽti. ibidem
Messiæ & præcursoris gaudia. 114.a
Messias ex virgine nascitur. promittitur. 57.b
Melius est cum sanctis pati, quàm cum impiis gaudere. 187.b

Mętus viros etiam constantes inuasit. 37.a
Ministrorum Ecclesiæ gradus inæquales. 161.b
Ministrorum Ecclesiæ finis. 162.a
Miracula Dei ad proximorum ædificationem diuulganda. 99.a
Miracula in baptismo Christi facta. 47.a
Misericordiam Dei prophetat Maria. 116.b
Misericordiam Dei cõmendat Maria. 115.116.a
Misericordia spiritualis & corporalis. 267.a
Misericordia Dei à quibus commendatur. 1.a b
Miseri huius mundi qui. 56.a
Modus verus laudandi deũ. 116.a
Mors naturæ, culpæ & gehennæ. 158.b
Mors tametsi omnium terribilium, &c. 104.b
Mors fidelium transitus est ex hac vita in aliam multò præstantiorem. 199.b
Mors Christianorũ est quædam a seruitute corruptionis mortis manumissio. 200.a
Mortuis humanitatis officia exhiberi pium est. 153.a
Moriendi modus optimus. 18.b
Morte iudicióque nihil certius, hora verò nihil incertius. 207.b
Mosi iugum Iudæis cur datum. 56.b
Mosis oratio plus effecit, quàm Iosue pugna. 104.a
Mos bonorum angelorum quis. 61.b
Mulieris probæ officia quinque. 117.b.118.a
Mulieres otiosæ & negligentes. 118.a
Mulieres diligi & honorari appetunt. 148.b
Mulierũ quarũdã inhumanitas in domesticos. 118.b
Mulieri prauæ nulla bestia comparari potest. 148.b
Mulierem probam fructus sequentes, sex. 119.a
Mulier praua diabolo peior. 148.b
Mundatorum officium. 42.a
Mundi consuetudo & natura. 166.a
Mundus est carcer sanctorũ. 45.b
Mutua dilectionis virtus. 183.a
Munitio contra scandalum crucis. 80.b

N

NAtiuitas Ioã. miraculis plena. 99.a
Natiuitatis Ioannis modus. 97.a
Natiuitatis Christi gaudium vnde. 157.b
Natura Dei, quid. 13.a
Natura nostra in malũ ruit, nisi crebrò exerceatur. 174.b
Nemo à minimis doceri dedignare debet. 37.a
d. Nicolaus à tribus commẽdatur. 7.a
Nomen Christi longè antè cõceptionem ordinatum. 95.a
Nomen Christi quid cõprehendat. 82.b
Notæ quibus saluandi deprehenduntur. 51.a
Nox totum mundum occupat. 206.a
Numerus Apostolorũ in veteri lege variè præfiguratus. 53.a
Nuptiæ olim noctu peragi solebant. 205.b
Nuptiæ Christi cælestia sunt gaudia. 206.a

O

OBdormire quid. 28.a
Obedientiæ doctrina. 6.a
Oblatio quibus circunstantiis fulciri debeat. 8.a
Oblatio purgandæ mulieris duplex. 43.b
Oblationis & redemptionis lex primogenitorũ. 43.b
Officium Messiæ. 42.a
Offendiculũ quadruplici ratione patet esse graue peccatum. 174.a
Offerendũ pro peccatis quomodo. 8.a
Omne malũ scientia Dei & præscientia indignũ. 179.a
Omnia pro derelicto habere quid. 38.a
Opiniones de Christo ac Messia variæ. 106.b
Opus Dei. 13.a
Oratio Christi quid nos doceat. 48.a
Ordo spiritualis & mundanus. 129.a
Ordines domus dei inuisibiles. 66.a
Ordinum omniũ mundi huius mera confusio. 145.b
Orationibus Ecclesiæ qui defuncti subleuentur. 198.a
Originẽ institutionis luminarium ex Christo vero lumine instituit Ecclesia. 46.a
Os Ioan. Baptistæ quasi gladius acutus. 95.b
Os nostrum, oculus noster, Christus. 82.b.83.a

P

PAssio Christi & suorum martyrum vnus calix, &c. 128.a
Palmes sine operibus, quis. 75.a
Palmites Christi, qui. 73.a
Palmæ Christus confertur, oliuæ, platano, cinnamomo, myrrhæ. 135.b
Panem esurienti frangere, quid. 167.b
Parentum vitium commune est liberis, &c. 126.a
Paruulos semper fuisse baptizatos in Ecclesia testantur patres. 48.a
Patres Ecclesiæ & Episcoporum, quæ. 107.b

Partus Christi miraculosus 57.b
Paruulorum offensio calamitatũ nostrarũ caussa. 174.a
Paruuli q fuere & sunt. 54. a
Passio Christi peccati expiatio. 50.b
Passio filij dei frugifera & vtilis. 95.b
Pastoris mala vita non obest,&c. 166. b
Pastoris est, vt bonis operibus diues fiat. 186. b
Pater quando relinquendus. 6.b
Patris & filij indiuidua operatio. 84.a
Patrem nosse quid. 55. a
Paulus ante conuersionem, qualis. 35. b
Paulus præsertim Gentium Apostolus. 37. a
Pauli conuersio vbi contigerit. 36.a
Paulinæ persecutionis tres caussæ. 35. b
Pauperum cura. 137.b.138. a
Pauperibus qua mensura sit dandum. 138.a
Pœnitentię gradus. 163. b
Pœnitentia ob neminem erubescenda. 120. a
Pœnitentia semper necessaria. 97. b
Pœnitentia impiorum sera. 79. a
Pœna in non deferentes senio. 114. a
Pœnæ communicantium indignè. 89. a
Pœnarum omniũ maxima, excludi à gloria. 74. 75. a
Peccatoribus quomodo conuersandum. 167. a
Peccatores vocat, &c. 168. a
Peccatum in Spiritum sanctum cauendũ. 149. 150. a
Pedes Christi sunt conciones. 123. a
d. Petri curiositas. 26. a
Petrus fidei pater. 108. a. Ecclesiæ caput. 106. a
Petrus Iudæis Leo in via. 102. a
Petri & Iacobi, quandiu, tam diu Herodes. 103. b
Petro fit commune per communicationem id quod Christo est propriũ. 108. b
Petrum cõprehendi cur permiserit dominus. 104. a
Petrus putatione opus habuit. 73. b
Pharao & Herodes in scelere pares. 150. a
Pharisæorum obstinata malitia. 166. b
Pharisæorum natura arrogans. 119. b
Philippi crasities. 84. a
Pij verè, qui. 146. a
Pij nunquam putant se esse iustos. 193. a
Piorum & impiorum vita, verba. 146. b. Præmia. 147
Pietatis ad opera festinandũ. 113. b
Piorum fructus in æternum præmiabitur. 186. a

Plaga horrenda. 19. a
Placere Deo quid. 9. b
Potentia Dei erga Paulum. 36. a
Potentia verbi Dei viua & efficax. 5. a
Potentia Christi declaratur. 116. b
Præmiorum alia æterna, alia temporaria. 39. a
Præmia Christũ verè sequentium, duplicia. 38. b
Prædicatio à missione pendet. 2. a. Dei legatio. ibid. b
Prædestinatio in Deo solo est occulta. 179. b
Præcinctura Petri & calceatio quid prętẽdebat. 105. a
Præceptum fraternæ dilectionis. 182. b
Præmij magnitudo ad virtutum amorem & vitiorum odium nos excitare debet. 207. a
Preces piorum frustraneæ non sunt. 105. a
Prelati boni nominis curam debent habere. 107. b
Principes mundani quo, &c. 144. b
Primatus d. Petri constituitur. 25. b
Præmium succinctorum & vigilantium. 206. b
Primas amare, gentilium est. 128. b
Pręcinctum ad tria esse oportet. 71. b
Prædicationis scopus. 52. b
Prærogatiua castitatis d. Ioannis. 26. a
Promissio Christi consolatoria, &c. 145. b
Promissio de clauibus. 109. b
Promissio liberationis ab hostibus Achaz facta. 57. a
Prosapia Christi vnde, declaratur. 158. b. eiusdẽ excellentia. 159. a. ex Abrahamo. 16. a
Prudentia hominum mundi huius tumida. 53. b
Pseudodoctorum tituli. 85. b
Publicani genus hominum infame. 163. a
Purgandæ mulieris lex. 43. a
Putatio seu purgatio fructus adfert pacatissimos. 74. a

R

RAchel plorans, typus matrũ pueros suos plangentium. 34. b
Reditus Christi quid sibi velit. 82. b
Reditus Domini à nuptijs, est aduentus eius vltimus. 206. a
Redemptio & salus post iudicium nulla. 214. a
Regni Christi successus. 135. a
Regni Christi principium, labor & dolor. 127. a
Regni Christi insignia. 100. a

Regni cælestis & mundani discrimen. 144.b
Regnum Christi quibus paratum. 128.a
Regnum æternæ sapientiæ Ecclesia. 134.b
Regnum Christi in domo Dauid inchoatum. 100.a
cornu salutis cur vocetur. ibidem. quale sit & in quo consistat. ibidem.b
Regnum Christi perseuerantia acquiritur. 145.b
Regnũ Christi quale. 62. a b
Religio Catholica docet pueros omni ætate baptizandos. 48 b
Remissio peccatorum ex visceribus misericordiæ Dei. 101 a
Resipiscentię argumenta certa, 120.b
Resurrectio mortis destructę argumentum. 50.b
Resurrectionẽ futuram, cur Christus vocet regenerationem. 39.a
Resurrectio generalis diuersimodè fiet. 212.b
Resurrectionis nostræ ac vitæ auctor Christus. 199.a
Rete Euangelicum. 4.a
Rosę se similem Christus facit. 135.b

S

Sacramentum cur cœna appellatur. 87.b
Sacramenti altaris institutionis caussa. 67.a
Sacramenti altaris materia & forma. 91.a
Sacrificiem pretij nostri pro matre Augustini oblatum. 202.a
Sacrificia quæ minimè Deo placent. 8.a
Sacerdotes ministeriales, qui. 8.b
Sacerdotes in vltima cœna instituit Christus. 90.b
Sacerdotis veri munus est diuinam, &c. 9.a
Sacerdotalis officij encomion. 203.b
Sacerdotalis functionis præmium. 204.a
Sacerdotes morales & peculiares. 7.b
Sacerdotale tertium munus. 8.b
Sacerdotale munus tria requirit. 7.a
Salus nostra in Dei electione sita. 182.b
Solus nostra vnica in quo sita. 162.a
Salus quid sit. 51.a
Salus nostra vnde expectanda. 50.a
Salus omnis cruci domini tribui debet 85.b
Salus per Christi resurrectionem. 50.
Salutis nostræ principium ex æterna electione ad salutẽ pendet. 186.a
Salutis nostræ auctor Christus. ibidem.
Salutatione angelica quadrifariam vti licet. 60.b

Samaritanus Christus non tantum Iudęorum, sed gẽtium omnium. 124.a
Sancta coinquinari non possunt, nisi, &c. 122.a
Sancti prædecessores nostri. 208.a
Sancti, qui. 75.a
Sancti imitandi, qui. 25.a
Sancti regibus maiores. 69.a
Sanctorum varia conditio. 27.b
Sanctorum verorum descriptio. 195.b
Sanctorum communio quibus in rebus consistat, ex beato Paulo discere licet. 196.a
Sanctos orare debemus, quia orant pro nobis. 196.b
Sancti sunt colendi. 197.a
Sancti orationes nostras recognoscunt. ibid.
Sancti inuocandi à Christianis duabus de caussis. 197.a
Sanctitas sita est in fide per dilectionem. 158.b
Sapientia Dei, filius Dei Iesus Christus. 208.b
Sapientia Dei circa Pauli cõuersionem. 36.a
Sapientiæ æternæ discipuli, qui. 155.b
Sapientia diuina nusquam, nisi in Ecclesia reguat. 134.b
Sapientia carnalis filiorum Zebedæi. 126.a
Sapientia Pharisæorum arrogans & vana. 53.b
Sapientia quid sit & possit. 153.b
Satanæ potestas in impios à Deo data. 189.b
Satanæ inuentum est, quod Anabaptistæ, &c. 45.a
Satan nobis cõcitat, vt à Deo deficiamus. 181.b
Scandala pios reddunt perspicaciores. 175.a
Sceleris Iudæ grauitas. 52.a
Scripturæ de Eucharistia. 90.a
Scriptores hæretici nomina sua subticent. 49.b
Scriptura hunc Deum nobis commendat, qui habet naturalem filium. 49.b
Sedes duodecim significant vniuersitatem iudicandi. 39.b
Sedes Petri virtute Christi firmiter fundatâ. 110.a
Sedes in cælo stabiles sunt & perpetuæ. 81.b
Seminis caput serpentis contrituri delineatio. 158.a
Serui oscitantes. n.a. fideles, infideles. 12.a
Seruorum Dei, est vigilare & expectare ipsum. 206.a
Sermo Christi mundat, non hominis. 75.b
Sequelæ Christi insigne exemplum in Paulo. 58.b
Seruorum & amicorum distinctio. 185.a
Similitudo aptissima à viatoribus nocturnis desumpta. 205.a

Similitudo Christi cum gallina. 19.a
Similitudo de grano frumẽti. 131.b
Similitudo rustica de arbore bona. 73.a
Simeonis canticum cõtinet tria. 45.b
Simeonis laus ex Euangelio. 44.b.charitas,ibid.
Simeonis feruẽs desiderium 45.a. gaudium ineffabile. ibidem.
Simplicitas & innocẽtia puerorum mutanda. 172.a
Synagoga precata est pro mortuis. 198.a
Sodalitium impiorum vitandum. 79.a
Solicitudo Christi erga d. Thomam. 14.b
Sors saluandorũ in hoc mundo. 51.a
Sors piorum in hoc mundo 103.a
Sors & finis piorum & impiorum. 78.a
Spes salutis est quandiu Dominus differt aduentum suum. 207.b
Spiritus Domini vbi est, ibi libera & prompta obedientia. 33..b
Stephani fides vera ac fortis. 16.a
d. Stephani inuicta patientia. 18.a
Sterilitas apud Iudæos mala reputabatur. 97.a
Studiũ Xp̃i præcipuũ. 121.b
Suffragia nulla cælum penẽtrant, nisi per Christum. 201.a
Sumptio sacramenti duplex, sacramentalis & spiritualis 92.b
Supplicium impiorum maximum. 79.a

T

TAbulis duabus quid intelligendum. 7.b
Tempus Messiæ venturi innuitur. 41.a
Templum Iudaicum cuius erat typus. 17.a
Tenebræ ibi, vbi non adest verbum Dei. 138.b
Thesaurus ingens verbum Dei. 76.a
Testamentum pacis. 71.a
Thomæ ignorantia & carnalitas. 83.a
d Thomæ confessio. 15.a
Timor filialis. 44.b
Timens Dei quis. 23.a. fructus. ibid.b
Tituli insignes Saluatoris Iesu. 169.b
Tituli de Messia venturo 62.b
Tyranni quos terrẽt ipsi plus metuunt. 34.a
Tribulatio vtilis. 68.b
Tributum fidei à discipulis exegit Christus. 106.a
Tribus duodecim quid significent. 79.b
Trinitas authoritatiuè, Christus executiuè iudicabit. 39.b

Trigesimi diei commemoratio à morte defuncti ab antiquis temporibꝰ celebrata. 202.b
Turbatio inordinata prohibetur. 80.a

V

VBi salus lasciuus, ibi diabolus. 150.b
Verba Christi non sunt procuiusque sensu interpretanda. 28.b
Verbum Dei quadrupliciter nos mundet. 75.b
Verbum Dei mẽtiri nequit. 27.a
Verbum Dei dat virtutem sacramentis. 76.a
Verecundia principium pœnitentiæ. 120.b
Veritas Dei seu fides in promissis. 117.b
Viatores spirituales sumus & nocturni. 205.a
Victimę longè p̃fertur. 167.b
Videre Dei quid. 3.b
Vinitor palmitibus infrugiferis quid facturus. 74.a
Vincẽtij Lirinẽsis canõ. 24.b
Vinculorum Ioannis causa. 147.b
Virgo Maria castellum dicitur. 139.a
Virgines verecundiam & honestatem docentur. 113.a
Virtus magna & rara, humilitas honorata. 64.b
Virtus Christi non est sacramentis alligata. 48.a
Virtutes angeli, vltionum Dei executoris. 182.a
Virtus pro comite habet inuidiam. 17.a
Vita piorum & impiorum dispar. 78.a
Vita duplex malè amando perditur. 123.b
Vita saluatoris instar sagittæ recta&absoluta. 95.a (133.a
Vita duplex seruatur, &c.
Vitæ inæqualis dispar est futurus exitus. 78.b
Vitis æterna vbi plantata. 154.b
Vitis verę flores qui. 151.a
Vitis subamara&fructus proferens dulcissimos. 154.a
Viuere propter Christũ quid 94.a (61.a
Virgines quibus ornantur.
Vocatio fidelium ex gratia Dei. 164.a
Vocatio duplex, generalis & specialis. 4.a
Vocatio nostra ex gratuita Dei electiõe depẽdet. 40.a
Vocationis nostræ admonemur. 133.b
Vocatorum finis. 165.a
Vocatione in qua vocati sumus nobis manendũ. 11.a
Vox citharæ quid. 30.a
Vox aquarum multarũ quid. 30.a
Vtilitas mortis Christi ostẽditur. 131.b
Vulgi communis defectus quis. 106.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca